

FONTES HISTORIÆ MARIANORUM

9

S. PAPCZYŃSKI

INSPECTIO CORDIS

INSTITUTUM HISTORICUM MARIANORUM

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

9

1. *Odrodzenie Zgromadzenia Księży Marianów*, Warszawa 1995
2. *Stolica Apostolska a biskup Jerzy Matulewicz*, Warszawa 1996
3. *Wspomnienia o błogost. Jerzym Matulewiczu*, Warszawa 1996
4. *Užrašai*, Aidai 1998
5. *Templum Dei Mysticum*, Varsaviæ 1998
6. *Orator Crucifixus sive Ultima Septem Verba Domini Nostri Iesu Christi*, Varsaviæ 1998
7. *Christus Patiens*, Varsaviæ 1998
8. *Scripta Historica P. Stanislai Papczyński*, Varsaviæ 1999
9. *Inspectio Cordis*, Varsaviæ 2000

INSPECTIO CORDIS

Stanislai a Iesu Maria Papczyński
Congregationis Immaculatæ Conceptionis
Clericorum Recollectorum
Ex Scholis Piis Præpositi

Recollectiones

pro Dominicis et Festis totius anni, pro menstruis exercitiis
et quotidianæ

Edidit

Casimirus Krzyzanowski MIC

Varsaviæ 2000

© by Institutum Historicum Marianorum, Warszawa 2000

Compositio et graphica expressio
Casimirus Krzyzanowski MIC

Consultatio et correctio
Jan Bukowicz MIC

Mariański Instytut Historyczny
ul. H. Dembińskiego 2, 01-644 Warszawa

Prooemium

In hoc volumine praesentatur editio critica operis *Inspectio Cordis (IC)* a P. Stanislaeo a Iesu Maria Papczyński in lingua Latina conscripti et hucusque in manuscripto (ms.) relict¹.

A. Auctor et origo operis

Nullum dubium est de auctore *IC*: in frontispicio huius operis “Stanislaus a J.M.” uti eius auctor affirmatur. Indubitanter agitur de Patre Papczyński: a) quia ille “Stanislaus a I.M.” ibi denotatur uti “Congregationis Immaculatae Conceptionis Clericorum Recollectonun [...] Praepositus”, et aliunde notum est nobis quod P. Stanislaus a I.M. Papczyński revera fuit ab anno 1679 Praepositus huius Congregationis hoc anno erectae (i.e. Congregationis Clericorum Marianorum, ab eo anno 1673 fundatae); b) quia idem “Stanislaus a I.M.” etiam ibi denotatur uti olim membrum Instituti Scholarum Piarum (“ex Scholis Piis”), et revera P. Stanislaus a LM. Papczyński annis 1656-1670 ad hoc Institutum pertinebat².

P. Papczyński agnoscebatur uti auctor *IC* etiam in Instituto a se fundato, quia hoc opus praesentatum est in Processu Beatificationis Servi Dei Stanislai a I.M. Papczyński uti unum ex scriptis eius in Polonia conservatis. Uti tale fuit postea Romae examinatum³.

Nec ipse P. Papczyński, nec ullus ex eius contemporaneis reliquit notitiam de *origine IC*. Eam ex ipso opere desumendo, possumus credere quod hoc opus originem suam debeat sermonibus quos P. Papczyński religiosis praedicabat, uti patet e sat frequenti consideratione vatorum religiosorum et vitae religiosae in genere in *IC*.

Quaestio est autem: *quibus* religiosis hos sermones praedicabat? Nullo modo - nec interno, nec externo - probari potest quod is propriis religiosis, i.e. Marianis, illos praedicaret.

¹ Est ms. anno 1971 a Wojtyška repertum (cf. Wo.r.r.YS[cAH.D, *Inspectio cordis*, *We znane dzieło ojca Stanisława Papczyńskiego*, in: Seminarium. Sprawozdania Towarzystwa Naukowego KUL, 2, za r. 1973, Lublin 1975, pp. 154156); conservatur nunc in Bibliotheca Seminarii Maioris Lublinensis, ms. 523.

² Cf. *Positio*, pp. 19-214.

³ Hoc patet e relativo decreto super scriptis Romae die 15 iulii 1775 dato. Cf. *Posido*, p. 793, no. 147.

At vero sequenti modo probari potest, quod P. Papczyński hos sermones ad religiosos *Piaristas* praedicabat: datur insolita annotatio: “ex Scholis Piis” in frontispicio;

2) in uno sermone P. Papczyński dixit: “prout te sancti Patris nostri docet instructio” (v. *infra*, p. 411: Recoll. XI, 1), et credi potest quod hic “sanctus Pater noster” sit S. Iosephus Calasanctius, Fundator Instituti Scholarum Piarum; proinde sub “te” agnosci debet aliquis Piarista, eius filius spiritualis (cf. *ibid.*, no. 38);

3) uti possessor exemplaris ms. *IC*, quod. ad nos pervenit, indicatur unus Piarista, nempe “Pater Ignatius a S. Francisco [Krzyskiewicz] Schol. Piarum” (cf. *IC*, f. 3r: annotatio in calce) et in frontispicio annotatum est: “In Domo Gorensi Scholatum Piarum extant aliae emendationes per authorem factae”.

Itaque concludi potest quod P. Papczyński hos sermones Piaristis in eorum Domo Gorensi post annum 1677, quo is residentiam in Domo Gorensi Marianorum sumpsit, et ante annum 1682, quo P. Krzyskiewicz Domum Gorensensem reliquit, praedicabat⁴.

B. Ratio et utilitas operis

Inspectio Cordis continet “recollectiones” pro usu religiosorum, i.e. meditationes, quae sunt ab eis faciendae:

a) “ante SS. Communionem” et “post SS. Communionem” diebus Dominicis decursu totius anni liturgici (Pars I) et in festis sollemnioribus (Partes II-III), uti erant eis probabiliter viva voce propositae ante et post S. Missam;

⁴ P. Ignatius Krzyskiewicz a S. Francisco, S.P., potuit esse auditor horum sermonum annis 1677-1682: anno 1677 Goram missus est ut ibi “manere (Chay., 52) et videtur quod mansit ibi usque ad annum 1682, quo Rect Petricoviensis factus est. Abdicato hoc rectoratu anno 1684, probabiliter. Domum Varsaviensem translatus est, ubi residens anno 1685 ab Episcopo Stephano Wierzbowski Goram ad Domum Marianorum uti Commissarius missus est; cf. Positio, p. 417, Forsitan hac occasione suum exemplar *IC* Pal Papcrzynski pro correctionibus seu emendationibus praesentavit.

P. Krzyskiewicz habuit occasionem cognoscendi Patrem Papczynski adhuc tempore huius permanēntiae in Scholis Piis, nempe in communi residentia Ressorviae et Varsaviae; cf. *ibid.*, no. 19.

b) occasione exercitiorum spiritualium (Pars IV) et omni die hebdomadae (Pars V).

Unaquaeque recollectio (divisa solite in tres paragraphos) in Partibus I-III praesentat meditationem seu reflexionem super aliqua verba vel super aliquam sententiam Evangelii proprii pro respectiva Dominica vel respectivo Festo, cum applicatione doctrinae ibi contentae pro vita religiosorum. In recollectionibus servientibus pro hebdomadalibus exercitiis praesentata est meditatio super algunas veritates fundamentales fidei nostrae vel super vota et virtutes status religiosi. Recollectiones autem quotidianae continent meditationes de passione Domini nostri Iesu Christi (tempore matutino) et de *novissimis* (tempore vespertino).

In his recollectionibus saepe mentio facta est de S. Communionem mox faciendam vel modo factam. Est proinde evidens intentio praedicatoris promovendi devotionem religiosorum erga SS. Eucharistiam, etiam in suo aspectu ascetico, ut ex S. Communionem quam maximum fructum spiritualem pro eorum vita religiosa derivare possint.

C. Fontes

P. Papczyński in *IC* ad suas affirmationes confirmandas seu probandas et ad exigentias asceticas ibi propositas iustificandas recurrit ante omnia et saepe ad S. Scripturam. Attamen, quamvis in numero sat limitato, adducit etiam sententias probatissimorum interpretum sacrarum literarum, nempe Patrum et Doctorum Ecclesiae: S. Augustini, S. Ambrosii, S. Athanasii, S. Bernardi, S. Bonaventurae, S. Gregorii Magni, S. Catharinae Senensis et S. Teresiae a Iesu. Ad suam doctrinam asceticam confirmandam recurrit etiam ad sequentes magistros perfectionis religiosae, insignes scriptores ecclesiasticos et spirituales: S. Bedam Ven., Ioannem Busaeum, S. I., Ioannem Climacum, Ieremiam Drexelium, S.I., S. Philippum Nerium et Thomam a Kempis.

Auctor illustrat etiam suas “relectiones” ope textuum selectorum e hymnis, canticis et antiphonis ad *Liturgiam Horarum* pertinentibus, necnon e sequentiis in *Missali Romano* adhibitis. Partem Quartam concludit oratione S. Ambrosii ante SS. Communionem in hoc Missali inciusa uti “Praeparatio ad Missam”.

D. Authenticitas textus

Quasi certum est quod ms. *IC* a nobis possessum non est, nec in parte, manu propria auctoris scriptum. Nam habemus in hoc manuscripto, pro variis eius partibus, saltem quattuor species scripturae⁵. Videtur proinde quod scriptores pro componendo hoc opere usi sunt textibus a P. Papczyński pro singulis recollectionibus praeparatis. In frontispicio annotatum est quod hae recollectiones “tumultuaria opera” consutae sunt; en ratio cur in hanc transcriptionem nonnulli errores irrepserunt. Licet credere quod textus sic transcriptus ab auctore “emendatus”, i.e. correctus et quasi authenticatus est, quia in alia annotatione in frontispicio legitur quod “aliae emendationes per authorem factae” in Domo Gorensi Scholarum Piarum extant, hoc est in alio exemplari *IC* ibi illo tempore conservato.

Sicut ex nostra editione critica patet, dicta correctio e parte authoris non excludit omnes errores: hodie nonnullae manifestae omissiones (ob inadvertentiam) verborum debuerunt a nobis completari, sive agitur de omissione in textu proprio auctoris (quod fit in hoc textu: sunt additamenta uncis quadratis inclusa), sive agitur de tali omissione in allegationibus (quod fit in annotationibus textualibus: sunt additamenta post signum “*add.*”).

Ubi autem per errorem vel ex proposito aliquid additum est ad textum allegationis, tale additamentum indicatur in annotationibus textualibus post signum “*om.*”.

Sat frequenter varia verba debuimus in textu corrigere, annotando: “in ms. erronee:”. Sic fecimus quando de errore nullum dubium esse potuit. Ubi autem talis certitudo defuit, versio originalis relicta est in textu et eius possibilis correctio suggerita est solummodo in annotatione textuali. Hypothetice “adhuc” substituitur (sec. contextum) pro ignoto verbo “adhaec” (p. 261, no. a; p. 452, no. b).

⁵ Non did potest quod hoc ms. sit exemplar authenticum anno 1773 a notario Groszkowski factum, uti assertum est in introductione ad editionem Latinam *IC* ope *computer* anno 1993 factam (est erronea interpretatio verborum: “productum et revisum iudicialiter”; notarius in calce frontispicii adnotavit quod *IC* “productum”, i.e. ei praesentatum pro revisione est); v. p. 1, introd., initio.

Forsitan aliquae correctiones introductae sunt in textum ab ipso p. Ignatio Krzyskiewicz a S. Francisco, S.P. Is forsitan etiam in Prima Parte breves annotationes in margine fecit summam contenta paragraphi vicini exponendo. Ista annotationes non sunt reproductae in hac editione.

Comparando allegationes e Sacra Scriptura cum textibus Vulgatae editionis ex anno 1929 (*BSV*), debui concludere quod eae frequenter sat libere factae sunt, cum diverso ordine verborum, cum omissionibus nullo modo indicatis vel cum mutationibus (de eis lectorem non advertendo) ab contextu requisitis, sed sensum eundem retinentibus. De his omnibus lector advertitur in textu vel in annotationibus textualibus. In his annotationibus inveniuntur diversae lectiones textuum a P. Papczyński in *IC* allegatorum, quos potui invenire et verificare in respectivis operibus aliorum auctorum.

Non semper tamen potui invenire tales textus. Non potui invenire tres textus S. Augustini in *IC* allegatos. Talis difficultas provenit forsitan e facto quod non citantur opera S. Augustini e quibus hi textus proveniunt et non est semper facile invenire textus allegatos secundum indicem generalem verborum.

Non potui etiam invenire: a) verba allegata et Philippo Nerio adscripta (cf. *infra*, p. 376, no. 2); b) dictum S. Antonio Magno adscriptum (cf. *infra*, pp. 417-418, no. 50).

E. Scopus huius editionis

Inspectio Cordis est unicum scriptum asceticum P. Stanislai Papczyński quod hucusque non est formaliter typis datum. Quamquam fuit destinatum pro religiosiis Piaristis, attamen continet doctrinam valde utilem etiam pro aliis religiosiis, et specialiter pro Marianis, qui possunt in hoc opere invenire pretiosa elementa spiritualitatis sui Instituti, quae ab eorum Fundatore proveniunt. Utique, datur hic doctrina ascetica religiosa potius generalis, attamen - ob ^{II} rationem liturgicam - Mariani possunt hic invenire pretiosas considerationes sub aspectu ascetico etiam cum eorum charismate connexas, nempe de Immaculata Conceptione B. V. Mariae (cf. *infra*, pp. 351ss).

Sicut pro aliis operibus P. Stanislai Papczyński in lingua Latina scriptis, ita etiam pro *IC* Institutum Historicum Marianorum prae oculis in hac editione habet praevisam translationem huius operis in linguas modernas.

Conatus itaque factus est hic praesentandi textum Latinum in maxima possibili authenticitate et fidelitate textuali (relate ad textum originale) uti validum fundamentum pro translationibus. Tales translationes alioquin erit facilius facere adhibendo textum Latinum typis editum quam illum manuscriptum.

Utique, sequendo temporariam editionem typographicam *IC* ope *computer* anno 1993 confectam (ms. non semper ibi recte lectum est), facta est iam anno 1997 typographica, sed provisoria et non officialis editio *IC* in lingua Polona ad usum sodalium. Praevidetur tamen quod typis data erit formaliter *IC* in lingua Polona vel alia in translatione, quae hanc editionem criticam pro fundamento habebit.

F. Forma graphica et apparatus scientificus

Forma graphica *IC* in hac editione est sat diversa ab illa in manuscripto. Differentiae maioris momenti sunt sequentes:

1) Introductae sunt hic divisiones textus (*a capo*) in quasi omni recollectione secundum diversitatem (etiam parvam) materiae tractatae.

2) Saepe mutata est interpunctio, secundum normas hodiernas scribendi; aliquando lungae sententiae divisae sunt, ubi talem divisionem maior facilitas comprehendendi contenta suggestit.

3) Saepe adest differentia in litteris initialibus maiusculis aut minusculis; plerumque litterae maiusculae mutatae sunt in minusculas. Pro his mutationibus conatus factus est sequendi normas datas in infra citata instructione a P. Bonaventura a Mehr elaborata et normas adhibitae in hodiernis libris ecclesiasticis (praesertim in *Catechismo Catholicae Ecclesiae*, Città del Vaticano 1997).

4) Ubi verba: “Deus”, “Pater (aeternus)”, ac nomina Iesu (Iesus, Christus, Verbum, Sal) et B. V. Mariae (Maria, B. Virgo, Deipara, Mater) in ms. maiusculis in toto scripta sunt, in hac editione *IC* maiusculis solummodo initiantur. Attamen alia verba vel dicta maiusculis in toto in ms. scripta ad significandum eorum maiorem momentum, hic minusculis, sed litteris crassioribus exprimuntur.

5) Citationes ad S. Scripturam cum indicatione solius capituli factae, hic versibus (uncis quadratis inclusis) completatae sunt et in textu manent. Ubi

autem nulla citatio pro allegatione e S. Scriptura datur, talis citatio (uncis quadratis inclusa) hic in textu suppletur.

6) Plerumque allegationes ex aliis operibus citantur solummodo nomine auctoris in textu vel in margine. Tunc citationes pro posse completae in annotationibus materialibus datae sunt.

7) Ubi allegatio nullo signo graphico indicatur, hic instructa est binis virgulis, uncis quadratis inclusis.

Sigla et abbreviationes pro hac editione *IC* adhibitae partim sumptae sunt e secunda editione abbreviationum Encyclopaediae Catholicae sub cura Universitatis Catholicae Lublensis⁶ et partim elaboratae sunt in tali modo ut sint diversae ab his quae ibi exstant.

Alioquin pro forma graphica et in apparatu scientifico pro posse adhibitae sunt normae in duabus instructionibus traditae:

1) *Instrukcja wydawnicza dla zrodel historycznych od XVI do polowy XIX wieku*, pod red. K. Lepszego [Instructio pro edendis fontibus historicis a saec. XVI ad medietatem saec. XIX, editore K. Lepszy], Wroclaw 1953;

2) P. Bonaventura a Mehr OFMCap., *Auxilium scriptorum - Praecepta, consilia, subsidia mcmuscriptis prelo parandis imprimis operum et commentariorum quae Latine vulgantur*, Romae 1953.

Secundum *Instrukcja*, n. 24, omissiones quorundam verborum (evidenter voluntariae, quia agitur de verbis ad intelligendum sensum non necessariis) in textibus in *IC* allegatis, ab eius auctore nullo modo indicatae, hic indicantur signo: “[.....]”. Certi errores grammatici non sunt relictis in textu, uti *Instrukcja*, n. 46, iubet facere.

Pro utilitate Lectoris adiunctus est in fine Index Contentorum (seu Tabula Rerum), absens in ms. *IC*. Currens pars operis et currens recollectio indicantur in singulis paginis ope “paginae vivae” (*header*); quae indicatio non invenitur in textu ms. *IC*.

Apparatus scientificus huius editionis cum annotationibus elaboratus est in lingua fontis⁷ (*IC*), i.e. in lingua Latina (pro cuius simplicitate et imperfectione editor veniam Lectoris petit).

Casimirus J. Krzyzanowski, MIC

⁶ *Encyklopedia Katolicka - Wykaz skrótów*, K.U.L., Lublin 1993.

⁷ Cf. *Regulamin Mariańskiego Instytutu Historycznego* [Normae practicae Institutii Historici Marianorum], § 4.

Tabula abbreviationum et siglorum

- ACE *Ambrosius, Commentaria in Evangelium sec. Lucam Opera III, Romae 1579.*
- ADO *Ambrosius, De Officiis : Opera IV, Romae 1582.*
- BHL *Bibliotheca hagfographica Latina antiquae et mediae aetatis, 2 voll., Bruxelles 1898-1901; Suppl., ²1911.*
- BS *Bibliotheca Sanctorum I-XIII, Roma 1961-70.*
- BSV *Biblia Sacra, ed. Vulgatae, Ratisbonae 1929.*
- BT *Pismo Święte Starego i Nowego Testamentu (Biblia Ty-siąclecia), red. A. Jankowski et al., Poznan 1965,³1970.*
- CLCE *Cornelius a Lapide, Commentaria in Quattuor Evangelia, 4 voll., ed. 5-a, Taurini-Romae 1941.*
- CCE *Catechismus Catholicae Ecclesiae, Citta del Vaticano 1997.*
- CChrL *Corpus christianorum seu nova Patrum collectio. Series Latina, Turnhout 1954*
- CChrM *Corpus christianorum seu nova Patrum collectio. Continuatio Mediaevalis, Turnhout 1971*
- Choy. [D. Choynacki, SP], *Brevis Collectio, Ms.(1775),-ASPCr.*
- CLD *Cassell 's Latin Dictionary, London-New York 1979.*
- Const.S.P. *Constitutiones Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, in: Clericorum Regularium Scholarum Piarum I. Constitutiones. [..], s.l. 1768.*
- CSP I. Climacus, *Scala Paradisi, Coloniae Agrippinae 1601.*
- ECat *Enciclopedia Cattolica I-XII, Citta del Vaticano 19481954.*
- EGC *Epistolario di San Giuseppe Calasanzio, ed. L. Picanyol, SP (Editiones Calasanctianae), Roma 1950-1956, I-IX.*
- EI *Enciclopedia Italiana, 35 voll., Roma 1929-49.*
- EK *Encyklopedia Katolicka, 6 voll., Lublin 1973-1993.*

- EKOść *Encyklopedia Kościelna*, ed. M. Nowodworski, 33 voll., Warszawa 1873-1933.
- FHM *Fontes Historiae Marianorum*, 1- , Varsaviae 1995 –
- FLL Forcellini et al., *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii 1864.
- IC St. Papczyński, *Inspectio Cordis*, Ms., s. a., s. I.
- ICK Thomas a Kempis, *De Imitatione Christi*, Romae 1925.
- LH *Liturgia Horarum iuxta ritum Romanum. Uffrcium divinum ex decreto sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum* I-IV, Città del Vaticano 1972.
- LLMA *Lexicon Latinitatis Medii Aevi*, Turnhaut 1975 (CChrM).
- MIR *Missale Romanum*, Lectionarium I-III, Vaticani 1971.
- NV [St. a LM. Papczyński], *Norma Vitae Religiosae Congregationi B. V. Mariae Sine labe Conceptae Eremitarum Marianorum j...J Proposita et ab Em.ma et Rev.mo D.D. L. Card. Colloredo [...] Correcta Rornae A.D. 1694-to*, Ms. orig. (1694-98) : *Positio*, pp. 450-483.
- PEK *Podręczna Encyklopedia Kościelna I-XLIV*, ed. Z. Chelmiecki et al., Warszawa 1904-1916.
- PG *Patrologiae cursus completus, Series Graeca* I-CLXI, ed. J.P. Migne, Paris 1857-66.
- PL *Patrologiae cursus completus, Series Latina* I-CCXVII, ed. J.P. Migne, Paris 1878-90.
- Positio *Posnaniens. Beatificationis et Canonizat. SD. Stanislai a LM. Papczyński...*, *Positio super Introductione Causae et super Virtutibus*, Ramae 1977.
- SH *Scripta Historica P. St. Papczyński*, ed. C. Krzyzanowski, Varsaviae 1999: FHM 8.
- SLL *Septem Linguarum Calepinus, Hoc est Lexicon Latinum*, Patavii⁸ 1758, 2 voll.
- WEP *Wielka Encyklopedia Powszechna* I-XIII, Warszawa 1962-70.

[f.1r]

INSPECTIO CORDIS

Stanislai a Iesu Maria
Congregationis Immaculatae Conceptionis
Clericorum Recollectorum
Ex Scholis Piis¹ Præpositi
Recollectiones pro Dominicis et Festis totius anni
et mensuris exercitiis
tumultuaria^a opera consutatae^b [s]².

^a in ms. erronee: “tumulturaria”

^b forma inusitata, probabiliter loco “consutae”, in sensu: “compositae”

¹ Sic indicatum est quod P. Stanislaus a Iesu Maria Papczyński, olim, nempe annis 1656-1670, fuit membrum professum Instituti Scholarum Piarum. Cf. Positio, pp. 19-214.

² In hac informatione circa contenta IC non est facta mentio de recollectionibus “quotidianis”, quae proponuntur in ultima, i.e. Parte V, huius operis.

In reliquo spatio huius frontispicii facta est sequens annotatio: “In Domo Gorensi Scholarum Piarum extant aliae emendationes per authorem factae”. Evidenter sermo est hic de emendationibus factis in alio exemplari manuscripto huius libri, forsitan ab aliquo membro Domus Gorensis possessore; ad nos tamen hoc exemplar IC non pervenit.

In calce frontispicii annotatum est: “No. 9. productum et revisum iudicialiter sub Die 15 martii 1773. Franciscus Thomas Groszkowski Notarius mpp.” Fuit enim unum ex scriptis Servi Dei Stanislai Papczyński pro eius Processu Beatificationis in Polonia collectis et postea Romae examinatis. Relativum decretum “super scriptis” datum est Romae die 15 iulii 1775. Cf. Positio, p. 793, no. 147.

[f.3r]

[PARS I]

[Recollectiones in Dominicis]

DOMINICA I ADVENTUS

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Erunt signa in sole, et luna, et stellis”(Lc 21[, 25]).

Considera nihil posse sine iustitia regi et consistere, tam apud mortales, quam apud Deum. Unde veteres ethnici finxerunt Aeacum¹, Rhadamanthum² Minoemque³ iudices apud inferos agere animasque mortalium ab iis iudicatas esse, ut demonstrarent nihil unquam sceleris impune committi et absolvi⁴.

Sed nos multo magis deterreri^a iudicii metu avocarique a malo debere; utpote qui non fabulis didicimus, sed ex veritatis aeternae ore hausimus, non fabulosorum aut fictorum iudicum conspectum nos subituros, sed vero Iudici veri Numinis Filio sistendos ad reddendam cogitationum, verborum operumque omnium nostrorum rationem. Qui Filius Numinis unius

^a sunt qui hoc verbum legunt: “detineri”

¹ “Aeacus” est Jovis filius. Regnasse dicitur apud Oenopiam, sive Oenonam. Hunc tantae iustitiae fuisse dicunt, ut apud Inferos animarum creditus fuerit a Plutone dilectus iudex cum Minoe et Rhadamantho, et peccantium peccata discutere et pro meritis poenas inferre. Cf. “Septem Linguarum Calepinus, Hoc est Lexicon Latinum” (SLL) , Patavii 81758, s.v. “Aeacus”.

² Rhadamanthus est filius Iovis et Europae, frater Minois [...]. Iustissimus fuit. Hinc a Poetis iudex inferorum fingitur. Cf.SLL, s.v. “Rhadamanthus”.

³ Minos est filius Jovis et Europae, Rex Cretae, qui primus Cretensibus leges dedit. Propter insignem iustitiam fabulati sunt, Minoem apud inferos iudicem animarum constitutum fuisse. Cf. ibid., s.v. “Minos”.

⁴ Cf. PARANDOWSKI Jan, “Mitologia”, Warszawa 1990, 155: “Oto na podwyższeniu wznosi się trybunał, gdzie siedzą trzej królowie: Minos, Ajakos i rudy Radamantys. Niegdyś sprawiedliwie panowali na ziemi, a po śmierci wola Dzeusa ustanowiła ich sędziami podziemia. Przed nimi stoją dusze, a oni ważą ich błędy i dobre uczynki [...]”.

soliusque post mortem atrocissimam tumulo surgens quadagesimum circa diem Regna caelestia intravit et inde, iuxta Apostolorum quempiam testantem, venturus est iudicare vivos et mortuos⁵.

Quod si indicia diem hunc decretorium praecessura, tam futura sunt horrenda, ut mortales ad mortem exoptandam compulsura sint⁶, quanto horribilior ipse actus iudicii et facies erit?

Recogitabis itaque utrumque Domini adventum, tam ad salvandum, quam ad condemnandum constitutum esse et te ad utrumque serio per bona opera praesentemque Communionem curabis disponere.

2. “Erunt signa” (ibid.).

Quamvis apertissima haec doctrina sit de signis, quae, futurum est, ut compareant ante diem iudicii, tamen non abs re tu illam sic potes expendere: cogita per solem Salvatorem mundi intelligi, qui est Sol iustitiae⁷; per lunam sanctissimam Dei Genitricem, de cuius venustate dictum est: “pulchra ut luna” [Cant 6, 9]. Per stellas, omnes iustos sanctosque Dei; quibus promissum est: “Fulgebunt iusti, ^asicut stellae^a” [Sap 3, 7].

Atque primum si[gnum] [f.3v] in sole futurum esse existima: furorem magnum, qui faciem illam in monte Thaboreio splendidissime lucere visam⁸, in valle Iosaphat teterrimis nebulis, subducto misericordiae et clementiae lumine, obscurabit⁹.

^{a-a} “*et tamquam scintillae in arundineto discurrent*” (BSV)

⁵ Cf. 2 Tim 4, 1: “*Testificor coram [...] Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos [...]*”. Cf. etiam: 1 Pet 4, 5 et Mt 16, 27.

⁶ Cf. Apoc 9, 6: “*Et in diebus illis quaerent homines mortem, et non invenient eam: et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis*”.

⁷ Cf. Mal 4, 2: “*... nomen meum Sol iustitiae, ...*”

⁸ *Sermo est hic de Transfiguratione Iesu Christi; cf. Mt 17,1-13; Mc 9,2-13; Lc 9,28-36. “Una tradizione costante, attestata già da Origene, da san Cirillo di Gerusalemme e da san Gerolamo, identifica nel Tabor il monte anonimo della trasfigurazione di Gesù” (Enciclopedia della Bibbia VI, Torino 1971, 741).*

⁹ Cf. Joel 3, 2. 12. *Vallis Iosaphat est “valle dove tutte le nazioni saranno riunite da Dio per il giudizio finale” (ibid. III, 1105).*

In luna, refugii et benignitatis lucem extinctum iri, iuxta illud: “Et luna non dabit lumen suum” [Mt 24, 29]; id est, beatissima Virgo Maria, quondam et nunc omnium nostrum Mediatrix apud Filium, pro nullo mortali in tribunali horrendo et iusto interpellatura est.

In stellis, hoc est, sanctis Patronis, omnem splendorem periturum, nimirum miserationes intercessioneseve cessaturas. Apostoli enim, sicut et alii divi, ne quidem hiscere die illa terribili audebunt, humano more loquendo: attoniti tantum, dicam etiam trepidi stabunt, ut dictum illud testatur: “Et^a virtutes caelorum movebuntur” [Lc 21, 26].

Quare ad tam metuendum tribunal et tremendi Iudicis aspectum, nulla alia praeparatione tibi opus esse censeas, quam optima et integerrima conscientia, quae nec divinum sola veretur iudicium.

3. “Et in terris pressura gentium” (ibid.).

Si, cum nostris temporibus aliqua inordinata et cruenta bella, pestes, fames et turbatum variis afflictationibus tumultibusque mundum intuemur, dicere soleamus, diem esse iudicii, aut similem iudicio extremo. Quid tunc dicturus es, cum invisam videbis, inaudita audies, Deum misericordissimum omnem misericordiam exuere? angelos trepidare? iustos pavere? Nam illo tempore, illo die, illo momento, et iustitiae iudicabuntur, discutientur et ad unguem examinabuntur.

Si, quando iudicium aliquod saecularis iudicis adimus, homines permetuunt et timore percelluntur atque sese ad idem variis modis comparant, maxime vero curant, ne scelere convincantur.

Quantopere tibi enitendum est, ut te simili ratione ad caelestis Iudicis tribunal praepares, praeterita peccata poenitentia digna eluendo, futura cavendo, praecipue [f.4r] frequenter et devote sacram Communionem frequentando, qua et culpae delentur et divinae Maiestatis furor placatur et conscientia quietem summam nanciscitur.

^a “nam” (BSV)

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Nam virtutes caelorum movebuntur” (Lc 21[, 26]).

Sive firmamenta caeli, sive angelos, per virtutes intelligas, ut[r]umque necesse est et profecto quam maxime, ut te commoveat commoneatque ad poenitentiam seriam et non seram. Si enim firmamenta ultimo illo die casura sunt, quid aliud expectandum universae creaturae erit, quam exitus horrendus peccatorum? Si angelicae virtutes, purissimae, sine labe, tremant, tu qua facie, quo vultu, quo animo ante Iudicem implacabilem consistes, cum sis plenus macularum faedissimarum?

Nunc ergo habes tempus acceptabile, tempus salutis; opera tua bona accepta esse Deo queunt: orationes, mortificationes, humilitas, patientia, labor, studium virtutum perfectionis; quorum ne minimam occasionem omittas exercendorum, ut secure praemium Regni caelestis et vocem illam optatissimam: “Venite” [Mt 25, 34] cum praedestinatis ovibus accipere excipereque possis ac pascua ingredi sempiterna. Amen.

2. “Tunc videbunt” (Lc 21[, 27]).

Considera Christum ad iudicandum venturum cum Apostolis suis omnibusque iis, qui suam crucem amplexi sunt; hoc enim ipse praedicens: “Vos”, inquit, “qui secuti estis me, [.....] sedebitis [.....] super sedes vestras^a, iudicantes duodecem tribus Israel” [Mt 19, 28]. Tunc crucis amatores adhaerebunt dexterae Crucifixi speque iam pleni, imo certi salutis et aeternae beatitudinis consequendae, miram hilaritatem et laetitiam praesferent. Abominatores vero et contemptores crucis laevam tenebunt, quos conscientia incredibili cruciatu affliget. Videbunt enim universa mala sua patrata et simul videbuntur; [f.4v] cum ibi, tam beatorum virtutes, quam damnatorum scelera, toti mortalium caelorumque immortalium catervae patebunt: et quae mortales tantopere occulunt peccando, ea universae creaturae universale iudicium manifestabit.

Habes igitur quod te avocet a quibusvis etiam levissimis imperfectioni-

^a “*duodecim*” (BSV)

bus et stimulet ad virtutem: facies, forma, terror, severitas futuri Iudicii. Neque te alia de causa Servator tuus pietissimus corpore ^a suo sacratissimo refecit, quam ut te ad currendum ad bravium incitaret et ad opera sanctorum suorum virtutesque imitandas alliceret animaretque.

3. “Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et maiestate” (ibid.).

Expende, quanta erit tunc eorum confusio, qui despexerunt Christum, sequi noluerunt, mactarunt, eo, quod ille instar sceleratissimi latronis in cruce mortuus fuerit, maiestatem illius dum circumspicient gloriamque! Contra, quod illorum gaudium cernetur, qui contemptum Iesum non tantum secuti, non solum professisunt, sed etiam praedicaverunt et amore illius praeter contemptus etiam mortem passi sunt. Descendet enim Vita nostra glorificato corpore, amictus Christus sole, tropheum crucis praeseferens, angelicis catervis divorumque agminibus stipatus.

Tibi itaque, ut huius maiestatis particeps fias, summus contemptus appetendus est, amplectendus est, mundi, inquam, tuique ipsius contemptus. Nam, “non sunt”, asserente Apostolo, “condignae passiones huius saeculi^b ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis” [Rom 8, 18].

DOMINICA II ADVENTUS

Ante Sanctissimam Communionem [f.5r]

Punctum 1. “^cCum audisset Ioannes^c” (Mt 11[, 2]).

Considera causam fuisse, quod Praecursor Christi suos ad eum delegaret, scitatum, an esset verus Messias? quia volebat in carcere illo Herodiano crudelissimo solatium habere ex eo, quod in vivis existens cognosceret iam venisse promissionem Patrum; et ne forte discipuli sui dubitarent, cui accessuri essent post obitum suum, ideo eos mittit, ut discant ex ore Christi,

^a in ms. erronee repetitur hic verbum: “corpore” ^b “temporis” (BSV) ^{c-c} “Ioannes autem cum audisset” (BSV)

quisnam sit, doctrinam eius, mores, personam videant et deinde sequantur.

Tu hodie non per legatum visitas, sed ipsamet Christum adis, anima mea; non idcirco tamen ad eum festinas, ut te soletur in carcere duro corporis existentem, nam illius consolationibus minime digna es, quem toties tuis sceleribus, ac praecipue in horto fatali, contristata es; sed ut scias, cui tibi adhaerendum sit: voluptatine? mundo? passionibus, quibus valde implicita teneris? an crucifixo huic Numini, quod te hodie immerentem et rebellem sanguine carneque sua tractaturum est? Age, quem sequaris; vide, ne dum tuae voluntati malae subiaces, iniuriam facias Deo, qui vult, ut sis una uni^a, et solum sola sequaris.

2. “Cum audisset Ioannes^b in vinculis opera Christi” (ibid.).

Expendes hanc rem admirandam, quod Prodrumus Zachariades¹⁰ utique iam ante Dominum cognoverat, cum eum sacro baptismo initiaret; nihilominus, quasi ignorans quis ille esset, operibus primo miraculisque cognitis, legatos ad eum expedit.

Hoc ipsissimum a te agi consideres, qui scis verum esse Deum in specie panis, qui vivificat et mortificat, salvat et damnat; tamen post tam frequentes Communiones conversionem veram non maturas et videntur tibi minime esse salutare. Siquidem, quo saepius sacram mensam [f.5v] accedis, eo peius langues in spiritu, tanquam non refectus unquam fortissimo cibo hoc spirituali.

Quid differs melius? an expectas opera eius? an extranaturales gratias moraris? atqui recogitandum tibi est, quem fructum ex datis hactenus tibi gratis collegisti, quod lucrum, quam piam usuram, ex talentis in te liberalissime effusis thesauro caelesti aggregasti? qua ratione, fervore, studio, auxiliis divinis cooperatus es? cum ergo hunc Dominum hodie accedis, qui a te rationem omnium donorum suorum requisiturus est, serio propone, nunquam te posthac emendationem vitae et bona opera neglecturum; quod ipsa re exequi conaberis.

^a in ms. erronee: “unij” ^b om. “Ioannes” (BSV)

¹⁰ Sic denotatur S. Ioannes Baptista, uti Prodrumus Iesu Christi et filius Zachariae.

3. “Tu es” (Mt 11[, 3]).

Cogita, qua orationis methodo usus sis, cum iam caeli Regem adiveris, quo supplicandi genere, qua rogandi norma, aut forma; hac utere humili, hac seria, nempe dicendo:

Tu es, Domine, Salvator meus, qui me tanto spatio expectas, ut convertar, et ego iniquus servus et transfuga tardo. Tu es, Domine, qui me poteris hactenus millies ad inferos iustissime ob mea scelera detrusisse et expectasti, ut respiscerem. Tu es denique, qui me advertens innumerandis faedissimisque maculis nefariorum facinorum defaedatum ad hoc sacrum sanguinis tui pretiosissimi lavacrum vocasti, ut ablueres, misericordia sola ductus.

Et en, venio, adsum et prae foribus thermarum sanctarum salutarium-que stans pulso abluque a te, misericordissime Iesu, omnes meae sordes animae humillime expostulo, iam ad cor reversus, iam morbum meum et lepram periculosissimam et phtysim acerbissimam vitiorum ac tepiditatis agnoscens. In tuum ego, cum lotus expiatusque fuero, amplexum ruam et suave eucharisti[c]on. Sumpta sacratissima Eucharistia, in gremio directionis dilectionisque tuae quiescens, occinam: “Adhaesit anima mea [f.6r] post te, me suscepit dextera tua” Domine (Ps [62, 9]).

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Caeci vident” (Mt 11[, 5]).

Expende responsum Magistrae Veritatis: non aperte dicit, se verum esse Messiam, sed tantum signa aperit, quibus in eius cognitionem deveniant Ioannis discipuli. Non enim Ioannes divus eum Salvatorem mundi ignorabat, sed discipulos ignorantes ad eum misit, ut quis esset discerent eumque sequerentur.

Tu, scito te veram Christi gratiam in sacratissima Communionem accepisse, vero lumine veri Messiae, Solis aeterni, illustratum esse, si vides illius signa; hoc est, si tuas imperfectiones, exactae vitae negligentias defectusque actionum tuarum agnoscis, advertis, et poenitentia tollendi illos habes animum. Illud enim verum lumen Dei est in nobis, quo peccata

nostra cernimus. Nam, sicut solares radii domum penetrantes quasque illius sordes detegunt, omnem turpitudinem ostendunt, ita Sol iustitiae Christus Deus noster animae habitaculum, cordis penetrabile, intrans, omnes illi maculas et labem unamquamque demonstrat, quam noxarum tenebris obruta videre unquam non potuit.

Si itaque hoc modo illuminatus es, maximam gratiam hanc a Deo tibi collatam reputa, et in lumine atque Sole dehinc ambula: neve a te amari tenebras videaris, si odio Solem prosequaris.

2. “Claudi ambulant” (ibid.).

Expende hos esse effectus sanctissimae Eucharistiae sumptae: videre, ambulare, non infirmari, vivere, evangelizare: quod exactius latiusque trutina. Videre est: praesentia divina semper versari [f.6v]; ambulare est: imperfectiones quaslibet vitare et stadio in virtutum viriliter et indefesse progredi; mundari est: a peccatorum sordibus expiari per poenitentiam; sanari est: ab infirmitate animae et contracta peccandi consuetudine convalescere et cessare; resuscitari est: a morte spirituali, quae gravior longe corporea nece est, resurgere per gratiam Vitae immortalis. Pauperem evangelizare est: donis Spiritus Sancti nullis nostris meritis abundare thesaurosque scientiae, virtutum, a Rege caelesti sola illius ex gratia accipere, acceptos possidere, possessos prudenter et liberaliter erogare in proximorum salutem et obsequium animaeque suae emolumentum.

Denique in paupertate evangelizare est: e peccatore poenitentem, e^a vili homuncione, immortalis Verbi vel servum, vel praeconem esse, et humano intellectu inscrutabilia divinarum rerum mysteria penetrare, pandere aliosque ac seipsum quidem primum, docere et verborum sono, et virtutum exemplo.

Quas dotes si tu habes, certo tibi persuadeas Spiritum Sanctum in te quiescere, Sanctissimi Sacramenti effectum sortiri et per Dei clementiam, gratiam, misericordiam, unum e tribuum Israelis signatis esse, vitae aeternae designatum.

^a in ms., ut videtur, erronee: “et”

3. “Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatum?” (Mt 11[, 7]).

Admirare et obstupesce humillimi Ioannis sanctitatem, quae ipsum Verbum Dei in carne meruit habere encomiastem; nec immerito. Quandoquidem pro vate visitatus, arundinem se esse fatetur¹¹; pro Elia existimatus, vocem clamantis in deserto se proclamat existere¹²; rogatus num esset Messias, indignum se esse [f.7r] qui Messiam excalcearet confessus est et non negavit¹³.

O me, mi Iesu, arundinem merissimam! qui tam male detractionum distractionumque insurgentibus euris exagitor, quam vanae gloriae blanditiarumque insurgentibus favoniis, adeo ventilor! quam nihil in me Ioannis divi perfectionis et sanctitatis reperitur! O sanctissime Aeole¹⁴, Iesu mi! seda, seda hos furentissimos et freno in antro cordis mei, quod hodie ingressus es et quod semper tuam in potestatem submitto, ventos; averte procellas, compone fluctus, paca tempestatem, elationis, furoris, impatientiae; quoniam ego in conspectu tuo et omnium creaturarum non pulvis exiguus, qui alicui rei convenire potest, sed canis faetidissimus sum.

¹¹ *Non potui talem assertionem Ioannis Baptistae de seipso uti arundine in Evangeliiis invenire.*

Iesus clare similitudinem Ioannis Baptistae ad “arundinem vento agitatum” negat. “Ioannes enim non est arundo quae vento huc et illuc agitur, ut leviter aliquid asserat, ac postea idipsum ob dicta hominum reciprocet et revocet; sed est velut quercus, quae immota in veritate et constantia contra omnia laudantium et detrahentium flabra consistit [...]. Quin et vos ipsi [...] creditis illum non esse virum levem, qui mutetur ut arundo, sed serium et constantem, qui a Deo agitur, ut quod semel dixit, hoc semper dicat” (CORNELIUS A LAPIDE, Commentaria in S. Matthaeum : CLCE I, 387).

Notandum est quod P. Papczyński alibi in arundine etiam aliquid positivum (humilitatem et obsequentiam?) videt alumnisque in collegiis Scholarum Piarum pro imitatione commendat; cf. “Apologus De quercu et arundine”, in: “Prodrum Reginae Artium” I, Cracoviae⁴[1669/1670], Num.I, c. I.

¹² Cf. Io 1, 23.

¹³ Cf. Io 1, 20. 27; Mc 1, 7.

¹⁴ *Aeolus, Jovis filius, rex ventorum; cf. PARANDOWSKI, op.cit., p. 113: “Dzeus oddał mu pod straż wszystkie wiatry: raz je ucisza, to znów dąć im każe”.*

DOMINICA III ADVENTUS**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Tu quis es” (Io 1[, 19]).

Hodie, anima mea, descende ad teipsam et inquire ex te, quid sis: quam praestantissima Dei creatura! tamen peccatrix, quam innumeris beneficiis affecta, ornamentis decorata! et nondum grata; quam plurimis sacris Communionibus admissa! et nusquam cum fructu inde recedens; nam quam adhuc negligens es, parum humilis, mundi, et non solius Dei amatrix; quam frigida, segnis in opere bono, inconstans et non perseverans in generosis propositis; quam temulenta, fastuosa, inflata.

Sed heus, scisne, quis tibi nunc adeundus est? hoc coram maxime tui cognitioni attendas; ibi te discute, inspice, interroga quid sis et quid ille sit, ad quem sumendum admittere, ut ex tua parte digne eum sumas; sumes autem, si te in eius praesentia summe annihilaveris et tuorum defectuum accusaveris. [f.7v]

2. “Vox clamantis” (Io 1[, 23]).

Obstupesce, anima mea, ad tam inauditam auditam demissionem: vocem se hic appellat et in solitudine, non templis exedrisque vociferantem, quem mactat Verbum Patris summo encomio, plus quam Prophetam asserit et omnibus, qui praecesserunt mortalibus praefert; digna fuit, digna tanta humilitas tanto Encomiaste.

Unde conice, quo pertingat sui vilipensio; quam necessaria sit ad sublevandam animam in sedes aeternitatis felicissimae; nam, siquidem humilitas et sui contemptus nos Deo Amori caelesti caros efficit, effectura est eadem, ut propter eam excelso Regno donemur et aeternum vivamus cum Altissimo.

3. “Parate^a viam Domini” (ibid.).

Considera apertam et regalem viam ad nos Deo patere, per voluntatis nostrae cum illius voluntate conformationem; neque enim, hac absque

^a “*Dirigite*” (BSV)

Filius Dei uterum Virginis intemeratae ingressus fuisset. Quod si ad humanum pectus aditum aperuit conformatio resignatioque Deo et effecit ut homo fieret; eadem illi ad tuum cor viam paratura et datura est.

Ita est, Pater aeternae, nullum donum caeleste, nulla gratia, nulla fere virtus intrare in animam meam poterit nisi fuero resignatus. Subicio itaque omnes meos sensus tibi, dedo cor; gubernata illa, ut per veram resignationem verum et liberum mentis assequar dominium. Paratum tibi cor meum: fiat voluntas tua. Ecce ego servus tuus, quid me vis facere?

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Propheta es tu? et respondit: non” (Io 1[, 21]).

Expende causam esse, quod Christi Praecursor a Christo Domino

[f.8r] Prophetis praeferatur, summam eius demissionem poenitentiamque. Ac proinde tibi persuade, poenitentiae potius humilitatisque actibus esse incumbendum, quam dona prophetiae appetenda gratiaeque supernaturales. Non est certitudo gratiae in vaticiniis reposita; neque omnes qui futura praedixerunt, salutis Regnum ingressi sunt. In poenitentia vero et humilitate magna salvandi spes sita est; imo earum [actus^a] altera clavis est caelestis, altera scala.

Non multum ecstases, mentis elevationes, dulcor et sapor devotionis iuvant ad beatitudinem; haec quippe et peccatoribus maximis quandoque conceduntur; sed dolor de peccatis, poenitentiae exercitia mentem in spe roborant, merentur indulgentiam divinamque nobis conciliant Maiestatem. Fuit Saul inter Prophetas, sed praestantior inventa est Davidis poenitentia, quam Saulis oracula¹⁵. Inveniri possint homines in vita devotissimi et miraculis clari, reprobati a Deo; poenitentem nullum, qui non salvetur, reperias. Nempe miracula, devotio, futurorum scientia parit elationem; poenitentia abluit peccata, caelum aperit, Deum lucratur, fovet humilitatem, quae procul dubio in astris collocatur.

¹⁵ Forsitan “oraculum” dici potest id, quod de Davide uti futuro re Saul praedixit (cf. 1 Sam 24, 21). Nullibi tamen rex Saul uti propheta nominatur.

^a Evidenter in transcriptione ob inadvertentiam tale verbum (vel “exercitia”) omissum est.

2. “Quid ergo baptizas?” (Io 1[, 25]).

Attente stultitiam examina legatorum ad Ioannem sanctum missorum a sinagoga fraudulenta: quam quis non arguat? Putabant illum propriis viribus humanis facere omnia, quae exterius videbant, non Spiritus Sancti vi, quem intus Divum informantem et gubernantem ignorabant habitare.

Ex quo disces Superiorum tuorum, Patrum Spiritualium, Maiorum voces, actiones, consilia, esse Dei opera, a quo excitantur, reguntur, ducuntur, cumque aliquid patrari ab iis admirandi et sancti vides, Deo id adscribe et a [f.8v] dextera Domini factam esse virtutem adverte, lauda, celebra, hominem sine gratia Dei, quasi arborem sine radice, vitem sine succo, instrumentum absque artifice reputans. Praecipue illa, quae a te aguntur, si laudabilia, si probata fuerint, Deo annumerare studeas et velis.

3. “Confessus est, et non negavit” (Io 1[, 20]).

Expende celebrem, fructuosam, et valde necessariam viris spiritualibus personisque Deo servientibus rem esse, ut illa, quae laudabiliter agunt opera, et dona, quae possident, tegant et quantum possunt occultant.

Hoc divum Ioannem Baptistam facere audis et cognoscis; qui, quamvis se Prophetam appellare et fateri possit, cum aliquid amplius, quam Propheta sit et tamen nihil aliud se ait esse, quam vocem.

Alterum in Divo hoc exemplum veritatis imitandum tibi: quia confessus est et non negavit, hoc est asseruit se nihil nullumque eorum esse, de quibus interrogatus est. Quae veritas tanti momenti apud Deum est, ut ipse Christus Veritatem se appellet, veritatis sibi nomen titulumque usurpet. Atque id non aliam ob causam, quam quod veritas humilitati summopere consentanea et affinis sit; imo (quod Teresia divinitus diva intellexit), nihil aliud est humilitas, quam veritas, et veritas, quam humilitas¹⁶.

Tuos igitur defectus, patere omnibus, ne verearis, et quid metuas, vel non audeas illud nunc aliis revelare, quod toto olim coram caelo, mundo Ereboque revelabitur et patebit?

¹⁶ Cf. ROYO MARIN Antonio, “Teologia della Perfezione Cristiana”, Romae 1960, p. 733: “L’umiltà é, anzitutto, luce.[...] verità, non bacchettoneria né negazione delle buone qualità che si sono ricevute da Dio. Per questo diceva S. Teresa che l’umiltà é ‘camminare nella verità’”. Vide infra, p. 412, no.39.

DOMINICA IV ADVENTUS
Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Parate viam Domini” (Lc 3[, 4]).

Sicut Ioannes eo tempore, quo in mundum mundi Salvator veniens ad docendum se accingebat^a, homines, ut pararent viam Domini [f.9r] et se ad excipiendum Messiam disponerent, excitabat, ita tu teipsum excita, cum ad te idem Dominus sub specie panis et velo latens, appropinquat. Para viam Domini et animam tuam ad excipiendum totius mundi caelique Dominum, anima, dispone.

Si enim, cum regum quispiam apud regem alterum hospitaturus est, omnia palatia ornantur, auro argentove; omnia venuste et exquisite mundantur, progreditur venienti hospiti obviam longo spatio, longe convenientius est te, religiose, operam dare, ut adveniente caelesti Imperatore et omnium regum Domino ad te, omnia interna mundes, palatium cordis tui, in quo hospitio perfruiturus est, exornes eique obviam summo desiderio et affectu procedas.

2. “Parate”, etc. (ibid.).

In eadem poenitentiae necessitate expendenda perstabis, considerando et proponendo tibi sanctam peccatricem Magdalenam ob oculos, cui quanquam Salvator ipse oretenus peccata dimiserit, tamen illa post eius ad caelos ascensum strictissimam in eremo iniverat poenitentis vitae rationem. Licet enim sciret praeteritos lapsus fuisse sibi condonatos^b eorumque veniam plenam accepisset, tamen a futuris cavendo poenitentiae rigore sese contra veteris hostis gravissimos insultus armavit¹⁷.

Quid tibi agendum existimas? quos poenitentiae et quam diuturnos actus exercendos? qui quotidianis defectibus poenam tibi accumulatas et forsitan idcirco tam frequenter delinquis, quod elapsorum lapsuum exacta poenitentia viam futuris non praecludas et neglecta praeteritarum culparum satisfactione, imminentibus gravioribus viam sternis. Sicut enim peccatum

¹⁷ Cf. *infra*, p. 292, no. 62.

^a in ms. *erronee*: “aucingebat” ^b in ms. *erronee*: “condonatus”

praecedens insequentis est occasio [f.9v], sic poenitentia post lapsum suscepta, futuros lapsus arcet et propulsat. Et haud quisquam in mundo poterit a relapso cavere, si pro elapsis non digne satisfecerit et ad rigidam veramque et fixam poenitentiam non adiecerit animum. Recte Apostolus se fecisse testatus: “Castigo”, inquit, “corpus meum, et in servitatem redigo” [1 Cor 9, 27]. Quamobrem? ne ad ipsum praeteritae consuetudines peccandi et contracti inveteratique habitus vitiorum revertantur.

Hoc ipsum tibi agendum puta: poenitentiae insiste. Nunquam securus a malo es, nisi illi obstaculum poenitentiae deponas; si poenitentiam neglexeris, revertetur tentatio, peccatum, cacodaemon ad te, assumptis sociis fortioribus ad oppugnandam animae tuae voluntatem; et verendum, ne fiant novissima peiora prioribus¹⁸.

3. Expende, nullam praeparationem tutiorem melioremve, tam ad ipsum Iesum suscipiendum, quam ad dona illius obtinenda, inveniri posse, poenitentia. Docet te istud vox clamantis in deserto divus Ioannes: quem, cum ingens mixtae plebis multitudo et elati supercilii Pharisaeorum Scribarumque greges adirent, ut se ad excipiendum Messiam disponerent, eos ad poenitentiam cohortatus monebat: “Facite ergo ^adignum fructum^a poenitentiae”.

Quare cum tu hodierno sole illum, quem summo desiderio Hebraea gens expectabat, aditurus, suscepturus manducaturusve sis, confuge ad poenitentiam, ut per illam facillimus ad te Salvatori communi aditus patefiat; et ita istius virtutis exercitium apprehende, ut prius mundo, et corpori, quam poenitentiae valedicas: prius emoriaris, quam mortificationem abicias. [f.10r]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Factum est verbum Domini” (Lc 3[, 2]).

Magni faciebat Ioannes, quod spiritu et verbo divino impletus, adventum Christi mereretur declamare. Tu, quanti facturus es, quod

¹⁸ Cf. Mt 12,43-45.

a-a “*fructus dignos*” (BSV)

Verbum ipsum, ipse Deus seipsum, non verba sua, ad te demiserit? Alii perfruuntur mira dulcedine communicantes, alii elevantur mente et animo, atque toto corde absorpti in Deo haerent: no[n]nullis multa e secretioribus Dei arcanis patefiunt; quibusdam visiones apparent et miri favores hanc ad mensam divinam exhibentur.

Sed tu opta et hoc unicum optimo a Numine expostula: ^aut haec sancta Communio, non sit tibi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam^a; ut causet in te Dominus mutationem sensuum, causet veram et constantem poenitentiam, causet proprium contemptum, abiectioem (nam non es ex amicis primae admissionis, sed peccator), denique misereatur tui et benedicat tibi, illuminet vultum suum super te et te via perfectionis inventa regia communique magnis viris spiritualibus ducat.

2. “Et venit in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae” (Lc 3[, 3]).

Recte poenitentia sacramento Baptismi non confertur, sed baptisma appellatur¹⁹. Sicut enim omnia peccata fonte Baptismatis abluuntur, ita omnes naevi scelerum tolluntur per poenitentiam. Hinc qualiter serpens strictissimum foramen ingressus cutem veterem exuit, ut novam assumat, **[f.10v]** taliter peccator arctissimam poenitentiam complexus, antiquum hominem, hoc est mores improbos, inveteratas consuetudines deponit et novam innocentiae vestem resumit, iuxta illud divi Pauli: “Induimini [.....]Iesum Christum” [Rom 13, 14].

Quemadmodum igitur praedicatio Ioannis homines per poenitentiam ad excipiendum Messiam disponebat, hoc modo te disponi opus est, isto, quod tibi corde in tuo perorat Verbo, per poenitentiam ad eiusdem Verbi adventum mortales iudicaturi. Ubi poenitentiae dediti homines laetissimo pectore, serenissimo vultu, illum Iudicem aspicient: nam licet visuri sint peccata sua in conscientia, tamen amplius minime eorum causa suffundentur erubescuntque, sed deleta baptismo poenitentiae intuiti, mira laetitia exultabunt.

¹⁹ Cf. CCE 980: “Poenitentia ‘laboriosus quidam Baptismus’ [...] dictus”.

^{a-a} Sunt verba desumpta ex Oratione S. Thomae de Aquino, pro gratiarum actione post Missam adhibita, loco tamen “tibi” ibi legitur “mih”.

3. “In remissionem peccatorum” (ibid.).

Si Ioannis baptismi lavacrum Hebraeos ad indulgentiam peccatorum obtinendam, aut petendam disponebat; longe efficacius est sanctissimum Domini nostri corpus ad eandem consequendam: ibi servus flumine corpora abluebat, hic Dominus sanguine animas purificat; ibi operabantur verba praedicantis, hic operantur virtutes permanentis in te Christi. Ioannes ad veniam culparum petendam populos mira dicendi gratia et efficacia excitabat, et per fructus poenitentiae consecuturos illam rebatur.

Christus, quem suscepisti, ipse tibi e cathedra cordis perorat, ipse animat ad poenitentiam, ipse dimittit scelera, ipse dat veniam, ipse indulgentiam [f.11r] confert. Quare, ut regratifices tuo Domino, fac dignum fructum poenitentiae et te amore eius, in quibusdam, praesertim proprio iudicio, cupiditatibus pravis, voluntate perversa, mortifices, aliquid de tuo tantae Maiestati condonans.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “^aErant Ioseph, et Maria^a mirantes super his, quae dicebantur de illo” (Lc 2[, 33]).

Mirabatur Sancta Mater cum tutore Sancto coniuge verba Simeonis et prophetiam de unico Dei et suo prolatam. Tu admirare tuam ineptitudinem et inhabilitatem in spiritu progrediendi. Nam neque aliorum consilia amplecteris, neque ductum divinorum instinctuum sequeris, quoties, vel ad tui abnegationem traheris, vel, ut aliorum persuasionibus et doctrinis prudentiorum te acquiescas stimularis.

Sed est aliud quod magis admirare^b his omnibus in praesenti sacra Communionem: nempe sub orbiculo panis, iam quidem in corpus transubstantiati, incomprehensum Deum-Hominem manere: se omnibus

a-a “*erat pater eius et mater*” (BSV) b *in ms. erronee: “admirere”*

distribuere, et tamen integrum esse; ac, quod maioris stuporis est, aequè probis atque improbis escam fieri.

Tu desidera et da operam, ut optime paratus suscipias panem caelestem “omne delectamentum in se habentem” [Sap 16, 20] ac fructuosissime; quod utique tua in voluntate animoque situm est.

2. “Et benedixit illis Simeon” (Lc 2[, 34]).

En, qua ratione sese, tam divus Iosephus/*s*/, quam sanctissima Prens, imo ipse Deus Iesus coram uno senecione humiliant! et [f.11v] benedictionem expectant^a!

Tu aliis praeferre te audebis? multum de te tuisque sentire? magni te aestimare et aestimari velle? sensus proprios alteri non subicere? Atqui id hodie docet Iesus Infans cum sua Virgine Matre sese Simeoni et legi Mosaicae submittentes, a qua excepti supernaturali sunt privilegio. Nam scias aliam scalam non esse ad sidera vitaeque aeternae mansionem, quam humilitatem: tantum quippe in altum ascendimus, quam profunde nos aliis subicimus.

Veram igitur pete ab hoc Domino humillimo, cuius corpore perfruiturus es, humilitatem infundi tibi et instillari: qua habita, felix tu actionibus in tuis, felix in vita et in morte.

3. “Non discedebat e^b templo, ieiuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die” (Lc 2[, 37]).

Ab hac sancta vidua Vate discere potes orandi perseverantiam, discere orandi locum, discere adiumentum orationis et assiduitatem. Propone eam tibi in exemplum, quae in templo orationes fundebat ieiuniisque eas atque excubiis condiebat et indesinenter precabatur: felicissima talis precatio, vera, non reprobanda.

Nunc vero Deum, in sanctissimo Sacramento degentem, adiens, cum maximis, humillimis multisque precibus adito et progredere. Nam sicut

^a in ms. erronee: “expectent” ^b “de” (BSV)

homines exornant corpora pretiosissimis quibusque vestibus convivia magnatum adituri, ita tibi ornanda est anima ituro ad convivium praestantissimum supremi regum, ad caenam magnam caelestis Patrisfamilias: at quo venustius ornabitur, quam oratione?

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ecce positus est hic in ruinam, [f.12r] et in resurrectionem multorum” (Lc 2[, 34]).

Quid audis? Propheta appellat Dominum Principem Pacis, et Simeon vocat multarum ruinarum auctorem, positum in ruinam multorum. Sed recte subiecit, etiam in resurrectionem positum esse, ut intelligas, Christum Dominum venisse in mundum partim, ut aedificet; partim, ut destruat, diruat destruatque ea, quae daemonis opera steterunt; restauret illa, quae Dei manu facta eiusdem astutissimi Ulyssis infernalis²⁰ astu diruta sunt. Et numquid et angeli non cecinerunt: “In terra pax hominibus” [Lc 2, 14]? Verum, ne putes, omnibus hominibus veniente ad terras Deo-Homine pacem datam esse, subiecerunt, bonae tantum voluntatis hominibus illam concessam.

At tibi, utinam hic Dominus, modo a te susceptus, sit in resurrectionem! ut tuis ex imperfectionibus resurgas, nam est hora iam de somno surgere²¹; sit in ruinam, illa diruendo, quae orci architectus cacodaemon in corde tuo animoque fabricavit: haec ille destruat et destructa Spiritus Sancti fundamenta resarciat restauretque.

2. “Et tuam ipsius animam pertransibit gladius” (Lc 2[, 35]).

Sic Divina Sapientia novit adversa laetis, laeta adversis permiscere: nunc dulcissimo melle perfundit sensus, nunc amarissimum iis ingerit fel; tu causam disce, cur hoc faciat? ne videlicet inter suavia corrumpantur.

²⁰ *Auctor comparat daemonem infernalem ad Ulyssem, qui notus est uti “astuto guerriero” et “autore della frode che rovinò Troia”, i.e. agitur hic de astu “del cavallo troiano, nel quale egli sarebbe stato a capo dei Greci ivi rinchiusi”; cf. DE SANCTIS G., s.v. “Ulisse”: EI XXXIV, 630-632. Cf. PARANDOWSKI, op. cit., pp. 255-257.*

Nam sicut sale condimus fercula propter conservationem, ita sapientissimus rerum auctor rectorque amara permutat suavibus, suavia acerbis mentemque nostram post blandas [f.12v] delicias et recreabiles voluptates, duro afflictionum malleo contundit, ne inficiatur elationis sordibus, si fruatur semper secundis et sub condimento calamitatum diutius, quin continuo, salva, incolumis et incorrupta duret.

Hoc ipsissimum castissima Genitrix et Virgo experta est. Cui sapientissimum Numen inter festa tripudia dolorum gladiis pectus transverberabat; cuius singula gaudia singuli maerores comitabantur: non quidem eam ob causam, ut animus nescius labis et semper virentissimus condiretur, sed ut firmaretur melius maioremque gloriam in pacis aeternae domicilio ac regione reportaret.

Disce, tu, forti animo esse in adversis, quae sequuntur fugientem hilaritatem, maeroribus; nam brevi post graves tempestates malatiam optatissimam Deus optimus reducet, si noverit eam tibi conducere. Quod si assiduis fluctibus exagitaris, credas id sapientia providentiaque Dei fieri: qui, ne consumaris ab iniquitatibus et in faetore peccatorum pereas, diuscule^a te exercet tribulationibus in iisque tamquam in sale aliquo animum tuum tenet.

3. “Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes” (ibid.).

Ecce tibi rationem, cur Dominus tempestatibus frequentioribus in hoc mundi salo nos sinit impugnari: et quasi fugiens nauclerus natantes naves, animas nostras sine gratiarum favoniis relinquat, tentationum, tribulationum et maerorum fluctibus involvat, ut experiamur, quid sine illo valeamus, quam constanti animo simus, qui heroes, bellatores, viri. “In tentationibus”, quidam ait, “et tribulationibus probatur homo quantum profecit; et ibi maius meritum existit^b: et virtus melius patescit”²².

^a in ms. forma inusitata “diutiuscule”

²¹ Cf. Rom 13,11.

²² THOMAS à KEMPIS, “De Imitatione Christi” (ICK), Romae 1925, p. 36 (l. I, c.13, “29). Verba allegata in margine citantur.

Solent aquilae pullos in aerem sublevare et inde dimittere, ut propriis alis volare discant. Hoc facere Parens noster Deus nobiscum [f.13r] consuevit. Portat nos gestatque suis manibus, ducit, sustentat; et in momento inopinate relinquit dimittitque, ut ipsi currere discamus: sicut facit pater vel nutrix cum infante, quem gressus figere docens, nunc dextra ducit, nunc bacellum tradit, ut fulciatur; et demum etiam hoc accepto, sine ullo ductore, sine sustentaculo ambulare iubet.

Sed docet praefatus religiosissimus vir, quid in talibus derelictionibus agendum sit, ad spem et orationem cohortans. “Non debemus”, ait, “desperare cum tentamur; sed eo ferventius Deum exorare: quatenus nos in omni tribulatione dignetur adiuvare; qui utique secundum dictum Pauli, talem “faciet [.....] cum tentatione proventum” atque tribulatione, «ut possimus^b sustinere» (1 Cor 10, 13)”²³.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et cum esset factus annorum duodecem” (Lc 2[,42]).

Cum audis Iesum duodennem cum sanctissimis parentibus Ierosolymum templum petere, admirare pietatem et considera tuos mores, actus statumque similis tuae aetatis. Tunc tu Deum offendere incipiebas, tunc protervae iuventuti frena solvere, tunc in omne malum scelusque ruere: o quam contrarius Christo! Duodecimus vitae annus Servatoris tui stupendae pietatis exempla attulit; tibi cuiusvis improbitatis initium dedit.

Imo hos reliquos in domo Dei annos qualiter consumis? quam tepide! oscitanter! insolenter! Vide, ne, dum veste religiosa Iesum videris imitari, moribus latronem, peius quam saecularem repraesentes. Status religiosus neminem salvat, sed vita religiosa.

^a “consistit” (ICK)

^b “possitis” (BSV)

²³ THOMAS à KEMPIS, *op.cit.*, pp. 35-36 (l. I, c. 13, “27). In margine citatur:

Audisti forsan damnatum illum militem, qui Religionis cuiusdam institutum amplexus habitum militarem cum religioso, non habitus commutavit; ac proinde post mortem in cauda equi vestem religiosam referens ex inferno comparuit²⁴.

Superi avertant, ne tu [f.13v] si nomine tantum, non re simul religiosum egeris, si a saecularibus consuetudinibus malis non recesseris, si tuae vocationi non responderis, similem exitum infelicissimum habeas.

2. “Requirebant eum inter cognatos, et notos” (Lc 2[, 44]).

Non potuit castissimus Iosephus[*s*] cum sanctissima Virgine coniuge Puerum Iesum invenire inter amicos, familiares sanguineque iunctos. Neque, tu, eundem invenies in confabulationibus, curiosa lectione, mundo, plateis, cogitationibus a tuae vitae genere alienis et saecularium conversatione.

Audi enim quid dicat Hipponensis Praesul, et Doctor Augustinus, qui ibidem hunc Dominum multo tempore quaeritabat: “Circuivi”, ait, “vicos et plateas civitatis huius mundi, quaerens te,” (Deus) “et non inveni: quia male quaerebam foris, quod erat intus. [...] Mecum eras, et tecum non eram: ea me tenebant longe a te, quae esse non poterant, nisi in te”²⁵.

Intus est Deus quaerendus; domi in continuis mortificationibus, non foris inter vanas oblectationes. Nam quidquid curae demum in Deo reperiendo consumas in cassum abibit, nisi eum inquirendo te mortifices. Scis ubi reperitur Deus? ubi homo relinquitur. Scis ubi Christus invenitur? ubi propria voluntas amittitur, mortificatur, mactatur.

3. “Invenerunt eum^a in templo sedentem in medio doctorum” (Lc 2[, 46]).

Ecce tibi quaesitus triduo Puer sanctus, Puer caelestis, tandem in templo invenitur: hic, hic illum quaere etiam anima mea.

a “illum” (BSV)

²⁴ Non potui invenire ullum fontem litterarium in quo daretur confirmatio huius eventus; nescitur de quo religioso e milite facto exemplum hic datur.

²⁵ AUGUSTINUS, “Soliloquia”, in: “Meditationes, Soliloquia et Manuale”, Lugduni-Parisiis 1861, pp. 155-156 (c. 31, §§1. 4).

O si frequentior templa adires, saepius perditum Iesum in iis invenires! Quando tibi illius praesentia suavis subtrahitur, ubi est, praeter templum quaerenda, in quo semper praesens est corporaliter? Affligeris internis externisque molestiis; templum pete, consolationem referes. Indiges ope Dei tuis in negotiis, idem adeas; et aderit ibi, qui tibi opituletur. Et nunc ad sanctuarium eius propera, ingredi, ibi a te reperietur. [f. 14r]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Stupebant autem omnes” (Lc 2[, 47]).

Quid stuporem movebat doctoribus? quid admirationem, qua in Christo defixi erant? Prudentia et sapientia illius. At qui, o anima mea, maior Dei prudentia vix esse potest, quam coniungere homini Deum et utrumque homini peccatori, qualis tu es, dare; non stupes tamen hanc sapientiam, non admiraris, non extollis.

Mirabantur Israelitae, cum e capite Moysis, Deo collocuti, quasi cornua prominentia²⁶ cernerent. Tu, non miraberis, non Moysi Deum colloquentem, sed tecum in corde tuo disserentem, tibi immanentem; et non veneraberis? Timebat Hebraeus populus sermonem cum Deo habere et aiebat: “Loquere tu”, Moyses, “nobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur” (Ex 20[,19]).

Verum ad te Hebraei populi Rex blande amiceque intrat, deposita maiestate, in specie panis, in parvo orbiculo. O bonitatem! o stuporem! o admirationem! Loquere illi, non metuas et quodcunque docuerit te, ad unguem serva.

2. “Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?” (Lc 2[, 49]).

En duodennis Puer, iam sese recollegit in tanta aetatula, quam ob causam in mundum venerit; iam sollicitus est de adimplenda Patris

²⁶ Cf. Ex 34,30: “videntes [...] cornutam [Italice: raggianti] Moysi faciem”, secundum versionem litteralem verbi “qaran”, quasi revera “cornua” e capite Moysis prominerent (cf. nota ad Ex 34, 29 in “La Bibbia di Gerusalemme”, 1980). Quod videri potest in famosa statua Moysis a Michelangelo sculpta.

voluntate.

Et tu refrica tibi mentem, quamobrem Religionem sis ingressus; priora proposita vitae morumque emendandorum commemora, revoca tibi que persuade, nobilissimam esse maximamque perfectionem, divinam voluntatem peragere seseque illi conformare.

Haec est omnium divorum, Patriarcharum, religiosorum via tritissima ad caelum. Abrahamus [s²⁷] enim filium Deo immolare ad nutum eius voluit. Tu exemplum illius secutus aliquid eidem Domino immolare debes. Egressus [f.14v] Abrahamus[s] e terra patria ad vocem divinam omnes suos reliquit²⁸.

Tu quoque egressus oris natalibus in oram quam Spiritus Sancti digitus per religiosam vocationem demonstravit tibi, tuos malos habitus et quasi consanguineas sociasque passiones desere atque in monte Moria, hoc est Religione, Isaacum tuum unicum, unicam, inquam, voluntatem tuam uni Numini optimo potentissimoque consecra, dedica, immola; et in omnibus iuxta doctrinam aeternae sapientiae, sive actionibus, seu propositis dic: “Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra” [Mt 6,10]. Fiat, Domine, voluntas tua mecum omni momento, hora, die et aeternitate.

3. “Et erat subditus illis” (Lc 2[, 51]).

Celsissimam obedientiae virtutem te nunc docet Christus, non verbis prolixis, sed compendiosa exemplorum doctrina, quando eum voluntati parentum subiectum esse contemplaris. Plus ego hic stupeo, Iesu, te submisce Iosepho[s] obedientem, quam admirabili verborum et scientiae vi doctores Israeliticos convincentem. Quid enim est stuporis, quod sapientissime disceptaveris, cum aeterna Sapientia sis? Sed quis mirari nequeat, te caeli Dominum, parentibus, Deum, hominibus obtemperare, sponte subici?

Agnosco, mi Iesu, praestantiam virtutis obedientiae et necessitatem ex te. Necesse enim fuit ut parentibus obediret is, qui postea carnificibus suis

²⁷ Nomen “Abraham” retinetur in Biblia Sacra Vulgatae editionis in forma hebraica, et uti tale est verbum indeclinabile.

²⁸ Cf. Gen 12, 1-5. 22, 1-12.

paruit et cui totus mundus obtemperaturus erat. Quod si eum homines vicini vel cognati Matri Virgini patrique existimato Iosepho rebellem advertissent, malo esse spiritu circumventum, hypocritam et fastuosum potuissent suspicari. Verus enim omnis sanctimoniae testis est et argumentum obedientia. [f.15r]

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae” (Io 2[, 1]).

Magnus et celebris actus nuptiarum apud mortales habetur ad eumque maxima sese diligentia praeparant, exornant, vestiunt.

Te hodie immortalis Sponsus ad nuptias invitat anima mea: ad nuptias caelestes, in quibus convivium, omnia mortalium convivia superans, instruitur: quippe illius cibus ipse Deus est. Age vestem, ocius assume decorem^a decorae humilitatis. Nullus enim his in nuptiis caelestis Domini acceptior ornatioque comparere potest, quam quem humilitas vestiverit: nullus hac sine toga pretiosissima ad hoc convivium admittitur. Absque hac cave anima mea solennem nuptiarum actum adire, ne pellaris cum dicto: “Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?”[Mt 22, 12]

2. “^bEt erat ibi Mater Iesu^b” (ibid.).

Felicem se sponsus hic existimaret, cuius desponsationi regum aliquis, aut aliqua reginarum adesset. Qua de causa felicissimi fuere illi neosponsi Canenses: quorum coniunctionis solennem diem ipsa reginarum Regina, quamvis nondum cognita omnibus, regumque Rex celebravit.

Tu, cum ad nuptias Iesu, ad “sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae

^a in ms. erronee: “decoram” b-b “et erat mater Iesu ibi” (BSV)

gloriae caelestis^a nobis pignus datur”²⁹ accedis, scito in eo Regem Reginamque caeli te reperturum. Nam ibi Filius per essentiam, Mater per intercessionem aderit. Ergo da operam, ut in praesentia caelestis Imperatricis Divorumque [f.15v] caelitem ea veneratione et animo cibum aethereum suscipias, ut agnoscat te non frigida voluntate et mala praeparatione nuptiarum Iesu convivium adivisse.

Nunc igitur mentem tuam recollige et appara: nunc adverte qualiter ad sacram mensam te gesturus sis. Duobus ad hoc maxime indiges: desiderio communicandi et puritate. Puritas consistit in emundato ab omni imperfectione et cogitatione a praesenti actu aliena corde. Desiderium in ardore et amore summo, quo erga hoc Sacratissimum Sacramentum anima tua flagrare debet.

3. “Vinum non habent” (Io 2[, 3]).

Considera, quam sollicita haec sancta Mater est de aliena inopia; quam, quasi suam esse reputans, dicit: “Vinum non habent”.

Et te sollicitam decet habere curam, tam tuae animae, quam proximi et, cum pro teipso, tum pro aliis, vinum virtutum, quarum suavissimus odor est, quae laetificant cor hominis atque Dei, a Christo Iesu, virtutum Domino postulare. Ne vereare itaque cum summa confidentia sanctissimae Matris secutus exemplum necessitates animae tuae et aliorum aperire coram Rege caelesti et magna fide rogans virtutes gratiasque ad salutem necessarias dicere:

“Domine caeli et terrae ditissime, vinum non habemus: et ego et alii N.N. proximi mei suavissimo virtutum latice destituimur: exsiccati sunt fontes et putei cordium nostrorum, vineae succisae. Utere ergo tua liberalitate et aquam lachrymarum, quas ad te dona caelestia postulando fundimus, in suavissimum [f.16r] nectar converte. Vasa nostra, id est animas, vino praestantissimo imple, ut saltem in fine nuptiarum, hoc est,

^a om. “caelestis” (LH)

²⁹ Antiphona ad Magnificat in Officio Divino pro sollemnitate SS.mi Corporis et Sanguinis Christi (Ad II Vesperas) : “Liturgia Horarum iuxta ritum Romanum” (LH) III, Città del Vaticano 1972, 502.

vitae tibi caelestibusque convivis tuis suavem potum virtutum propinemus ustumque^a palatum recreemus. Amen”.

Post Sanctissimam Communionem.

Punctum 1. “Nondum venit hora mea” (Io 2[, 4]).

Tempus faciendi miracula hic intellige; quod quidem dicit nondum venisse Dominus, non ideo quod faciendorum miraculorum assignatum spatium haberet, extra quod nihil signi supernaturalis posset edere, siquidem et in cunis iacens potuit inaudita mira patrasse et reapse patravit, quando daemoneis, ne responsa darent, os praeclusit eaque pepulit e status³⁰. Sed ideo haec dixisse Dominum intellige: quod quamvis valeret, non vellet tamen eo tempore iam suam omnipotentiam et deitatem demonstrare.

Hinc discite: si tibi in hac sacra Communionem et alias suavitas cibi spiritualis atque dulcedo denegatur, non idcirco id fieri, quod sanctissimum Domini sanctissimi corpus omnes caeli suavitates, delicias et sapes non habeat, sed propter tuum robur et virtutem probandam nondum hora venit, ut caelestibus deliciis affluas, et satius tibi magisque meritorium est siccitates cordis et mentis experiri, quam sensibili devotione affluere nectareque caelesti suavissimo potari.

2. “Implete hydrias aqua” (Io 2[, 7]).

Non est dubitandum quin aquam cordis tui, hoc [f.16v] est lachrymas, in ^bmerum merum^b Dominus conversurus sit, si tantum illa hydrias

^a est substitutio hypothetica pro evidenti errore in ms.: “urumque” ^{b-b} Dum “merum” est vinum purum, “merum merum” est evidenter superlative: vinum purissimum (si unum “merum” est nomen adiectivum: purum). Sic e.g. legitur in Auson. epigr. 20 de Meroe anu ebriosa: “Potare immixtum sueta merumque merum”. Ergo non est erronea repetitio verbi.

³⁰ Unica similis apocripha narratio: “cum... Maria cum infantulo templum [Aegyptium] fuisset ingressa, universa idola prostrata sunt in terram, ita ut omnia convulsa iacerent penitus et confracta in faciem suam”, in: “Lo Pseudo-Matteo” XXIII : BONACCORSI G., ed., “Vangeli Apocriphi”, Firenze 1948, 200.

impleres; si tam copiosas effunderes, ut peccatis tuis sufficerent abluendis. Si denique cum rege peccatore et mere poenitente, lavares per singulas noctes lectum tuum et lachrymis stratum tuum rigares³¹, tunc profecto dulcescerent fluctus cordis tui et arida eiusdem terra singulares virtutum fructus produceret. Solenne enim est, ut quas spirituali homini undas amara peccatorum recordatio elicit, eas in suavissimum nectar divina bonitas convertat et ingens in animum dulcedo illabatur.

3. “Quodcunque dixerit vobis, facite” (Io 2[, 5]).

Quemadmodum ad perficiendum hoc miraculum Canense discipulorum obsequium et obedientia requisita est, ad quam illos Mater sanctissima, intellecta omnipotentis Filii sui voluntate, hortatu suo stimulavit, ita ad omnia opera, quae divina gratia in te ac per te actura est, ad omnes gratias, quas tibi summus Dominus est collaturus, requiritur tuae voluntatis consensus, tua concurrentia et cooperatio. Quid enim ille per te boni efficere potest, si tu, ordinationi illius nutuique resistas? Quid tibi demandare, committere, inspirare, si ad parendum non sis dispositus et exequendum?

Restat ergo, ut, si caelestibus nuptiis gaudere velis, discas tuam voluntatem illius conformare; sique regnare cum illo optimo Numine perenni aevo illo in Regno, quod paratum est a Patre aeterno suis mancipiis, necesse est, ut hic illi pareas et obsecundes serviasque ferventissime.

Multi propter voluntatem propriam gratia exciderunt; multi e contra e magnis scelerum abyssis ob conformationem et obedientiam emerserunt beatoque portu potiti sunt. Aequae enim iustus vitae aeternae [f.17r] domicilio, quod in Saule probatum ostensumque est³², excluditur, nisi pareat; atque peccator vitam et caelum acquirit, si obtemperet. Siquidem

³¹ Cf. *Ps* 6,7.

³² Cf. *1 Sam* 15, 1-26. *31*, 1-6.

nemo potest salvari sine seipso.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et ecce leprosus veniens, adorabat eum” (Mt 8[, 2]).

Si tantum desiderium fuit viro illi leproso consequendae sanitatis, ut, quamvis infirmitate gravi oppressus, non gravaretur quaerere et adire Dominum medicum^a caelestem, quanta aviditate tu es festinaturus ad medicum animae tuae et medicinam saluberrimam, probatissimam medicinam, inquam, medicinarum animae tuae sumpturus, in sacratissima Eucharistia contentam, qui peiore lepra spirituali, tot scilicet imperfectionibus et peccatis, infectus es.

Sed vide, qua animi submissione, qua reverentia, hic morbidus homo accedat Christum: adorat illum, ut doceat adorationem cultus latria, praesertim hoc tuo in adventu ad Dominum, Regi universorum exhibendam. Et sicut ille non prius orat quam veneretur, ita tibi attendenda est corporis compositio antequam orationem fundere incipias. Si enim turpe, inurbanum, impolitum barbarumque est reges saeculi absque ulla reverentia et veneratione accedere, longe turpius et reprehensibilius est maiestatis infinitae potentiaeque Dominum irreve[re]nter adire; qui licet corporeis oculis non usurpetur, in animo tamen sua praesentia effingenda et statuenda est.

2. “Domine, si vis, potes me mundare” (ibid.).

Considera sanitatem, bona fortunae aliaque eiusmodi sub [f.17v] conditione esse expostulanda, quod tibi leprosus iste demonstrat, quando purgari a lepra volens submittit sese divino placito, dicendo: “Si vis”. Leprae tamen animae curatio et gratiarum ad salutem necessariarum donum atque largitio non conditionaliter, sed instanter expetenda est; imo etiam vi precum extorquenda, iuxta monitum Salvatoris apud Evangelistam:

^a *evidenter per inadvertentiam repetitur hic superfluum: “medicum”*

“Pulsate, et aperietur vobis” [Mt 7, 7]. Scilicet, sicut fores bis terque pulsantur, cum subito non aperiuntur in causa urgente, ita tibi continuo supplicandum, petendum instandumque est, ut, si forte Dominus gratiam tibi suam maxime necessariam, vel ad vitae emendationem, vel ad maiorem perfectionem^a [?] consequendam impertire differt, assidua orationis pulsatione eum cogas, ut tibi succurrat, opem ferat, mutet mores tuos, spiritum rectum innovet in visceribus tuis. Regnum enim caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud expugnantque.

3. “Si vis, potes me mundare” (ibid.).

In hunc modum precabatur leprosus ille homo: medice optime Iesu mi, ut illum sanitati restitueret^b. Sed mihi longe aliter exordienda formandaque est oratio; dico itaque et oro cum lachrymis: Domine, etiam si nolis, debes me mundare. Nam, si non venisti salvare iustos, sed peccatores, cur me in tantis sceleribus tam diu, tam turpiter faetere et persistere sinas? Si te flexit leprosi oratio sanitatem corporis expostulantis, multo magis ac aequius acquiescere debes precibus meis, qui animae sanitatem a te exposco. Si claudos caecosve et aliquando etiam sine precibus, tam per te, quam tuos per discipulos sanasti, iustius est, mi animae meae medice Iesu, ut me tibi ex intimis [f.18r] praecordiis vere supplicantem sanes.

Illi ambulare non poterant ob ereptum gressum in mundo et idcirco illorum misertus es; at ego non potero ingredi ad caelum, nisi dirigas gressus meos in via tua. Illi nequibant lumen solis et facies mortalium ob caecitatem contemplari, quapropter a te sanati sunt, ut possent recreare visum rebus conditis; sed ego, nisi mihi visum restituas, nisi me illumines spiritu caecum, tua visione, quae maxima paenarum est, nequibo perfrui et faciem Patris tui immortaliumque spirituum considerare caelestibusque recreari. Longe mea causa, longe aequior oratio, longe maior necessitas, quare velis, ut ego saner, ut munder, ut illuminer. Quae enim tibi utilitas in sanguine meo, dum descendero in aeternam corruptionem?³³ quem fructum

^a substituitur pro: “emendationem” (*repetitio erronea e versu praecedenti*)

^b in ms. erronee: “restitueres”

³³ Cf. Ps 29, 10.

habebo passionis tuae et redemptionis meae, si redemptus per te ob mea scelera condemner et libertatem aeternam rursus amittam?

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Vide, nemini dixeris” (Mt 8[, 4]).

Prohibetur leprosus beneficium acceptae sanitatis propalare non aliam fere ob causam, quam quod nondum omnibus omnipotentiam divinitatis et magnitudinem virtutum suarum Christus patere vellet.

Ita facere te deceat gratias ut in sanctissima Communione acceptas occultes, nec cuivis incaute et minus prudenter manifestes iuxta illud religiosi viri monitum: “Non omni homini reveles cor tuum, sed cum sapiente et timente Deum age causam tuam”³⁴.

Magna quidem virtus est et debita actio inspirationes, favores, illuminationes aliaque non absimilia patefacere; sed cuique obvio cor suum effundere, aut incautae confidentiae, aut parvae prudentiae signum est. Patent suo tempore etiam non propalata Dei mira, quia nihil est occultum, quod non [f.18v] reveletur³⁵.

Tu modo vide, nemini dixeris quas tibi Dominus hodie impertitus est illuminationes, ne vel elationis cogitatio in animum tibi subrepat, vel gratias tibi collatas divulgando magni fieri velis et reputari. Praestat demum digna gratitudine potius Numen pro praestitis favoribus afficere, quam eos divulgare.

Contraria priori puncto meditare, favores divinos beneficiaque esse revelanda: sed cui? Sacerdotibus. Scelus est ingens oculere magnalia Dei; periculosum est non manifestare suam conscientiam; partim ne decipiamur, partim ut doceamur. Ideo quippe constituti sunt a Deo in eius Ecclesia sapientes, ut illi dignoscant lepram a lepra, iudicent, consulant, informant. Quibus non concedere spiritum suum vel diffidentia, vel praesumptio, vel vanus timor, vel deceptio est.

2. “Ostende te” (ibid.).

Nam sicut illi, qui aliquo duce viam faciunt errare non possunt., ita in

³⁴ THOMAS à KEMPIS, *op. cit.*, p. 30 (l. I, c. 8: “De cavenda nimia familiaritate”, §1).

³⁵ Cf. *Lc 8, 17; Mc 4, 22.*

via spiritali, qui ductu aliorum nituntur et consiliis gubernantur, haud decipi possunt.

Cogita ergo te esse ignarum spiritalium et agnosce, ac difficili lubricoque perfectionis tramite, ex quo multi sine ductoribus aberrarunt, ne praesumas iter absque duce facere; sed te illius consiliis, monitis, iussibus, tanquam cassus lumine sis, duci permittas.

3. “Offer munus” (ibid.).

Iubet leprosum Dominus, ut pro recepta sanitate munus offerat.

Tu a tot tantisque animi morbis in purissimo sanguinis Christi saluberrimoque balneo purgatus num de re gratificatione non cogitabis?

Oportet te munus ei offerre poenitentiae:

Primo, ut des operam, ne vel minimas maculas anima tua amplius [f.19r] contrahat.

Secundo, ut pro virili et gratia ad id tibi concessa, veterum Patrum in agenda poenitentia fervorem, normam, spiritum, constantiam sequaris.

Alterum munus offeras gratitudinis necesse est: hoc enim sublime beneficium Communionis non nisi sola gratitudine potest compensari.

Gratias illis referimus habemusque, quorum pane aliquando ex gratia vescimur. Deus, cum pane caelesti te refecerit, an ingratus ab eius mensa abibis?

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et ecce motus magnus factus est” (Mt 8[, 24]).

Considera illud naufragium fluctusque marinos surrexisse ad probandam fidem discipulorum.

Quod tecum pariter factum esse, vel fieri futurumve existimes; credasque procellas illas et tumultus, qui animo exoriuntur, sive orco excitante, sive te ipso, Dei nutu providentiaque fieri ad probandam tuam in virtutibus divinisque servitiis constantiam fiduciamque. In mari enim continuo, hoc

est vita hac misera et calamitosa versamur; tempestatibus tribulationum, tentationum fluctibus, procellis maerorum non possumus ullo modo subduci, neque carere debemus.

Nam sicut nautarum virtus, scientia, labor in evitandis superandisque tempestatibus agnoscitur, ita divini famuli amor erga Deum, fortitudo prudentiaque in perfringendis adversorum fluctibus probatur.

Quod declarans David et se quoque similiter probatum asserens ait: “Domine, probasti [f.19v] me, et cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam” [Ps 138,1-2]. Quasi diceret:

Permisisti Deus sapientissime variis me tentationum calamitatumque fluctibus exagitari et quandoque adiuvisisti gratia tua, ut iis resisterem; quandoque me dereliquisti, ut propriis tantum viribus sustentarer; quandoque etiam sivisti, ut paterer naufragium, peccarem, sed rursus post naufragium, post lapsum me erexisti: cognovisti itaque vires et nervos animi mei, quam debilis et fortis sim, quantum stare et labi possim probasti, expertus es.

2. “Ipse vero dormiebat” (ibid.).

Saepe id accidere spiritualibus personis Deo impense famulari enitentibus expende, quod derelictiones summas patiantur et non aliter, quam navis in mediis procellis a nauclero relicta, a De[o] deserti esse sibi videantur. Quod amicus Numinis summus Hebraeus Rex conquestus canit: “Quare me dereliquisti^a, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?” [Ps 42, 2]

Non tamen hac in viduitate nobis intellecta penitus totaliter a nobis abscedere pientissimus Dominus solet, sed dormire se fingit, ut nos propriis viribus ob maiorem meritorum cumulum pugnare doceat. Ita divae Catharinae Senensi insigni famulae suae conquerenti amicabiliter, ubinam in summis tentationibus et cur ab ea abesset, respondit: se in corde illius fuisse

^a “repulistis” (BSV); verba “quare me dereliquisti?” *inveniuntur in Ps 21, 2.*

³⁶ Cf. S. CATERINA DA SIENA, “Breviario di Perfezione”, Firenze 1942, p. 238 (c.20, §10: “colloquio tra Gesù Cristo e s. Caterina”): “... diceva: “O dolce e buono Gesù è dove eri tu quando l’anima mia era in tanta afflizione?” Rispondeva il dolce Gesù, Agnello immacolato: “Io ero presso di te...””

et permisisse quidem eam a cacodaemonibus oppugnari propter meritum constantiae et fortitudinis experimentum, sed labi ad ignominiam et condemnationem non sivisse³⁶.

3. “Domine, salva nos, perimus” (Mt 8[, 25]).

En praesentissimum remedium, in periculis, tentationibus, maestitia, adversis, discipuli Iesu periclitantes in mari [f. 20r] tibi porrigunt et submitunt: Orationem. Vult Deus exorari, ideo permittit nos tentari, affligi, oppugnari. Miles gladio et vario telorum armorumque genere hostem invadentem, vel fugat, vel sustinet. Dei servus precum vi resistere debet hosti tartareo. Sic vir secundum cor Dei se fecisse testatur: “Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me” [Ps 119, 1].

Non igitur succumbas primo statim, aut millesimo impetui hostis animae tuae, sed quamdiu te oppugnare non desistit, tamdiu illi resistas, etsi tota vita tua. Frequentiorem cum victoria luctam frequentior laurea sequitur; maiorem, maior. Aderunt tibi, si petieris divina auxilia: dormire Iesus se simulavit, cum te infestari permisit; dormit ille, quoties tu vexaris, ideo potenti, humili, assidua oratione ad ferendum suppetias excitandus est. Mergeris miser et in profundum barathri tuis iam traheris sceleribus; cur ergo non succlamas: “Domine, salva me, pereor”?

Naviculam tui cordis hodie conscensurus est, ne dubites te ab eo dirigendum, iuvandum, salvandum.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Tunc surgens, imperavit ventis, et mari” (Mt 8[,26]).

Tantum scio tuam esse, Iesu, potentiam, ut in momento omnem a me spiritus angorem auferas et quietissimam malatiam turbato et afflicto animo restituas; idque ideo facis, quod me nimis timidum ad has tempestates sustinendas et debilem ad earum vim perfringendam [agnoscis][?]. [f.20v] Sed tunc maxime sentio redditam animae meae quietem, cum ingrederis cubiculum, sive hospitium mei pectoris, placidissime pacis Princeps. Agnosco tuam bonitatem, qui, ne actus tempestatibus corruam, tempestive

manus mihi supponis.

Attamen, Domine mi, sciens summi meriti esse tibi que arridere valde, si in derelictione quavis fortem et immutatum animum geram, desidero quandoque ob gloriam tuam esse derelictus, ut magis magnificeris tu et ego humiliter sub potenti manu hostium meorum. Dispone igitur omnia circa me suaviter prudenterque. Scis cum tentatione facere proventum³⁷: scis quando ventis imperandum est et mari, ut fiat in animo tibi subiectissimo, in regione tibi subditissima legique tuae et consiliis evangelicis obtemp[er]are paratissima, quies et tranquillitas.

2. “Porro homines mirati sunt” (Mt 8[, 27]).

Considera illius maris incolarum mentes stultissimas: mirabantur Servatoris mundi miracula et stupebant; non tamen ea praedicaverunt, neque eum Filium Dei verumque Messiam professi sunt; quinimo petierunt, ut exiret e finibus eorum³⁸.

Maius tecum hodie apud te idem omnipotens Homo-Deus miraculum patravit, cum sese tibi cum humanitate et divinitate simul in cibum porrexit et vivus integerque mansit. Quid igitur ages? num cum illa amente turba admiraberis tantum hunc et non extolles vicissim? num petes, ut exeat a te potius quam maneat apud te, ut illum laude et gratiarum actionibus cohonestes?

Indignus quidem eras tam admirandi et potentis Domini adventu, multo magis habitatione indignus es. Verum tamen supplicans ei, ut te inhabitet dic:

“Mane mecum Domine et me illustra lumine; pulsa mentis caliginem, pectus reple dulcedine. Amen”. **[f.21r]**

3. “Qualis est hic?” (ibid.).

Quaeris, qualis est hic, quem in sanctissima Eucharistia suscepisti? Est vivus, immortalis, fortis, dulcis, invincibilis: est bonus, misericors, clementissimus, maximus: est placidus, benevolus; sapientia, charitas,

³⁷ Cf. 1 Cor 10, 13.

³⁸ Cf. Mt 8,34.

veritas et omnis vita atque omne bonum.

Pinge tibi et finge in animo aurum, argentum, lapides pretiosos, gemmas omnes mundi caelique divitias ac delicias; mundum cum omnibus creatis; caelum cum omnibus angelis beatisque. Haec omnia hic superat Deus, qui tibi in escam spiritualem cessit: verus Deus et verus homo. Iste est, qui te creavit; iste est, qui te redemit; iste est, qui te iudicaturus est. Denique si saporem in hoc sumpto inquiris, suavissimus est: sensisses hanc suavitatem, nisi felle peccatorum amaresceret cor tuum.

Plura non potes, nec salutare tibi est de ipsius qualitate, quantitate, essentia indagare, scitari, meditari. Humiliter potius te coram ipso, uti canis coram Domino tuo submitte, micas gratiarum et gloriae postulans, non maiestatem explorans. Quia scrutator maiestatis opprimitur a gloria, quod sacrae Literae loquuntur; humilis vero gratiam scientiamve obtinet multam: multa intelligit, sapit, assequitur ipsumque Deum apprehendit.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Seminavit bonum semen” (Mt 13[, 24]).

Ita sane est: seminavit, non bonum, sed optimum semen [f.21v] caelestis Paterfamilias in agro suo, hoc est in corde tuo et anima. Quoties enim sacram Communionem adivisti, toties aliquid inseruit boni instinctus, luminis gratiae, animo tuo.

At quem fructum retulisti? qua segetum laetissimarum copia, o ager aride, incolte, infaecunde! Agricolam tuum recreasti? quinimo, cernit ille inutiles lappas, spinas, lolia, latissime latissime^a suo in agro, quem pretio sanguinis comparavit et eodem sanguine saepe saepius irrigat, diffundi, et tristissimus, instar coloni agrum suum infrugiferum inspicientis et deplorantis, conqueritur amare inquires: “^bQuid debui vineae meae facere, et non feci?^b” [Is 5, 4] excolui et spinas gignit; optimum semen ieci et infructuosa herbarum

^a *repetitio, uti videtur, non erronea, sed pro effectu magis superlativo.*

^{b-b} *“Quid et quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?” (BSV)*

turpium monstra producit; emundavi superficiem illius, rigavi, composui et en quot urticas (vitiosas actiones intellige) attulit: immundas cogitationes! velut vepres acutissimos, quibus adeo pungor, ne dicam torqueor!

Spinis caput meum terra pupugit, sed has iussi, ut germinaret, te virtutibus abundare, quae instar quorumvis fragrantissimorum florum me recreant et tu scates vitiis innumeris sceleribusque, quae me, plus quam sentes, cruciant, pungunt lacerantque.

Appone, anima mea, manum et applica omnem curam ad eruendam hanc malorum fructuum et germinum multitudinem, et caelicum, sive sponsum, sive agricolam, precare: ne te plus aequo^a tam inutilibus, imo venenosis herbis scatentem abiciat et relinquat, sicut solet iratus agricola agrum infaecundum relinquere, nec amplius excolere. [f.22r]

2. “Cum autem dormirent homines, venit inimicus^b, et superseminavit zizania” (Mt 13[, 25]).

Duo tibi his in verbis expendenda sunt:

1) Somnum spiritualem, sive otium, sive acedia ille sit, multarum imperfectionum et culparum causam esse. Nam sicut agricolae laborioso semper agri virent, pullulant, fructum ferunt, contra negligenti deserti iacent et innumeram inutilium herbarum copiam proferunt, ita homini spirituali profectum in omni virtutum genere amanti viget anima, viret mens et magni uberesque fructus crescunt: e contra somnolento et tepido non modo nihil boni in mente ac corde versatur nasciturque, sed etiam haec utraque multis imperfectionibus, quin peccatorum enormium sordibus inficiuntur.

Excutiendus itaque tibi acediae somnus, excutiendum otii iugum est et continuo vigilandum si profectum animae amas et fructus sacrarum Communionum conviviique Dominici vis spectare.

2) Expendendum tibi est: tunc vel potissimum daemones nobis insidias

^a “plus aequo” valet idem ac: “plus quam aequum est” (Livius)

^b *add. “eius” (BSV)*

tendere nosque ab iisdem capi, cum nos otiosos vident et quodammodo dormientes. Nec aliam esse cuiusvis peccati causam praeter otium: laboriosos enim et suo profectui invigilantes, tot sanctorum Patrum testimonio timet hostis tartareus accedere. Cum vero ab honestis et sanctis occupationibus mentem avertimus, illico nobis cogitationum malarum semen inicit et sibimet in agro Domini caelestis improbus stygis colonus seminat. Cave sis tibi ab otio, cave et Dominum in hac sacra Communione ad exemplum Antonii magni ascetarum speculi³⁹, ora, ut e corde tuo acediam extirpet stimulisque amoris sui ad labores te excitet salutare. [f.22v]

3. “Tunc apparuerunt ^a zizania” (Mt 13[, 26]).

Maxima diligentia parvae tibi imperfectiones et minimae culpae fugiendae sunt; quae quidem non cernuntur, dum inseruntur a Stygio latrone, sed postquam graviore lapsus et magnam magnorum peccatorum multitudinem conspicis et consideras in te, tunc intelligis minimas imperfectiones a te per contemptum admissas horum fuisse originem; tunc apparent zizania. Imitandi tibi sunt agricolae; qui, cum zizania e tritico aliisque segetibus extirpant, efficiunt, ut magis nocivae herbae agrum eorum non inficiant.

Sic tu agito: parvas imperfectiones caveto, ut maioribus peccatis aditum praecludas; vel iam insertas extirpato, ut cor tuum mundum et animam purissimam conserves efficiasque ut saluti tuae obfutura maximopere scelera non committas. Hoc enim cacodaemon agere

cum spiritualibus solet: non statim illos magnis peccatis, quos illi abhorrent, capit, sed parvis defectibus, quos ab iis scit vilipendi, ad gravissimos lapsus eos deducit. Pete a Sapientia caelesti, cum illam

^a add. “et” (BSV)

³⁹ Videtur quod auctor hic de S. Antonio Magno (250-356) loquitur, “definito da S. Atanasio come il fondatore dell’ascetismo”; cf. SCADUTO Mario, “Antonio Abate” : ECat I, 1534.

Cf. etiam: CHEŁMICKI Zygmunt, “Antoni św.”: PEK I-II, 238, ubi legitur quod is “żył jak asceta wśród modlitwy i pracy ręcznej”. Itaque “la sua giornata è ritmata dal lavoro e dalla preghiera” (CREMASCHI Lisa, ed., S. Atanasii “Vita di Antonio”, Roma 1984, pp. 51.52).

susceperis, Sapientiam, qua hos astus improbi genii queas evitare.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Unde ergo habet^a zizania?” (Mt 13[, 27]).

Considera, si te quoque non admiratur Christus animamque a[c] sensus tuos atque dicit: “Unde ergo habent zizania?” quod statim recepta sanctissima Eucharistia ad externa nimis te effundas ac vitio ingratitude turpissimo labores; quae res efficiunt, ut inter triticum, quod hodie caelestis Paterfamilias inseruit [f.23r] cordi tuo, zizania appareant.

Recollectioni ergo incumbere et vel hac saltem, hac praesenti die, de tam immenso beneficio, quo te Dominus caeli cumulavit meditationem institue pro eoque grates immensas ac debitas persolve, non ignarus unius Communionis sacrae gratiarum actionem alterius praeparationem esse.

2. “Inimicus homo hoc fecit” (Mt 13[, 28]).

Considera semper quidem invigilare orci satellitem lapsui humano, sed praesertim maximam dare operam illo die, quo per sacratissimum Eucharistiae sacramentum Deo reconciliamur, cum eoque in gratiam redimus, ut nos decipiat, ad peccatumve et graves imperfectiones inducat.

Itaque cur incircumspecte et incaute incedis? an putas tibi hodie nullas strui insidias? falleris. Huc cacodaemonis omnes vires, et nervi intenduntur, ut subvertaris. Nam si scelus Iudae gravius esse videtur ideo, quod eo momento, quo corpus Dominicum sumpsit Dominum tradidit vendiditque, ita cuiusvis labes turpior esse potest, qua repente animam maculat, postquam sanguine Christi mundata fuerit. Hinc hodiernae tuae imperfectiones, plus quam alias displicent Domino. Quid enim illo homine scelestius, qui modo primum alteri reconciliatus, rursus offensas multiplicat, iniurias auget, inimicitias renovat? Quare, ne tu, in eandem sceleris gravita-

^a Sic in BSV, dum in ms. erronee: “habent”

tem incurras, oportet, sis memor accepti beneficii reconciliataeque divinae gratiae ac Charitatis.

3. “Sinite utraque crescere” (Mt 13[, 30]).

Expende causam, cur Deus aequissimus, illico scelestos non puniat ac scelera patrauerint peccatoresque, qui sub nomine zizaniorum intelliguntur, diu in sordibus peccatorum [f.23v] haerere permittat, neque sua iustissima sententia quamprimum damnet.

Expressit hanc causam divus Augustinus his verbis: “Omnis namque peccator, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut bonus per illum exerceatur”⁴⁰. Quodsi eam ob rem suam Deus iustus Iudex non maturavit sententiam contra te ferendam, qui magnis eum peccatis offendisti, ut vitam tuam resipiscens emendes; cur igitur differas emendationem, cum scias, ideo differri iudicium poenamque, ut emenderis? Nullibi siquidem tam opus est festinato^a/s/ , ut in fuga peccati et emendatione.

^a *potius deberet esse: “festinatu” vel “festinatione”*

⁴⁰ *Haec allegatio non est verificata, quia non potui invenire hunc textum in operibus S. Augustini secundum eorum indicem generalem.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA⁴¹**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Simile est regnum caelorum homini patrifamilias” (Mt 20[, 1]).

Considera, patremfamilias esse Christum; vineam, Ecclesiam; vites vineae, animas fideles; operarios, viros spirituales, tam saecularem, quam Religiosum clerum: quos iam multi praecesserunt, uti sancti Apostoli, qui primo vineam hanc fundarunt cum ipsomet patrefamilias Christo et excoluerunt; Martyres, quorum sanguine rigata est; Virgines, quarum virginitatis liliis et variegatis virtutum fragrantissimarum floribus exornata nitet.

Te quoque ad istam vineam vocatum agnosce; quod tibi gratulans, pro viribus tuis, quibuscunque in animo et corpore polles, in ea charitatis operibus incumbe. Porro optimus vineae Dominus cibum tibi iam praestantissimum cum omnibus suis operariis providit, cibum sufficientem, cibum salutarem, qui est sanctissimum corpus eius, quod modo manducaturus es. **[f.24r]**

2. “Conventionem autem factam” (Mt 20[, 2]).

Expende Domini tui summam mansuetitudinem, bonitatem, clementiam liberalitatemve. Nam, cum te uti in omnibus, tamquam mancipio, proprio empto sanguine sine ulla mercede posset, pepigit tecum mercedem conventionemque fecit: cuius mercedis magnitudinem his expressit: “Vos, qui secuti estis me, [...] ^acentuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis^a” [Mt 19, 28. 29].

O, ergo excute omnem torporem et negligentiam, laboribus te accinge: quid diffiluis otio? quid marcescis? Filii saeculi pro bonis transitoris

a-a “centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit” (BSV)

b in ms. “transeunt” ab aliquo deletum correctumque est in “sulcant”

⁴¹ Est 3-tia Dominica ante Quadragesimam (olim initium temporis poenitentialis). - Hic titulus praeceditur sequenti adnotatione: “Dominicam 6 post Epiphaniam vide in fine Dominicarum”. Vide infra, p. 210.

innumera maria transeunt^b; tot sese periculis exponunt; noctibus diebusque sudant, et quandoque ideo solum tot discrimina subeunt, tot labores exantlant, tot incommoda perpetiuntur, ut solam hanc mortalem vitam possint sustentare.

Tu, cum filius lucis sis aeterna bona negliges? vitam immortalem exiguis laboribus non studebis comparare? torpesces? Scito, quod “Regnum caelorum vim patitur; et violenti rapiunt illud” [Mt 11,12]: heroes, non asini; non desidiosi, sed laboriosi.

3. “Misit eos in vineam suam” (ibid.).

Effinge te esse constitutum in aliqua vinea, ubi non pauci mortalium assiduis laboribus invigilant et sese exercent: hic terram fodit, ille purgat surculos; alter vites operit, alter irrigat.

Talem esse vineam caelestis Domini, Ecclesiam orthodoxam adverte, in qua innumeri operarii continuo operantur et sudant. Hic docet, ille facit; alter verbo Dei agrum animarum fidelium faecundat; alter a sordibus, peccatorum scilicet per administrationem sacramenti [f.24v] Poenitentiae, emundat; nemo quiescit: invicem omnes operantur et per varia charitatis ad perfectionem opera tendunt, hoc unicum satagentes, ut vinea Domino uberrimos fructus afferat, qui eum exhilarent et consolentur.

Et te non pudebit in tanta laborantium copia solum esse otiosum? Frustrane panem caelestem caelestis Domini et hodie sumes?

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quod iustum fuerit dabo vobis” (Mt 20[, 4]).

Time, anima mia, strictissimum rigorem divinae iustitiae et pro tuis negligentis poenas ingentes metue. Audis, quod secundum aequitatem solutionem operis promittat, ita, ut qui bene diligenterque suis laboribus perfunctus fuerit, praemium aeternae vitae relaturus sit: qui vero negligentissime vineam ipsius excoluerit, et potius novis sordibus, puta scandalis ac malo improbae vitae exemplo, eam infecerit, hic poenas aeternas, aut

saltem gravem purgantium flammaram castigationem merebitur.

Studebis igitur et dabis operam, ut tui labores Domino placeant et tibi quoque merces pro illis data non displiceat atque salutaris sit.

2. “Quia nemo nos conduxit” (Mt 20[, 7]).

Multos gentilium posse habere in die illo decretorio excusationem, considera, suae infidelitatis ex hac causa, quod nihil audiverint de Christo, vita mundi et salute [f.25r] mortalium; aut certe leviores poenas passuros ethnicos christianis, iuxta illius, quae divo Macario apparuit, animae flaminis ethnici enarrationem⁴². Contra, quis christianorum poterit se excusare in male factis, siquidem in eum praecepta Dei, statuta Ecclesiae, consilia evangelica, doctrina Christi non observata acerrimam damnationis feret sententiam?

Sed maxime tibi metuendum est, ne in manus Iudicis illius incidas, cui nullam tuorum defectuum, negligentiarum, commissorum omissorumque possis afferre excusationem. Saecularibus hominibus, de praeceptis tantum divinis atque ecclesiasticis reddenda erit ratio fortassis^a coram Deo iudice; a te vero vocationis tuae, inspirationum, mediorum ad virtutem neglectorum, non servatarum Constitutionum, extraordinariorum auxiliorum, quae tibi, ut tenderes ad sublimiorem semper perfectionem a Deo dabantur, ratio exigetur.

Denique quid censes, qualiter et quam stricto examine sanctissimorum Poenitentiae Eucharistiaeque sacramentorum frequentatio discutietur, ubi eorum fructus et huius hodiernae Communionis instantissime a tua anima repetentur?

3. “Accipientes murmurabant” (Mt 20[, 11]).

Quandoquidem intelligis iustissimo a Domino pro qualitate laborum mercedem distribui, conare te implere bonis operibus et meritis copiosissimis; neque in triviis haereas, sed maiora etiam Patribus Sanctis aggredi agereque desideres, quo ampliorem mercedem referre queas. Non sis contentus quavis obvia perfectione, sed maiores perfectiones sectare ad

^a in ms. erronee: “faetassis”, in margine correctum in “fortassis”

⁴² Cf. “*Apophtegmata Patrum*”, “*De abbate Macario Aegyptio*”, n. 38: PG 65, 279: “*Narravit abbas Macarius: Iter agens [...] subtus nos sunt.*”.

easque animum tuum applica et accomoda. Non enim [f.25v] aliquid praemii, ultra meritum in beata aeternitate datur: docent te id verba sacrae paginae haec: “Opera^a eorum^b sequuntur illos”[Apoc 14,13].

Quare, ne tibi fiat, quod solet negligentibus discipulis, qui, aliis ad altiora promotis, in veteribus sordibus ob suam negligentiam delitescere coguntur. Da operam, ne novissime in vineam Domini vocati, si magis tepidus extiteris, meliorem mercedem te accipiant.

DOMINICA SEXAGESIMAE⁴³

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Exiit qui seminat” (Lc 8[, 5]).

Considera hodierna die egressurum e tabernaculo suo Christum ad inserendas fruges terrae cordis tui. Veniet caelestis ille Paterfamilias sub specie panis ad te, ut semen bonarum inspirationum verbique sui mittat in animam tuam. Sed, eheu! verere, ne abscedat iratus si te incultam et desertam terram reperiatur; tot spinis imperfectionum scatentem, tam aridam et siccam! Deplora tuam miseriam et tam infelicem statum! quod inter alios Dei agros, hoc est ferventes famulos, tam sterilis et infructuosus, id est nihil boni faciens neque cogitans, reperiatur; ut saltem, cum venerit, lachrymis te madentem intuens non dubitet semen sanctum iacere in cor tuum.

2. Expende te multoties sacras inspirationes petere solere, multoties exoptare et multoties datas fuisse tibi etiam non petenti, nullum tamen fructum earum te produxisse. Causam huius rei hanc advertito: quod, quamprimum tibi hae a Spiritu Sancto immittuntur, malus genius advolet,

⁴³ Est paenultima Dominica ante Feriam IV Cinerum.

⁴⁴ Cf. BENDINELLI Goffredo, “Arpia”: EI IV, 568-569: “Le arpie sono demoni femminili [...] con testa, busto e braccia umane, il resto da uccello. [...] La loro maggiore popolarità è forse.. dovuta alla loro natura di demoni alati infernali [...] addetti al trasporto delle anime a volo nell’al di là”.

^a add. “enim” (BSV) ^b “illorum” (BSV)

infernalis ista harpyia⁴⁴, et has, vel faedarum cogitationum [f.26r] congerie expellat, vel malarum actionum mole ingenti opprimat et quodammodo, accepto animae tuae dominio, conculcet atque eam ob rem nullum fetum divinum semen in corde tuo iactum producit. Quare tale tibi remedium huius mali adhibendum est, quale ab optimis patribusfamilias adhibetur: qui, ne agros suos a viatoribus contritos inspiciant et doleant, vias solent per eos factas obstruere et semitas vel minimas delere.

Obstrue tu quoque aditum cordis tui stygio viatori; praeclude semitas, hoc est, aures oculosque a curiosis distractionibus averte et futurum spera, ut semen Dei in agro animae tuae non conculcetur magnumque magno cum faenore fructum hic sit producturus.

3. “Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit” (Lc 8[, 6]).

Petram esse durissimam durissimum cerebrum tuum cogita asperamque voluntatem. In quam licet toties sua sacra semina, bonos instinctus, stimulos ad virtutem, Dominus mittat, tam per se, quam per alios, puta magistros spirituales et verbi divini alios seminarios, nullum tamen fructum metit. Nam illae inspirationes, illa virtutum semina, in duro corde et caucasea^a [s] tua voluntate radicem figere nequeunt et partim exarescunt, partim a volucris infernis^b, malis geniis auferuntur. Toties petra fis, quoties divinae ordinationi resistis: toties rupes quaedam inaccessa et infaecunda existis, quoties scelesti quadam pertinacia sensus tuos induratos geris, neque ad bonum ab ullo inflecti sinis, neque tibi emendationem persuaderi, aut maiorem perfectionem.

Vae misero tibi, si te divinae vel gratiae [f.26v] vel omnipotentiae mal-leus non emolliet! atque petram cordis tui adamante duriolem, sanguis Iesu Christi, quem accedis, non dissolvit. Duros quippe lapides, uti inutiles, non potest bonus paterfamilias agro in suo perpeti, sed eos extra eicit; ne tu extra Regnum Dei eiciaris, si adhuc induresces, vide et cave.

^a *i.e. valde indurata; talis significatio evidenter procedit a verbo “Caucasus”, qui est mons Asiae, et ab usu huius verbi apud Senecam (Med. v. 43):*

“Caucasum mente induere [...] est supra modum indurare animum, et ad scelerata quaeque obdurare” (SLL, s.v. “Caucasus”).

^b *in ms. datur aliquis conatus corrigendi hoc verbum, sine tamen bono exitu.*

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et simul exortae spinae suffocaverunt illud” (Lc 8[, 7].

Postquam suscepisti sanctissimum Eucharistiae sacramentum, tot semina virtutum sparsa esse in cordis tui solo cogita, quot micæ gratiarum largitor gratiarum Deus secum ad te intulit. Da ergo operam, ne, tam pulchre exulta, mundata et seminata terra cordis tui spinae repentinorum culparum noxarumque, malorum affectuum tribuli, improborum desideriorum sentes exoriantur tumque praestantia semina suffocent.

Sed proh dolor negligentiam tuam! Vix novam sementem suscepisti, nondum caelesti Agricola pedem ex agro tuo referente, tot tantisque vepribus pullulas, cum te illico ad diversas cogitationes convertis mentemque tuam a gratiarum pro tam excelso beneficio actione omnino avellis et sponte abstrahis! Caveto, ne tibi illud, quod primæ Matri accidat; quae oblita gratitudinis et beneficii creationis collatique paradisi, cum serpente sermonem orsa miserabiliter cecidit exciditque campis Elysiis felicissimis⁴⁵. [f.27r]

2. “Aliud cecidit in terram bonam” (Lc 8[, 8]).

Nostine, quae hoc loco terra bona intelligatur? animus tum ad audiendum, tum ad parendum promptissimus et ad exequendum iussa Dei eorumque, quibus iure subest, celerrimus, ne multis opus sit; Religiosus obediens christianusque hic intelligitur. Nam, sicut agricola terram illam bonam appellat, quae omne illud semen, quod illi fuerit mandatum, cum faenore restituit, ita terra bona mystice iure dicendi sunt illi, qui indifferenter, cui debent, parent et magnum fructum reportant obedientiae. Move igitur omnem lapidem, ut terra bona fias, omni semini apta, omnis fructus producibilis; quod futurum est, si contrarias obedientiae passiones, quasi sentes quosdam, e corde tuo eradicaris mortificaverisque.

3. “Qui habet aures audiendi, audiat” (ibid.).

Considera pluris fecisse Christum fierique a nobis voluisse, verba doctrinae suae, quam miracula. Ac proinde non dixit: Qui habet oculos,

⁴⁵ Cf. *Gen 3, 1-6. 23-24.*

videat miracula mea et credat; sed: “Qui habet”, inquit, “aures audiendi, audiat”. Neque vero alibi beatos thaumaturgos facit, sed illos, qui se obtemperantes, alacres promptosque verbis suis audiendis exhibent, quodammodo beatificat, inquires: “Beati, qui audiunt verbum Dei” [Lc 11, 28]: electi, praedestinati.

Pudeat te poeniteatque aliquando Superiorum tuorum verbis restitisse nutibusque. Nam et illorum verba Dei sunt: quod ipsa testata Veritas ait: “Qui vos audit, me audit; ^a qui vos spernit, me spernit” [Lc 10, 16]. [f.27v]

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA⁴⁶

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et consum[m]abuntur omnia” (Lc 18[, 31]).

O felicem nuntium! o plena gaudio Christi verba! Multi vatum redemptionem Israel praedixerunt, sed mortalium laetitiam suorum oraculorum involucris suspenderunt: quia tempus, quo Messias et verus Filius David metropolim Iudaeae, regum regiam ascenderet, quo mortem pro salute mortalium subiret, non manifestaverunt. Nunc iam ipse Messias Christus et Rex Prophetarum certiore facit discipulorum catervam de proxima redemptione mundi, iam tempus salutis adesse nuntiat, mortis suae genus revelat, turpissimam occisionem.

Disce hinc nihil esse mutabile, quod prophetico Christi Domini apostolicoque ore excidit et declaratum est; praesertim duo illa oracula, de improborum damnatione unum, alterum de gloria iustorum verissima esse; quae te ad amorem Dei timoremque excitent, ad vitae emendationem stimulent atque ad dignam praeparationem huius Sanctissimi Sacramenti impellant. Caelum enim et terra peribunt^b, verba autem divina et oracula verificari et non perire necesse est.

^a add. “et” (BSV) ^b correctum est in ms. ab aliquo in: “transibunt”

⁴⁶ *Est Dominica ante Feriam IV Cinerum.*

2. “Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur” (Lc 18[, 32]).

Habes, quamobrem lachrymas fundas uberrimas; habes, cur doleas; habes, quod te ad continuam poenitentiam excitet. Tu es, tu, qui Hebraeis illudendum, flagellandum, crucifigendum tradidisti innocentissimum Iesum: non latronem aliquem sceleratum, sed pientissimum Dei Filium; non maleficum hominem, sed optimum benignissimumque tui Conditorem Patremque. Nam, si quaeras ex eo, ob quid tam acerbissimo mortis genere extinguendus Ierosolymam in [f.28r] Urbem ingreditur, respondebit tibi: “Propter scelus populi mei” [Is 53, 8] et iure merito adiciet: “Propter enormia tua et intolerabilia peccata”.

Tu es, tu, qui in crucem egisti Christum; et, eheu! agis quotidie, cum impie agis! Quo te nunc vertes, tanta impietate usus in tuum Creatorem? Et te vocat ad se oblitus vulnerum, iniuriarum, mortis et ultro suo inimico suam mensam offert, non saliaribus^a epulis refertam, sed corpore suo pretiosam. O amorem! o Bonitatem! o inauditam incomprehensamque clementiam! Fruere tam commoda tui convertendi occasione et, quoad tempus conceditur, tuam tuique proximi salutem operare.

3. “Tertia die resurget” (Lc 18[, 33]).

Considera, toties Christum Dominum occidi a peccatoribus, quoties animam sceleribus impiis contaminant ad imaginem Dei creatam, iuxta illud Apostoli peccatores appellantis: “Rursus^b crucifigentes sibimetipsis Filium Dei” [Hebr 6,6]. Praesertim hoc infelicissimo tempore, quo unusquisque fere mortalium variis sceleribus immergitur appetituique suo fraena laxare solet, rursus Dominum benignissimum flagellis caedi, conspui suspendique scito: quod teinnumera exempla docere possunt.

Verumtamen ille dissimulare videtur has populi sui noxas, non tamen impune transire sinet; et, si non praesenti aevo plagis bellorum, pestis famisque puniet, in tremendo certe tribunali suo reddet unicuique secundum opera illius.

^a *Saliarum epulae*, “*quae proverbialiter pro lautis et opiparis sumi solent, quia tales erant Saliorum*” (SLL II, s.v. “Saliaris”). ^b “*Rursum*” (BSV)

Tuas quoque, ne putes imperfectiones dissimulatas: manet omne nefas aequalis poena. Quare satius est, commissos defectus poenitentiae exercitiis hic eluere et bonorum operum frequentioribus actibus frequentia mala resarcire, quam descendente ad iudicandum Domino ob ea pudore, vel poenis affici.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et ipsi nihil horum intellexerunt” (Lc 18[, 34]).

Considera pessimam esse dispositionem intellectus, cum bona ab [^a?] [f.28v] non cognoscit, non apprehendit, reicit. Hac laboras se caligine Apostolos, qui disserentem de tormentis Dominum et festino obitu suo non intellexerunt; nec aliam causam huius rei fuisse, quam hanc: quod eos lateret adhuc virtus charitatis officiumque illius ac perfectio, nimirum pro altero, sive amico, sive nobis male affecto, velle pati eiusque tormenta, calamitatem et sortis iniquae vices subire.

Tu, si nondum sentis desiderium proximi iuvandi et durissima quaeque animoque tuo repugnantia ob commune bonum perferendi, credito, nondum te intellexisse perfectionem charitatis et in magna ignorantia omnium virtutum, quibus caelos ascendimus, versari. Pete, pete a Deo lumen, ut intelligas, quanti sit, quaevis virtutum momenti, quid te ille facere velit, qua via in perfectione progredi? Dicito et orato: “Da mihi intellectum, et vivam” [Ps 118, 144]. “Revela oculos meos, et considerabo mirabilia ^b tua” [ibid.,18].

2. “Caecus quidam sedebat secus viam” (Lc 18[, 35]).

Expendito hanc fuisse intentionem capti illius lumine hominis in via sedendi, ut, vel a transeuntibus stipem, vel a Salvatore, de cuius forsitan ad Ierichuntinam civitatem adventu aliquid nuntii acceperat, lumen acciperet. Quodsi ille, tanta incommoda, viae continuo in calore et frigore inhaerendo, propter haec duo pertulit et tanta instantia lumen externorum oculorum

^a forsitan omissa sunt hic verba: “aliis oblata” ^b add. “de lege” (BSV)

petiit, tam importunis clamoribus Servatorem invocando aures comitantium Christum fatigavit, quanta tibi in orando opus esse perseverantia putas, quanta in tolerandis mortificationibus et huius vitae incommodis constantia, ut internum lumen acquiras, ut devotionis scintillam, tanquam canis micam et fragmentum, e Domini sui mensa obtineas; ut denique ipsius Solis increati caelesti in arce conspectu et lumine perfrui mereare? Nihil non accipit perseverans; sicut nihil acquiritur caelestis doni absque orationis perseverantia. [f.29r]

3. “Domine, ut videam” (Lc 18[, 41]).

Si solum id precabatur caecus ille homo, ut ei visus restitueretur, quatenus aspicere mundum resque creatas posset, quo desiderio tibi lumen animi expetendum et qua orationis contentione atque, ut ita dicam, sancta quadam importunitate, extorquendum est, quo possis Creatorem ipsum spectare contemplarique? Revera maximo homines illi bono privati sunt, qui sanctae contemplationis viam ignorant; qua ad cognitionem sui Deique et arcetissimam cum omnium rerum Conditore, cum summo Bono, unionem pervenitur.

Profecto non est bonum donumque Dei melius ex illis, quae mortalibus largiri solet, dono bonoque contemplationis. Nam in visione divina tota divorum beatitudo consistit. Hinc, qui Deum, seipsos Deique contemplantur opera mente diligentissima attentissimaque, aliquomodo illam beatitatem gustant, praesentiunt illiusque fiunt participes. Oculus animae est sacra contemplatio: hunc totis praecordiis inquire, hunc omnibus votis exposce, hunc continuis precibus expostula et cum acceperis, cave amittas; cave tibi a superfluis negotiis excutiatur. Sed tali eum diligentia custodire memineris, quali solent mortales oculos corporis custodire.

DOMINICA I QUADRAGESIMAE**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Ductus est in desertum a Spiritu” (Mt 4[, 1]).

Considera Christum Dominum, quondam^a Spiritu afflatum Divino, vel potius percitum, stimulatam, ut in solitudinem secederet in eaque post strictissimum quadragesimale ieiunium a cacodaemone stygio tentaretur, cum talem tentatorem nunquam antea inter homines commorans expertus est.

Quo, tu, doceare: plurimos esse in [f.29v] mundo, qui tentationes non sentiunt: putat enim iam suos malus genius, et ideo suas vires contra eos non expromit, non dirigit tela, non struit cuneos laqueosque non implicat. In Religione vero, in civitate Dei sacra et munita habitantes magno impetu invadit. Unde religiosi viri non vulgaribus tentationibus, quanquam inter plurimas mortificationes, ieiunia, abstinentias, vexantur et subiecti sunt. Quia communis orci inimicus illos sibi hostes acerrimos advertit ac proinde omnes machinas admovet, omnes nervos intendit, ut illos inde, vel exturbet tanquam e castris divina potentia praesidentiaque munitissimis, vel in loco subruat, debellet et in nihilum redigat.

Quare, ne novum hoc genus acerbitatis, crucis, et certaminis religiosi existimes, siquidem et Deum-Hominem tentari audis, neve de auxilio desperes illius, qui te in desertum sanctum extra maenia Babylonis⁴⁷ eduxit: neque victum iri a te tartareum hostem diffidas, quoties armatus in te tot turpibus cogitationibus, vitiis et malis incitamentis irruit, nam vires eius debiles sunt, supra quam cogitari potest. Latrare hic canis potest, non potest mordere.

Tu vero, quoties sacratissimae Eucharistiae epulo reficeris, semper novum robur et arma acquiris. Quippe potentissimus est contra omnem tentationem malleus Eucharistia.

^a ita hypothetice proponitur, dum in ms. erronee: “quoddam”.

⁴⁷ *Quid auctor voluit sub hoc nomine exprimere patet ex eo quod Babylon fuit “stolica Babilonii położona nad Eufratem. [...] W NT [...] jest on kryptonimem Rzymu (1 P 5, 1) bądź ze względu na identyczny w obydwu miastach upadek moralności, bądź też ze względu na analogiczną sytuację ludu Bożego, żyjącego w tych miastach w diasporze pogańskiej. Ap 14,8; 16,19; [...] dodaje do tego symbolikę Babilonu jako każdej potęgi wroziej Kościołowi” (LANGKAMMER Hugolin, “Babilon”: EK I, 1231-1232).*

2. “Si filius Dei es” (Mt 4[, 3]).

Vide astutiam calidissimi Serpentis: quam vaferrime ex re ipsa Christum hominem aggreditur; ieiunantem videt, ergo illi gulae fomitem subicit. Qua tentatione nihil proficiens, ad fortiorem praesumptionem descendit: “Si filius”, inquit, “Dei es, mitte te deorsum”. At neque hoc astu quidquam adiuvante, ad idolomaniam^a eum inducere satagit, ostentatione et promissione omnium regnorum et gloriae mundi: “Haec omnia”, ait, “tibi dabo, si cadens adoraveris me” [Mt 4, 9].

Sic [f.30r] facere Ulysses infernalis⁴⁸ consuevit, hac tentationis norma procedere cum servis Dei. Invigilat ad quamvis vel minimam occasionem secundum quam eos decipiat: famelicis gulam, tepidis somnolentiam, iracundiae flammam impatientibus, quibusdam luxuriae fomitem, quibusdam fastus et elationis cornua subministrat.

Et cum gulam obicienti respondetur: “Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei” [ibid., 4]; cum suadenti praesumptionem replicatur: “Scriptum est^b: Non tentabis Dominum Deum tuum” [ibid., 7].

Cum aliae aliis remediis eius tentationes tolluntur conatusque eluduntur vel eliduntur: perseverantiam in divinis servitiis, spiritualibus exercitiis virtutibusque pulsare solet ultimo, partim per se, partim per homines scelestos, sui astus administratos, sive deliciarum, sive famae, sive opum, honorum gloriaeque fluxae terrestres ostentatione; quibus servitio Dei mancipatos operarios machinis ab aratro pellere et avocare et in mundum e divinis castris excire (quod proximum idololatriae scelus est) conatur. Sed en gladium Verbi Divini acutissimum contra hunc Gygem⁴⁹ Stygium: “Scriptum est^c: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies” [ibid., 10].

^a secundum LLMA est idem ac: “idololatriam” (Gallice: “idolâtrie”)

^b in ms. erronee: “esse” ^c add. “enim” (BSV)

⁴⁸ Cf. supra, p. 23, no. 20.

⁴⁹ Ratio adhibendi hoc nomen: sicut Gyges regem suum occidit eiusque thronum usurpavit, ita diabolus ad adorationem soli Deo debitam aspirabat. Gyges fuit “pastor Candauli Lydorum Regis, cui cum Rex uxorem suam, de cuius pulchritudine gloriabatur, nudam ostendisset, illa adversus maritum indignata, Gygem ad caedem eius impulit, seseque cum Regno Lydiae illi tradidit” (Forcellini et al., *Lexicon Totius Latinitatis [FLL]*, Patavii 1864, s.v. “Gyges”).

3. “Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei” (Mt 4[, 11]).

Inspice, inspicere felicissimum tentationis exitum. Oppugnavit malus genius, restitit Deus-Homo; triumphat hic, victus ille: ille fugatus, hic ab angelis stipatus recreatusque est. Hoc facit divina providentia cum tentatis: sinit eos oppugnari, relinquit propriis viribus et Marte pugnare permittit variis tentationum fluctibus concuti [f.30v] obruique; sed ad finem omne gaudium et solatium (o gaudium immensum! o solatium inexplicatum!) reservat: “Vincenti”, inquit, “dabo manna” [Apoc 2,17], et faciam illum “comedere^a de ligno vitae” [ibid.,7]. Nempe, sicut terreni imperatores, post egregie peractam pugnam partamque victoriam, egregia suis commilitonibus praemia, laureas, titulos variosque favores conferunt, sic caelestis noster Imperator, bene fortiter, strenue exactis cum tentatione luctis, relato triumpho, miris favoribus suos cumulare solet: solatiis internis, visionibus, revelationibus (quibus o te indignum!) summisque charismatis et donis caelestibus.

Pugna, pugna heroice! et persevera.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Respondens dixit” (Mt 4[, 4]).

Fortissime et optime tentationi resistitur, ubi contraria contrariis arma opponuntur: en ad gulam Christum daemon versutus provocat et ille: “Scriptum est”, inquit, “non in solo pane vivit homo” [ibid.]. Ita tibi agendum censeas: pulsaris carnis tentatione? Dicito tentatori: “Scriptum est: «Sint lumbi vestri praecincti» [Lc 12, 35]” stola videlicet castitatis. “Lumbos enim praecingimus” (ait magnus Doctor) “^bdum per continentiam carnis luxuriam mactamus^b”⁵⁰. Oppugnaris fastu? Respondeto daemonio: “Ego autem sum vermis, et non homo” [Ps 21, 7]. “Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus” [Iob 17,14]. Sentis animum obedientiae resistere? Fraena illum Samuelis dicto: “Melior est ^c obedientia,

^a “edere” (BSV); ^{b-b} “cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus” (PL); ^c add. “enim” (BSV)

⁵⁰ GREGRIUS MAGNUS, “Homiliae in Evangelia”, l.I, hom. XIII : PL 76, 1123 (n. 1481).

quam victimae” [1 Sam 15, 22]. Quia “per victimas” (ait Gregorius) “aliena caro, per obedientiam vero ^apropria voluntas^a mactatur”⁵¹.

Opprimit te acedia, somnolentia, desidies? Inculca tibi illud: “In sudore vultus tui vesceris pane tuo^b” [Gen 3,18] et illud: “Maledictus homo^c, qui facit opus Dei^d negligenter^e” [Jer 48,10]. Tentaris in virtute perseverantiae? [f.31r] Resiste tentationi dicendo: “Stultum est amovere manum ab aratro: periculosum est retro verti et prospicere: miserum et infelicissimum redigi in statuam salis”⁵².

Sed maxime^f refectus frequentius sacratissimo caeli ferculo, pane, inquam, angelico gratiaequae istius benignissimi Numinis atque gratiarum actionis memor, omnem vim et validissimum impetum tentatoris et bellatoris stygii superaturus elususque es.

2. “Dic ut lapides isti panes fiant” (Mt 4[, 3]).

O insaniam mali Spiritus! Lapidem Christo homini offert, ut illius divinam omnipotentiam experiatur! Si Deum sentit, cur tentat? Si ex humilitate fragilem humani corporis testam ab eo assumptam cognoscit intueturque, cur eum ad fastum incitat?

Tibi, tibi hic doctrina traditur; ne nimium de tuis viribus praesumas, etiam praesentissimo Sacramento communitus: ne securitatem tibi pollicearis, quamvis tot dotibus et donis supernaturalibus cumulatus; sed semper vigiles, semper ores, ne in invi[n]cibilem intres tentationem. Non multa siquidem scientia, aut experientia, vel mortificatione, superatur orci tentator, sed sensuum custodia, gladio orationis, magna in Deo fiducia, patientissima humilitate humillimaque patientia fugatur, repellitur, triumphatur.

a-a “voluntas propria” (PL); b om. “tuo” (BSV) c om. “homo” (BSV) d “Domini” (BSV); e “fraudulenter” (BSV) f in ms. erronee: “maximae”

⁵¹ IDEM, “Moralia in Job” (c. 42), lib. 35 : PL 76, 765 (nn. 1155-1156).

⁵² Cf. Lc 9,62: “Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei”. Cf. Gen 19, 26. Probabiliter sunt verba auctoris. Cf. BEDA VEN., “Expos. in Evang. S. Lucae”: PL 92, 461: “Manum cui libet in aratrum mittere est, quasi quodam compunctionis instrumento, ligno et ferro dominicae passionis duritiam sui cordis atterere, atque ad proferendas operum bonorum fructus aperire. Quam si quis excolere incipiens cum uxore Lot ad ea quae reliquerat vitia respicere delectatur, futuri iam regni munere privatur”.

3. “Tunc reliquit eum diabolus” (Mt 4[, 11]).

Considera perseverantiam diaboli in oppugnando Christo et Christi fortitudinem in repellendo diabolo eique resistendo. Non relinquitur Christus oppugnari, quamvis primo conflictu robustissimum telum in pestilentissimum adversarium expromat. **[f.31v]**

Ex quo, tu, conicere potes, continuam tibi esse foreque cum hoc eodem hoste pugnam. “Militia” enim “est vita hominis super terram” [Iob 7, 1], inquit Iob miles probatissimus. Et prout quidam interpretantur: tentatio est vita hominis super terram. Quare ab una leviori ad alteram tentationem maiorem animum praepara. Nam, “una”, inquit religiosus vir, “tentatione [.....] recedente, alia supervenit”⁵³ et saepe gravior.

Tu tamen, ne cede malis, sed contra audentior ito, quamvis tota vita nullam pacem nanciscaris. Ideo quippe multiplicantur certamina, ut multiplicentur triumphi: propterea geminantur pugnae, ut geminentur coronae. Atque idcirco te ad sacram mensam tam frequenter Dominus admittit, ut fortior contra frequentiores insultus hostium efficiare.

DOMINICA II QUADRAGESIMAE

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Assumpsit [Iesus] Petrum, et Iacobum, et Ioannem” [Mt 17, 1].

Considera propterea hos tres discipulorum in montem Thaboreium a Christo acceptos fuisse atque ductos, ut ilius gloriosissimae Transfigurationis gloriam cernentes, ignominiam et turpissimum mortis genus in Golgotheo vertice non perhorescerent omniaque difficilia sui Magistri amore ac exemplo, ob gloriam caelestem, cuius aliquam partem hac in Transfiguratione iam viderunt, facillime aggredierentur et mortem ipsam, quamvis adeo atrocem, quod utique fecere, subirent. **[f.32r]**

⁵³ THOMAS à KEMPIS, “*De Imitatione Christi*”, p. 32: l.I, c. 13, § 10.

Ita et tibi ab eodem Domino toties in sanctissimo Eucharistiae sacramento gloria illius exhibetur, suavitas mellitissima propinatur, deliciae internae suggeruntur, ideo, ut libentiori animo fortiorique, cum haec tibi subtracta fuerint, cum te summa desolatio invaserit, quosvis labores subeas perferasque; quamvis crucem, licet gravissimam arripias et baiules. His enim te favoribus suis ad se suamque crucem Dominus allicere vult, ut, postquam gustaveris, quam suavis ille sit, nihil tibi mundani extra eum putes esse appetendum, nihil ardui animoque tuo repugnantis pro gloria eius fugiendum ducas.

2. “Petrum, Iacobum, et Ioannem fratrem eius” [ibid.].

Voluit hos Apostolos Dominus spectatores habere suae gloriae, ut simul essent portitores crucis; voluit simul eos divinae suae Transfigurationi adesse, ut simul communibus viribus vires orci expugnarent et loliis lappisque, hoc est dogmatibus gentilium, astu cacodaemonis satis sparsisque per orbem, extirpatis, toto orbe semen verbi divini salutare sererent fidemque in Magistrum ac Servatorem suum et universi sedulo ac constanter una praedicarent propagarentque!

Quod si, tu, cum tot sanctis ad mensam Christi hodie accedis et communem omnium divorum cibum sumis, communi epulo potuque frueris, ne dubites communes tibi labores cum eis exercendos. Et cum fias particeps fructuum sacratissimae Eucharistiae, fructum facere in vinea Domini cogita atque propone: ne forte sis tantum amicus ad aras⁵⁴, neve bona duntaxat a Salvatore accipere videaris, mala autem et quaeque dura cane ac angue peius⁵⁵ effugas. [f.32v]

3. “Et transfiguratus est ante eos” (Mt 17[, 2]).

Quantum Apostolis Dominus fecit favorem cum sese iis in divina gloria demonstravit, tantum tibi, aut certe maiorem exhibet, cum deitatem simul ac

⁵⁴ *Sec. Vergilium (Aen.112), arae quosdam “scogli nel mare” significant, ubi est periculosum navigare. Adaptatur Periclis sententia: “Ad aras [inclusive] usque me amicum esse oportet”, inversum tamen: “amicus ad aras” exclusive, i.e. amicitia quae excludit necessitatem incurrendi in pericula et dolores.*

⁵⁵ *“Vitare aliquid cane peius et angue”, proverbium est apud Horatium: ubi canis est rabidus et anguis pro re abominanda accipitur (FLL, s.v. “canis”).*

humanitatem suam sacratissimam, panis nube tui causa velatam, tibi non conspiciendam solum dat, verum etiam manducandam. Quid hoc Domino melius, qui te tam amplis beneficiis afficit? quid te peius, ne dicam scelestius, qui eum tot imperfectionibus tuis contristaris? quibus quodammodo gloriam divinam obnubis?

Resipisce et expergiscere, ne tandem ex tam bono, imo optimo Salvatore ac Parente, severissimus tuus Iudex et mortis aeternae sententiae lator in te esse cogatur postque ostensam tibi toties in sacra mensa gloriam deitatis, ad abyssum confusionis te detrudat. Itaque precare ab eo in hac sacratissima Communionem, ut cor tuum animamque transfiguret et in se totum te transformet.

Post sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Resplenduit facies eius sicut sol” (ibid.).

Quasi vero tam splendida Christi transfigurati facies erat, quam sereni solis vultus: imo solis lunaeque ac omnium siderum lumen merae tenebrae sunt, luci genarum Salvatoris comparatum.

Et tamen ille hanc tantam lucem tuo cordi submitit; huius tanti luminis ac splendoris possessor amore tui faciem suam serenior omnino luce modici panis textit velamine; hic tantae maiestatis Dominus, tantae gloriae Rex, te vilem vermiculum, imo canem faetidum, (quod nominis ob faetidam scelerum colluviem iure merito mereris) invisere corporisque sacratissimi cibo tractare [f.33r] dignatus est.

Vide igitur, ne hoc lumen clarissimum sub modio abscondas, quod in te descendit Solemque hunc increatum infesta orci nebula, aut turbo tentationis, cave, ne tibi incauto eripiat.

2. “Bonum est nos hic esse” (Mt 17[, 4]).

En quanto desiderio Apostolorum Princeps tenetur Thaboreio in culmine commorandi, quin manendi: in quo aliquid gloriae caelestis mente oculisque hauserat.

O si tu, qui ipsum totius gloriae Regem totum suscepisti, eundem affectum elicias: **Bonum** est nos, Domine, hic esse; bonum est in tuo solummodo beneplacito voluptatem quaerere et quiescere. Bonum est te frequenter adire et frui tuis consolationibus. Ast melius esse resignatum; optimum tui amore pati.

Ut enim idcirco hodiernae maiestatis Christi spectatoribus supernae gloriae non exigua portio exhibita erat, ut eam affectando omnia adversa ac mortem ipsam pro illo subire non trepidarent, ast appeterent, qua ratione participes facti contemptuum et tormentorum, fierent etiam honoris ac perennis consolationis.

Sic tuae animae Dominus optimus in sacratissima Eucharistia frequentius, quam par es, suam gloriam communicat eamque miris reficit solatiis, non aliam ob causam, quam, ut sapore immortalium gaudiorum, delectationum, honorum bonorumque ductus, contemptus quosvis ac iniurias calamitatesque et leve religiosae vitae iugum, libens volensque toleres et per labores gravissimos ad quietem dulcissimam, per dolores anxietatesque maximas ad refrigerium summum, per mortem ad vitam eluctandum tibi esse scias.

3. “Hic est Filius meus” (Mt 17[, 5]).

Quem Pater aeternus in monte discipulis demonstravit, eundem a te susceptum esse considera. O charitatem Dei immensam! Apostolis Filium revelat, ne forte mirabilia et ignominiosissima quaeque circa illum geri videntes eumque turpissimam obire mortem intuentes, in fide vacillent, aut scandalum accipiant. Tibi vero eum dedit sumendum, ut scandalum omne a te avertat, famam tibi honestam [f.33v] nomenque bonum procuret, te nutriat, sustentet, dirigat, adiuvet, ducat ad felicissimam aeternitatem. Adverte diligentissime quanto amore te complectatur! quantam tui habeat sollicitudinem, quam sese tibi bonum, imo ipsam bonitatem exhibeat!

Et tu, non amabis solum tam sapientissimum clementissimumque Dominum” non illi fideliter, sincere perseveranterque servies”

DOMINICA III QUADRAGESIMAE**Ante Sanctissimam Communionem**Punctum 1. “Eiciens daemonium” (Lc 11,[14]).

Considera, ideo tibi hoc Evangelium ab Ecclesia hodie propositum esse ad considerandum, ut agnoscens beneficium et omnipotentiam Domini in hoc eliberato obsesso a cacodaemone, petas humiliter eiusdem Domini et beneficio et opera ab omni salutis sempiternae impedimento liberari et a malorum spirituum technis servari. Omneque illud, quod in te extra religiosum spiritum et statum tuum non concernens neque decorans invenitur, daemonis mali esse cognoscens, Christo supplices, ut a te auferat, nempe tam pravos voluntates, quam vitiosas actiones.

Et cum tabernaculum cordis tui fuerit ingressus, ita illud purificet, sicut domum Zachaei; hoc in te faciat, quod quondam in Zachaeo fecit, nempe, quemadmodum ille Dominico adventu contritus, quidquid per illicitos quaestus opum ac facultatum coarcervaverat, in pauperes erogavit, dimidium bonorum suorum iis elargiens, non aliter tu, quae sunt mundi et carnis, in adventu huius Domini dominorum ad te, relinquant et posthabeas; atque posthac viam mandatorum Domini curras, quia dilatabitur in sacrosancta Communionem cor tuum.

2. “Et illud erat mutum” (ibid.)

Daemoniacus iste, (docente Venerabili Beda) non solum mutus, sed et caecus fuisse narratur⁵⁶; quem Dominus et a daemonio crudeli et a silentio acerbo et a caecitate misera et calamitosa liberavit. Tu, constitue te mutum, caecum et deceptum a malo genio coram Domino hodie.

In muto considera, quam **[f.34r]** tepidus et aridus sis ad orandum, imo nihil devotionis habeas. In caeco expende, quam turpiter erres tuam

⁵⁶ Cf. BEDA VENERABILIS, “*In Lucae Evangelium Expositio*”, Luc. XI, 14 : CChrL CXX, 231 (In Lucam IV): “*Daemoniacus iste apud Matheum non solum mutus sed et caecus fuisse narratur curatusque dicitur a Domino ita ut loqueretur et videret*”.

sequendo voluntatem animique tui ductum in daemionica^a trutina; quam nihil veri divini spiritus possideas, cum ad externa libenter effundaris, cum nondum plenum animum te abnegandi et Deo serviendi habeas, cum multa contra praecepta Dei, virtutes regulasque delinquas; cum denique ne quidquam religiosae, imo christianae etiam, actionis aggrediaris facileque te a nefario spiritu decipi sinas et deceptus saepius graviusque cadas.

Quare haec tria a Domino pete: lumen, ut vera via religiosae perfectionis incedas; linguam, ut devotionis fervore abundans orationi continuae neque cum distractionibus insistas; liberationem denique ab omnibus queis resistere nequis cacodaemonis impetibus omnique tentatione invincibili et actione religiosae, sanctae vitae contraria.

3. “Erat Iesus^b” (ibid.).

Hic ille est, quem aditurus suscepturusque es: hic ille cacodaemonum domitor, mundi Servator, Dominus caeli, Princeps mundi, Vita, Via, Veritas, Iudex omnium mortalium futurus.

Quamobrem collige mentem tuam et cum summa praesentia, tanti Domini maiestatem accede. Ne te huc illucque dissipēs; ne retro aut ante circumspicias; ne exspuas ut stultus; ne exagiteris ut levis; ne timeas, ut diffidens bonitati; ne efferaris quasi praesumens de misericordia, sed submisse, quiete, hilariter, modeste, amanter expecta Dominum et excipe ad te ingredientem permitteque illum omnia in te iuxta suum beneplacitum operari et daemionium, mutum caecumque eicere ac lumen, tum devotionis gratiam et perfectionis ardorem restituere.

^a in ms. erronee: “daemionico”, nam hoc verbum ita debet esse generis feminini, sicut verbum “trutina” (a quo, uti nomen adiectivum, genus assumit);

^b om. “Iesus” (BSV)

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “Locutus est mutus” [ibid.].

Considera, mutum fuisse illum hominem, quoad eiectus fuisset ex eo malus genius. Ita in te non esse caelestem Spiritum quousque usu linguae destitueris, hoc est, quousque pro innumeris acceptis beneficiis gratias [f.34v] Numini munificentissimo benignissimoque non persolvis.

Difficile enim is potest asserere, aut cogitare se habere Dei Spiritum, qui vitio ingratitude adeo laborat, ut non modo minime cogitet gratias referre, sed neque beneficia collata in mentem unquam revocat illaque perpetuae cuidam oblivioni tradit.

Nam sicut verae amicitiae certissimum signum est, si quis de amici favoribus saepius colloquatur eosque omnimode compensare studeat, ita veri amoris divini in nos latentis bonique Spiritus nobiscum habitantis infallibile indicium est, si frequentissimas grates pro exhibitis donis Deo rependimus, nec unquam superna beneficia memoria nostra elabi sinimus: quin ea semper gamur, laudamus maximique pendimus.

2. “Admiratae sunt turbae” (ibid.).

Si praesentes qui adfuerant illi spectaculo homines, cum Salvator obsessum a daemone liberaret eique linguae usum reddidisset, in admirationem tanti facinoris raptae sunt, etiam te hodie turba caelestis ^a admirabitur postquam gratum sacrae Communionis advertet et beneficia divina loquentem praedicantemque non solum trutinantem audiet.

Nam cum plurimi fortassis die hodierna eodem beneficio cumulati tecum sint, plerique autem eorum extemplo a sacra mensa ad profanam, a calice salutis ad voluptatis scyphos conversi, plurimi negotiis variis saecularibus immersi, plurimi negligentiae sopore obruti, gratias nullas immenso Maecenati retulerunt.

^a in ms. legitur hic denuo “turba”: verbum repetitum ob inadvertentiam

Tu, si instar unius ex decem sanatis gratissimi hominis⁵⁷ tanto pro munere grates repones debitas, necessario caelites in stuporem adduces. Et profecto multum temporis gratiarum actionibus teneris, tu, insumere: qui propior Domino, a saeculo alienatus et segregatus es; nec ullis impedimentis variarum tractationum implicaris, ita, ut nequeas assiduae gratiarum relationi operam diligentissimam impendere. [f.35r]

3. “Alii tentantes, signum de caelo quaerebant” (Lc 11[, 16]).

Ne, tu occasionem tentandi Dominum habeas, ecce tibi miraculum omnium miraculorum maximum, seipsum in sacratissimo Eucharistiae sacramento reliquit: quod continuum in orbe inter fideles est divinae bonitatis, simul et amoris ac omnipotentiae monumentum.

Ad quod quoties maeres, si accedas, nunquid non reportas solatium? quoties tentaris, si te sistas, nunquid non liberaris? quoties gratia, aut aliqua ope indiges, si huic Domino sub panis tegumento latenti supplices, numquid non accipis? Lumen vis? ab hoc pete, dabit tibi; vires ad laborandum in agro caelestis Patrisfamilias rogas? conferet. Regnum aeternum expostulas? ne dubita illuc te ab eo deduci. Modo haec universa ita petas, ne tentari a te Regum potentissimus, optimus sapientissimusque videatur.

DOMINICA IV QUADRAGESIMAE

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Abiit Iesus” (Io 6[, 1]).

Experta es, anima mea, quanta maestitiae, imo, quot malorum imperfectionumque causa tibi esset divinae praesentiae negligentia, vel subtractio. Nam, quoad lumen supernum tibi inest, vides clarissime quae

⁵⁷ Cf. Lc 17, 15-18.

agenda, quaeve cavenda tibi sunt: omnia amara suaviter sustines, omnia suavia cum resignatione possides; puram habes conscientiam et in terrestri paradiso, quem iam tum invenisse te existimas, videris tibi commorari, quiescere, deliciis perfrui. Sentis in angelorum aspectu, quoties oras, te esse; hinc magna cum devotione, humilitate attentioneque tuas preces fundis; ut caetera mille bona, quae tibi divina praesentia affert taceam.

Contrario modo tristaris, exsiccaris, dissolveris, cadis, laberis, in pessima quaeque facinora ruis viderisque tibi in inferno, aut prope infernum esse, cum praesentiam Dei prae oculis non habes, cum ex mente tua abit Iesus.

Quod recte contemplatus erat ille, qui dixit: “Esse sine Iesu gravis est infernus; et esse cum Iesu dulcis paradisu”⁵⁸. Vide igitur, quanti sit a te [f.35v] praesentia Dei aestimanda; et quanta diligentia, postquam eam ad sacram mensam acceperis custodienda!

2. “Et sequebatur eum multitudo magna” (Io 6[, 2]).

Considera, quod, abeunte Domino trans Tiberiadis fretum, pii illi homines, illae devotae animae, illa sancta agmina, quae ardentissimis, dulcissimis salutaribusque illius concionibus reficiebantur ac pascebantur, non sese ab illo subtraxerunt, sed per multa pericula, per loca variis periculis obnoxia iniuriisque aeris, puta aestivis ardoribus aliisque exposita, eum sequebantur.

Hoc, tu, constantissimi animi et devotissimi facinus imitaturus es; cum nimirum Dominus profectionem trans maria apparat, cum abs te molitur abscedere, hoc est, consolationes spirituales et sensibiles devotiones vult tibi subtrahere, nihilominus eum minime turbatus per fluctus desolationum, crucis via, sequaris. Siquidem mavult ille potius suos triarios, probatos, inquam, milites, in Golgotheo monte, ubi crux, quam in Thaboreio vertice, ubi lux gloriaeque eius cernitur, commorari persistereque.

3. “Quia videbant signa” (ibid.).

Expende, quod, sicut ille servorum non potest hero suo non placere, qui, licet nulla ipsius benevolentiae signa experiatur, fideliter tamen constanterque sua ipsi obsequia defert. Ita non postremo amore prosequitur illum famulum,

⁵⁸ THOMAS à KEMPIS, *op. cit.*, l.2, c. 8, “ 11 (allegata in margine citantur)

dicam quoque religiosum, caelestis Dominus, qui nullum favorem eius recipiens, nullum signum specialis dilectionis sentiens, neque aliquod divinae omnipotentiae miraculum edens, aut aspiciens, fideli perseverantia, infracto pectore, laeta animi serenitate eius Maiestati famulatur.

Nam facile quivis continuis amoris favorumque vinculis in divinis obsequiis tenetur alligatus; at qui assiduis crucibus oneratur, nunquam non oppugnatur mille adversis et calamitatibus et veluti inutile mancipium relictus exagitur, servit tamen pro modulo virium suarum omnipotenti Regi; hic primorum heroum merita et lauream consequitur. Non illi stabiles servi sunt et amatores, qui ideo Crucifixum sequuntur, quia vident signa; ast illi, quibus, nullis visis [f.36r] signis, fortis amor erga Deum regnat in pectore, qui nullis extraordinariis favoribus gratiisque affecti, sanctissima quadam pertinacia iugum divini servitii ferunt; nec (non quantum illis Dominus, at, quantum illi huic debeant expedientes) unquam in via perfectionis, in amoris exercitiis, in laboribus quotidianis defatigantur: tales demum approbantur servi, tales celebrantur Christi milites, tales religiosi sempiterna mercede potiuntur.

Ex quorum numero tu esse desideres rogabisque Dominum in sanctissima Eucharistia manentem, ut te non ad solatia quaerenda, sed ad cruces ferendas laboresque innumeros exantlandos aptum reddat.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quid ^a inter tantos?” (Io 6[, 9]).

Qualiter divus Andreas innumeram multitudinem intuitus, omnipotentiam Christi ignorans, quinque illos panes maximo plurimi populi concursui non fore sufficientes exclamavit, sic, tu, distractum tuum ab omnique devotionis sensu alienum animum considerans rectissime exclamaveris: “Quid haec inter tantos?”

Quid divinitas Domini mei humanitasque, tot inter tamque varias ac omnes vanas, inutiles, si etiam non peccaminosas cogitationes, versatur? ac quiescit? Quid tam magnus terrenarum cogitationum cumulus cum tanto Domino amantissime hodie corde in meo degente, commercii, societatis, conversationis habet?

^a *add.* “sunt” (BSV)

Ite, ite nihil saluti meae profuturae cupiditates; evanescite hinc noxiae affectiones, quae instar nubis solaribus radiis pulsae fugamini, aeternum Solem fugite ad lumenque illius disparete: quid cum infinitae maiestatis Imperatore nugis? quid cum inaccessibili luce nebulis? quid vobis transitoriae et fluxae servae cum Rege immortalis? Abite igitur hinc et totum cordis mei locum caelesti hospiti, vere serenissimo, augustissimo et gratissimo concedite et relinquite.

2. “Impleti sunt” (Io 6[, 12]).

Qui Dominus tantam curam alimenti corporalis habuit, tam sedula sollicitudine cibum turbis se comitantibus inquisivit, tam munifica liberalitate eas refecit, ut nullus eorum mortalium fame pressus, aut esuriens abscesserit. [f.36v]

Qua idem diligentia et bonitate animas nostras curat, qua clementia et sedulitate sequentibus sese alimenta spiritu[a]lia providet: quam prodiga liberalitate eos reficit, nutrit, educat et in gressibus viarum sanctarum consolidat; quam laute et opipare illos tractare solet, ne in cursu ad perfectionis apicem tendentes deficiant; quanta illis media et quam multas gratias liberaliter elargitur, ut opus suae perficiant salutis!

Ex te ipso rem concipe, considerans quot te donis, quot charismatibus^a [s], quanta spirituali annona divina munificentia cumulavit, licetsi[s]^b nequam servus sis; quot vires ad perfectionem tendenti addidit modosque mille, iuvandae, alendae et salvandae animae tuae ostendit, ut alia omittantur, sanctissimo Eucharistiae sacramento quoties te fessum refocillavit roboravit-que? quoties deiectum, tristem et in barathrum paene desperationis ruentem solatiis in eo contentis recreavit, exhilaravit, in spe optima continuit!

Tu vero quam male his omnibus usus es! resipisce tandem et emenda!

3. “Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne pereant” (ibid.).

Certo tibi persuade, omnibus illis, qui proximi curam gerunt, maximas plurimasque concedi gratias, ut non tantum suam salutem; sed etiam alienam possint acquirere animasque multorum lucrari. Quid igitur, tu, tam

^a talis flexura admittitur in LLMA, dum solite talia verba Graeca in Ablativo habent flexuram “is” loco “ibus” ^b sufficiens hic esset dicere: “licet”

desides geris animos, ut te nulla cura amorque tui proximi tangat, moveat, compungat? Tuam, ais, te salutem operari. At, o optime salutis propriae procurator, sciendum tibi est, te, quando proximi curam habes, etiam simul tui ipsius habere; cum vero uni tibi invigilas, verendum est, ne circa te unum deficias. Quanto enim pluribus laboribus te in vinea Domini fatigas, tanto securior aeternae salutis immortalisque es praemii.

Ergo collige semper, quae tibi supersunt fragmenta: quod superest tempus, proximi saluti impende; quae vires supernaturalesque gratiae tibi supersunt, eiusdem curae intende et consecra, ne forte de superfluis donis et talentis, si forte illis abusus fueris, strictissimam rationem (imo, pro certo hoc futurum est) in strictissimo horrendi Iudicis Christi, nostrum omnium salutis operatoris, iudicio reddas.

Siquidem hic paratus est pro una anima, si opus sit, rursus sanguinem suum profundere. [f.37r]

DOMINICA PASSIONIS

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quis vestrum^a arguet me de peccato[?]” (Io 8[, 46]).

En nullum scelus crimenque iustissimus Dominus Redemptor mundi habet, cur tamen, ut scelestus captus est? ut latro accusatus, damnatus, ad supplicium ductus? plus quam praedo aliquis et omnium hominum nefariorum maximus, in crucem actus morteque tam crudeli, quam turpi extinctus est? Peccata tua fecerunt istud. “Propter scelus populi mei” (inquit divinum Numen ore prophético) “percussi eum” [Is 53, 8].

Vide ac considera, quantae audaciae, imo malitiae est, te quotidie labi, tam temere, tam facile et tam negligenter emendare, tam pertinaciter in sceleribus haerere, pro quibus tanta tamque acerba et inaudita tormenta Salvator mundi patiat! Ierusalem, Ierusalem: anima peccatorum mole non gravata, sed obruta; anima infaustam viam subterraneae regionis carpens; convertere

^a “*ex vobis*” (BSV)

tandem ad Dominum Deum tuum, qui nihil tibi unquam eiusmodi fecit, ut ex amantissima filia, tam infesta et inimica illius peccatis delectando existas.

2. “Qui ex Deo est, verba Dei audit” (Io 8[, 47]).

Si, quoties pientissimus Dominus pulsat cor tuum instinctibus sanctis et, ut benefactis des operam animat te, ut a somno peccatorum expergiscaris excitat, ut secundum virtutis leges tuam inchoes viam et in eas vitamque ducas prorsus spiritualem monet; si, inquam, tu toties dissimulas, te non audire divinum verbum, non sentire, vel non intelligere inspirationes illius, aut has flocci aestimas, scito pessimo in statu esse te, infelicis exitus proximum et a malis orci geniis iam iam trahendum ad damnationem sempiternam.

Simili modo deplorandus est status tuus, cum admonentibus te et ad perfectionis veram semitam ingrediendam cohortantibus, difficiles surdasque aures praebeas; aut excipis quidem monita illorum, audis verba, sed opere non exequeris, vel tuum propter fastum, vel propter summam (quod [f.37v] certissimum damnandi hominis signum est) pertinaciam voluntatis atque cordis durtiem. Age igitur, obsequere divinis instinctibus, pare consiliis, persuasionibus iussibusque aequis aliorum, ne frustra pro te misericordissimi Domini sanguis effusus esse reperiatur; quem et in praesenti sacra Communione, salutarem tibi et proficuum fore exoptabis atque obsecrabis.

3. “Samaritanus es tu” (Io 8[, 48]).

O admirandam Dei-Hominis patientiam! daemonicus Samaritanusque vocatur et tam modeste respondet, tam patienter acutos improbarum linguarum ictus sustinet! Stupesce et admirare hanc summam patientiae idaeam, actum imitare Pharisaeamque hanc mordacitatem abominatus et calumniantem linguam, nunquam te furiis abripi patiaris; alienas vero furias libenti laetoque animo patiaris.

Nam et contra te aliquid Dominus habet: sunt illi posita ob oculos tot tua scelera, tot suae iniuriae; est ingratitude summa, aut saltem tepiditas nota, quod ex illius factis omni imitatione dignissimis, ex passionis genere ac modo, tot virtutibus affluentis nullum fructum percipere studeas.

Obmutesces igitur ad mordaces hominum linguas, Salvatoris iniurias calumniasque perpensens et ab hoc Domino nihil aliud hodierna in sacra synaxi petes, quam hanc admirandam patientiae mansuetudinisque virtutem.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Inhonorastis me” (Io 8[, 49]).

Quanto dolore conqueritur Rex caelorum augustissimus, se a Iudaeis despectum esse, et non modo ullo merito honore, sed etiam summa ignominia affectum: nec immeritae hae^a querelae sunt. Venerat enim ad illos tanquam populum suum electum et dilectum; venerat, tanquam Pastor ad salvandas oves [f.38r] quae perierant domus Israel. Sed, ubi gratitudinem, amorem venerationemque sui summam reperturus erat, ibi ingratitude, odium contemptumque reperit et illi eum non cognoverunt, hinc neque venerati sunt.

Cave, cave tu, ne tibi ab eodem Domino in ultimo decretorio die, terribili die, dicatur: “Et non honorasti me”: si, quem cordis tui domicilio excepisti, eum contumeliis afficias; si, qui commiseratione tuae animae tot imperfectionum morbo oppressae medendi ductus ad te amantissime invisit, eum iniuriose tractes, indecenter te, illo praesente, gerendo, immodeste, ingrate, indevotè, oscitanter; si honorarium illi aliquod extraordinariorum precum, vel exercitiorum virtutum mortificationumve spontaneorum non obtuleris; si denique, cum possis, nolueris honorem illius propagare, aut hunc propagantes non iuveris, vel, quod maius nefas, impediveris, aut demum minueris propagatum. Ab hac igitur omnique alia Salvatoris irreverentia abstineto. Nam si honorandum non honore afficis, est, qui te iudicet in extremo, horrendo iustissimoque suo tribunali.

2. “Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum” (Io 8[, 51]).

Si tanta virtus verbis doctrinaeque Dominicae inest, ut humanas animas praeservet a morte eaque perenni, quantam inesse existimandum est

^a *in ms. erronee*: “haec”

Sanctissimo Sacramento, ubi non tantum verba et lingua Christi, sed totus Christus, totus cum divinitate ac humanitate continetur et suscipitur, quis dubitet illud vitam conferre mortalibus et devote pieque sumentes a morte infelici peccatorum sive suscitari, sive praeservari? Ipsa certe Veritas, quod dixit de verbis, de corpore suo sacratissimo testatur inquiring: “Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam” (Io 6[,55]). Dicit: qui id fieri potest? Sic, inquit Dominus: “Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me” [ibid., 58]. [f.38v]

Quare felicem te reputa, quod pane hoc vivificante refectus sis hodie, at non te immemorem tanti divini beneficii favorisque exhibeto.

3. “Si quis sermonem meum servaverit” (ibid.).

Expendes evangelicam Christi Domini doctrinam, non tantum a morte perenni custodire homines conservareque, sed etiam a temporali. Cum enim ebrietas, gula, luxuria aliaque vitia sanitatem mortalium destruant ac auferant longioris vitae dies viresque corporis labefactent, enervent, eripiant et innumeram morborum vim causant, qui haec divinis praeceptis vetita et evangelicis consiliis cavenda, cane peius et angue fugit, nihil memoratarum aegritudinum infirmitatumque patietur. Sed multo attentius custodiendam esse idcirco doctrinam Dei, quod illa animae nostrae aeternam vitam immortalemque conferat. Quod ut facilius tu possis efficere, suspira ad Dominum, ut te ab omni opere contrario legi sermonibusque suis custodiat. Tu enim, dic[is] [?/] Domine, Samaritanus es, quod interpretatur custos: neque hoc nomen tibi ab impiis calumniae causa obiectum refutasti, custodem te universi generis humani agnoscendo.

Tu igitur custodi me, ut pupillam oculi ab omni lapsu malo: sub umbra alarum tuarum protege me a calore et infestatione orci satellitum et fac, ut ego vicissim custodiam sermones tuos hosque custodiendo obtineam et acquiram vitam sempiternam ^a. Amen.

^a in ms. est hic repetitio superflua: “vitam”

DOMINICA PALMARUM

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Cum appropinquasset^a Iesus^b Ierosolymam^c [.....] misit duos discipulos” (Mt 21[, 1]). [f.39r]

Considera Christum Dominum quoties ad animas pias sibi que devotas approximat, praemittere semper duos discipulos, quasi quosdam legatos: tribulationem, sive crucem, quae nos in patientia exercent et mortificationem, quae nostram voluntatem illi obsequentem reddat; tunc demum ipse post duos hos nuncios solet advenire nosque deliciis spiritualibus et pretiosissimis dulcedinibus afficere.

Hoc factum fuisse discis in evangelica historia cum discipulis, quos sua Resurrectione recreaturus Dominus necis docuit voluitque prius passione morteque tristitiam capere et illorum voluntatem suae conformem facere; quae fuit, ut moreretur illique mortem suam aequo animo tolerarent.

2. “Solvite, et adducite mihi” (Mt 21[, 2]).

Considera per hodiernam asinam simplices, candidos, obedientesque homines posse figurari, quos sibi Dominus adduci iubet; cum simplicibus enim conversatio ipsius; candidos a latere suo locat et fratres sui sunt obedientes, qui faciunt voluntatem eius, sicut et ille fecit voluntatem Patris, qui in caelis est. Quemadmodum enim asina animal est simplicissimum, utpote, quod fert quidquid sibi fuerit impositum; est obsequens domino suo nutuique ipsius, cum, quo pellatur, currit; unde retrahatur, recurrit, ita animam Christi famulam simplicem esse opus est, ut tam iniurias, quae sunt onera maxima, quam iugum obedientiae portet constantissime.

Obedientem esse necesse est, ut voci Dominicae eiusque vicariorum pareat et illa via gressum faciat, qua a Deo suisque Superioribus in loco Dei existentibus ducitur. Unde et sancti asinos se suavissime appellabant, quod vel obedientissimi essent vel animum promptissimum ad parendum habent.

^a “*appropinquassent*” (BSV) ^b *om.* “*Iesus*” (BSV) ^c “*Ierosolymis*” (BSV)

Harum igitur virtutum praestantiam expendens et magni faciens, illud tua mente beati Petri Damiani revolve: “Egrediamur igitur [.....] obviam Domino Bethphage, compuncti timore poenae, et spe caelestis vitae firmati, confitendo peccata humiliter et simpliciter, ambulando subtractis^a vestibus nostrae carnalitatis, ut in nobis dignetur sedere Dominus, et nos secum in caelestem Ierusalem introducere”⁵⁹. Amen.

3. “Dominus his opus habet” [Mt 21, 3].

Cum iam praesupponas asinos Domini esse simplices et obedientes [f.39v] homines, nunc intellige tales omnino a Deo requiri, ut suum illis iugum facile imponat, voluntatem manifestet et iniungat. Quippe repugnans Deo humana voluntas non est ad illi serviendum apta. Sicut inobsequentes famulos domini odere, ita Deus inobedientes religiosos. Dominus Iesus opus habet obedientibus, qualis ipse fuit; cuius cibus erat facere voluntatem Patris et ipsi ad mortem usque crucis obsequi. Tales fuere servi ipsius Apostoli sanctissimi, per quos universum orbem convertit.

Igitur cum ille sit bonorum omnium virtutumque dator, hanc hodie ab illo virtutem postulabis, ut fias sicut iumentum apud eum, ut semper cum eo sis.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Fecerunt sicut praecepit illis Iesus” (Mt 21[, 6]).

En veros servos Dei, qui, quod iniunctum illis erat, summa promptitudine, alacritate, perfectione exegerunt. At profecto quid potuit factu esse difficilius, quam alienam asinam accipere ducereque? Cuius dominus poterat dixisse, non sibi notum esse Magistrum eorum ac proinde negare se illi iumentum insidendum. Nihil omnino eiusmodi evenit, eo

^a “*substratis*” (CLCE)

⁵⁹ CORNELIUS A LAPIDE S.I., “*Commentaria in Quattuor Evangelia*”, ed. 5-a, Taurini-Romae 1941 (CLCE), t. II, “*In Sanctum Matthaem*”, pp. 155-156: *allegatio e homilia “in Dominica Palmarum” B. Petri Damiani.*

quod obedientia haud quicquam habet impedimenti, obstaculi, difficultatis. Obediens quippe solus ardua subiugat; cui quanto difficilius mandatum iniungitur, tanto facilius illud conficit. Nam plerumque maximis in negotiis, veri servi Numinis mens sibi diffusa, illa Deo committit ab eoque perfici videt.

Sic Apostoli, quamvis illis perdifficilem et adeo gravem rem Dominus imposuerit, ut alienum sibi animal adducerent, cognoscentes iam illum Deum fuisse, nihil reluctando acceptum asinam perrexerunt. Scilicet genuinus veri obedientis spiritus est promptissime parere; at obedientiae, omne conficere negotium, licet factu impossibile videatur. Illa namque [f.40r] cum omnipotens sit, quasvis difficultates perfringit et quidquid semel fuerit aggressa, nunquam relinquit imperfectum.

Tu, igitur, qui obedientissimum Patris immortalis ad mortem Filium in sanctissimo Sacramento suscepisti, cave, non pareas, cui teneris; cave diffidas a te illa omnia confectum iri, quae tibi Deus per suos vicarios conficienda imposuit; cave, ne non malis potius mori, quam non obedire.

2. O mi Deus immortalis! quale est regnare tuum? qualis triumphus?

Romani imperatores ex bellis redeuntes vel elephantis, vel coronatis dromedariis, in Urbem triumphantes invehebantur; tu caeli atque adeo totius orbis Imperator regiam in urbem Davidicam asinae pullo insidens ingrederis! qui^a sui contemptus! quae humilitas! Quid tibi abhinc, anima mea, tam acerbum ac molestum poterit contingere, quod amore Iesu non suscipias? quid tam vile, despectum contemptibileque, quod Ducem tuum sic hodie videns humiliatum, audeas reicere? quae te deinceps res a contemptu mundi abstrahet? quae, ut magnifica, speciosa praestantioraque appetas, vel eligas, tibi ratio persuadebit?

Inter bovem asinumque natus Christus iacuit, in asino Ierosolymam ingressus; cur ita? ut tu erudiaris, vilium amatores, excellentium contemptores, omnis pompae derisores despectoresque superna in Regna facile intrare admittique; tibi que crucem quamvis, quantumvis gravem, leviolem reddi fierique, si per tui contemptum te ad illam ferendam

^a in ms. erronee: "quis"

disponas, si tui prius oblivisci discas, si te flocci pendere assuescas et nihili aestimari concupiscas. Eo enim facilius Iesus spineum diadema, purpuram ludibrii omnesque irrisiones ac despectus die Veneris tulit, quo contemptibilis Dominico die asello insidens in Urbem invectus est.

3. “Et cum intrasset Ierosolyam, commota est universa civitas” [Mt 21, 10].

Sicut Verbum aeternum, Christus Dominus Solymaeam urbem ingressus eam totam commovit, ita credibile est ab eodem humanam animam cum humanitate divinitateque sua invisente, quae anima Ierusalem mystice appellatur, [f.40v] totam commoveri, immutari, transformari; ut ex carni serviente, spiritui subiectissima reddatur; ex sensualibus rebus dedita, mortificationum amatrix; ex variis passionibus obnoxia, multarum virtutum cultrix; ex ariditatibus siccitatibusque afflictata, devotionis gratia caelestibusque solatiis abundans fiat; tum ex fastuosa humilis, e rebeli obtemperans, e mundi sectatrice Dei sectatrix efficiatur: haec sunt effecta Sanctissimi Sacramenti; haec certissima divinae gratiae signa in homine permanentis operantisque.

Quodsi tu aliter hodie affectus es, aliter turbaris et commoveris; bilis, vel invidiae inflaris tumore, mulceri cupis et blandimentis deliniri, mundi vanitatibus addictum te esse, aut nondum plene ab iis cor tuum avulsum sentis, crucem quantulamcunque refugis, voluntati divinae trepidas te, seu non vis resignare, credito a te instar Pharisaeorum, non instar gratulantis ac tripudiantis turbae Christum Dominum exceptum esse. Quare errorem hunc quantocius emendato.

DOMINICA RESURRECTIONIS DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Valde mane una sabbatorum, venerunt^a ad monumentum” (Mc 16[, 2]).

Expende verissimum amorem piarum faeminarum, Magdalенаe et alterius, quo ardebant erga Iesum. Primo enim considerata hic est illius celeritas: quod videlicet valde mane proripuerunt sese ad sepulchrum. Unde discenda in actionibus Dei amore susceptis velox executio. Amor quippe, cum verus est, vehementia caloris sui omnem desidiam somnolentiamque in amante exurit. Celer amor est, morae impatiens; tarditatem odit, nihil agit pedetentim, omnia impigre conficit; alatus Pegasus⁶⁰ amor est. Sed vide, tu, qua celeritate actus tuos perficis ex amore Dei peragendos. Vide qua velocitate ad Fontem aquarum viventium curris; cervumne et Pegasus, an pigrum asinum et testudinem imitaris? Si pigrum te sentis esse, non amas, non habes flammam divini amoris veram, quae tuum pectus urat [f.41r] desiderio suscipiendi Amoris tui Christi; quae te stimulet, impellat cogatque ad communicandum.

Secundo, expendendae sunt difficultates harum hodiernarum amatricum, quas in adeundo tumulo Domini habuerunt; maxime vero difficilis res erat, faeminas duas mane summo, antelucanis nempe horis, ad Dominicum sepulchrum, a militibus cinctum, grandi lapide clausum, accedere. Quod, quamvis illae considerantes dicerent: “Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?” [Mc 16, 3], attamen caecarum instar ab amore caeco ducebantur, solo amore contra omnem difficultatem armatae; siquidem non ignorabant: Amanti nihil esse difficile.

Tu quoque nullam difficultatem in rebus ad amorem Dei spectantibus metuas. Nam frangit amor omnia; quia amati potentia omnia potest, quae amantibus numquam deesse solet.

^a “veniunt” (BSV)

⁶⁰ “Pegasus” est nomen equi alati (e historia fabulari Graeca). Hic adoperatus est uti symbolum celeritatis, quia gratia alarum multum celerius moveri potest quam equus normalis. Cf. PARANDOWSKI, “Mitologia”, pp. 111. 203. 217.

2. “Ut venientes ungerent Iesum” (Mc 16[, 1]).

Considera a sola Maria Magdalena aliquoties inunctum pretiosissimis aromatis Iesum fuisse; ubi vero ad tumulum amantissimi Domini sese confert, sociam non tantum viae, sed etiam sumptuum fortassis quaerit, alteram Mariam Salome. “Emerunt”, inquit Scriptura, “aromata” (forsitan ambae) “ut [...] ungerent Iesum” [ibid.]. Sed fuerit unius pretium aromatum, quamvis ab utraque empta fuisse innuantur. Tu, societatem solam boni operis admirare. Simul eunt unctum Christum; invicem sese omnibus periculis exponunt.

Docent profecto nos, ut auxiliares manus aliis pro Domino laborantibus libentissime iungamus et quoad hac in mortalitatis continuique sudoris ac laboris area vivimus, invicem bonum operemur. Cum vero ungenti Christi corporis amplius nobis nulla datur facultas summumque hoc humanitatis, imo amoris officium ei deferendi copia subtracta sit, suavissima virtutum fragrantia eum recreemus et sanctarum actionum aloe atque balsamo deliniamus. Etenim, “si odore virtutum [f.41v] referti,” (docente Magno Gregorio) “cum opinione bonorum operum Dominum quaerimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus”⁶¹.

3. “Surrexit, non est hic” (Mc 16[, 6]).

Considera, divinum corpus foetorem, qualem quatruiduanus Lazarus contraxerat⁶², non contraxisse in sepulchro: imo ne quidquam immutatum esse. Iam vero gloriosissimum e tumulo prodivisse et tot immortalis claritatis radiis effulsisse, quot antea fuerat confectum vulneribus. Talia quoque futura Beatorum corpora caelesti in gloria expendes; quae licet hic iure naturae iuxta edictum Dei vertantur in cineres et esca vermium fiant, tot tamen radios post resurrectionem in Regno Christi vibrabunt, quot vermibus, dum in sepulchro resolverentur, scatebant. Consolare igitur tuam infelicem conditionem hoc futurae gloriae privilegio ac in corruptionis munere et tanto magis corpus tuum laboribus, mortificationibus, vigiliis,

⁶¹ GREGORIUS M., “Homiliae in Evang.,” hom. 21 in Mc : PL 76, 1170.

⁶² Cf. Io 11, 39: “Domine, iam foetet, quatruiduanus est enim”.

poenitentiis atterere non verearis, quanto ampliorem beatitudinis sempiternae gloriam splendoremque ipsius futurum desideras. Iste Dominus immortalis, quem redivivum viva fide hodie apud te hospitem habiturus es, his in omnibus maximo tibi erit adiumento.

Sed prius ipsi gloriosam anastasim gratulare, atque dic: O diem felicissimum! o lucem albo calculo notandam⁶³! o solem exoptatissimum! quo nobis non iam salutis spes affulsit, sed salus ipsa reddita est; quo limbi tenebrae illuminantur; quo carceres eiusdem perfringuntur et sanctissimorum captivorum a tot saeculis in aeternam libertatem numerus vindicatur; quo corpus mortuum ultra legem naturae reviviscit; quo Mater Filium ante tres dies occisum vivum intuetur: Iesus resurgens maestam Mariam salutans consolatur; quo caelestes genii cum terrenis mulieribus [f.42r] colloquuntur; quo Magister discipulis post fata resurgens apparet et Princeps pacis pacem Apostolis propinat. O diem hunc felicissimum, gloriosissimum, laetissimum!

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quis revolvat nobis lapidem?” (Mc 16[, 3]).

Quanta solitudine tenentur sanctae hae matronae sepulchralis lapidis removendi! Et tu exclamare potes, imo debes, magnis imperfectionum saxis obrutum in corde tuo Christum considerans:

Quis revolvat mihi lapides hos? tepiditatis marmor, spiritualis frigoris rupem, obstinationis, voluntatis propriae amorisque silices? Quis quoque palpebris meis demet nubem, aut potius pupillis lanuginem, ut videam Dominum meum hodie apud me depositum?

O utinam aliquis sanctorum caelitem descendat et cum tenebras amovens lumen mihi animae restituat, tum lapides istos defectuum meorum elevet ac abiciat! Quin tu Iesu redivive, quem adhuc non[n]ihil sentio esse apud me, me, uti Sol, illuminas; uti fortis et accinctus robore omnem durum lapidem a corde meo dimoves.

⁶³ “*Solebant Thraces dies prosperos et laetos notare albo calculo...*” (SLL).

2. “Surrexit, non est hic” (Mc 16[, 6]).

Duplici potes consideratione circa haec verba occupare tuam mentem: vel enim cogita, Christum Dominum quem in sacra mensa suscepisti, iam te tuas ob imperfectiones deseruisse gratiamque ipsius tam subito tuis defectibus effugam esse a te.

Vel expende, omnem animi tui pravam passionem adveniente ad te virtutum Domino disparuisse posseque a te malis motibus emancipato exclamari: “Surrexit, non est hic”.

Quievit, aut potius abscessit libido, quia sanctiores caelestes flammam sustinuisse non valuit. Evanuit impatientia, quia cum patientissimo Domino convenire non poterat. Abscessit furor quidam et inclementia cordis, quia [f.42v] cum agno mansuetissimo non dabatur ei locus. Fugit honoris, gloriae ac propriae aestimationis cura, quia cum despecto, contempto, opprobrii affecto, exviscerato nudoque Dei Filio non fuit illi manendi commoditas. Duo enim contraria (ut philosophorum doctrina ad pietatem inflectatur) non possunt esse simul in eodem subiecto: non potest in uno corde morari amor carnalis cum spirituali, sensualitas cum mortificatione, probitas cum improbitate et cum similibus reliquis reliqua similia. Ergo gaude, tibi gratulare et persolve Domino gratias, quod ipsius ad aspectum omnis pestis surrexerit et ex corde profugerit.

3. “Nolite expavescere” (ibid.)

Non deserit amantissimus benignissimusque Dominus suos unquam in adversis. Sic discipulos aliquando maris fluctuantis exorta percussos tempestate roboravit; sic contra orci et mundi furores armavit. “Nolite timere” [Lc 12, 32], etc. “Maximum^a gaudium existimate [.....] cum in ^bvarias tentationes^b incideritis” [Iac 1, 2], etc. Cum vos flagellaverint, “gaudete, et exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis” [Mt 5, 12]. Sic quoque hodierno die pias mulieres per angelum solatur, fortificat, confirmat. “Nolite”, inquit, “expavescere”; nolite ob mortem Christi turbari. Nam redivivus surrexit, iam “non est hic”, ubi a vobis quaeritur, in sepulchro, sed “praecedet^c vos in Galilaeam; ibi eum videbitis” [Mc 16, 7].

a “omne” (BSV) b-b “tentationes varias” (BSV) c “praecedet” (BSV)

Si igitur in diversas et tu permittente Deo irrueris adversitates, ne idcirco cadas animo: ne turberis, ne metuas, noli expavescere. Expecta expectans Dominum, et intendet tibi⁶⁴. Probabit te, sed non deseret. Subtrahet te sibi, sed te praecedet in Galilaeam, hoc est praecurret te ad locum orationis: ad quam ut maestus animo et mente anxius recurreris, procul dubio ibi mox eum reperies, videbis, propitium experiere. [f.43r]

SECUNDA DIE PASCHATIS

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ibant ipsa die in castellum” (Lc 24[, 13]).

Considera ingrediendum tibi esse castellum animae prius, quam Dominum suscipias et examinandum, quale nam sit? quam munitum contra tartarei hostis insultus? quam mundum a sordibus vitiorum? quam denique ornatum virtutum peristromatibus? Quod si quidpiam illi horum desit, rogandus est tibi, ut cum illud sua praesentia inviserit, suis donis muniat, mundet, exornet, ne quid omnino ad illius perfectius, sine qua turpe et vile et contempti[bi]le et inutile fuerit, desideretur. Cacodaemon quidem non magno indiget foramine, quo se ad subruendam totius castelli animae structuram immittat: vel minimae regulae transgressio ei ad hoc sufficiat.

Paucas sordes, ni eiciantur, ad magnum faectorem animae sufficere: exiguis imperfectionibus, quae etiam suam ob parvitatem flocci fiunt, magnas virtutes extinguere probatur saepissime.

2. “Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent” (Lc 24[, 16]).

Sicut parva corporei oculi albugo omnem visum impedit, ita existimes velum^a a tenuissimis defectibus [factum ?] totam animam obcaecari et effici, ne aperte internis oculis Deum contempletur. Vae animae illi, cuius oculi, ne Deum videre possit, non modo agnoscere, tenentur! Ah! roga, roga

^a in ms. erronee: “velim”

⁶⁴ Cf. Ps 39, 2

Iesum, ut haec a te sui videndi agnoscendique auferat impedimenta antequam illum adeas, ne forte illum non videas, aut licet videris, non agnoscas et cum hodiernis illius discipulis in hanc incidas infelicitatem. Quibus, commemorante id divo Gregorio, “de se loquentibus Dominus apparuit; sed eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit”⁶⁵. Ne nunquam tibi istud eveniat, ut, licet Christum redivivum in sanctissima [Communione] sumpseris, mortuus reperiaris: licet Dominum virtutum apud te habueris, nulla tamen harum vestigia in te compareant. [f.43v]

3. “Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem” (Lc 24[, 17]).

Considera ex te inquisitum Dominum, imo strictissime iudicatum, omnia oris tui verba, omnes linguae sermones. Cum enim ex ore hominis vita morsque procedat, dabis rationem supremo Iudici, quem tuo colloquio vivificasti, instruxisti, aedificasti, ad meliorem frugem revocasti; aut contra, respondebis: quem extinxisti, pervertisti cuique perditionis causa fuisti. Hic igitur potius tui age rigidum censorem oris, tui ipsius iudex esto, et commissa mendacia, multiloquia, detractioes, murmurationes in mentem revocans digna poenitentia abluere expiaque. Tum deinceps severo linguam freno coere peteque a Domino, ut ponat custodiam ori tuo et circumstantiam labiis tuis⁶⁶, ne indigna religiosa tua persona loquaris.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Invenerunt lapidem revolutum a monumento” (Lc 24[, 2]).

Considera has sanctas faeminas Christoque addictissimas aliter dispositum esse Dominicum sepulchrum, quam ipsae imaginabantur: lapidem namque revolutum, qui^a illas anxias reddebat, reppererunt. Sed Domini corpus, quod nullum illis faciebat dubium, non invenerunt. Unde

^a in ms. erronee: “quod”

⁶⁵ GREGORIUS M., “Homiliae in Evang.”, II, hom. 23 : PL 76, 1182, n. 1538.

⁶⁶ Cf. Ps 140, 3.

alia maior sol[1]licitudo illas invasit et lachrymae etiam exortae sunt. Queritur enim Magdalena inquiens: “Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum” [Io 20, 13].

Sic tibi hodie aggravatae non paucis culpae conscientiae lapis revolutus est; sed quoniam illum, qui modo apud te depositus erat forsitan iam non reperis in corde tuo, in maiorem tribulationem tibi lachrymasque erumpendum est. Quam cito enim a te vana solatia, importuna negotia, frivolae occupationes Iesum expellunt! quam cito eum tibi eripiunt! Ah cave, cave deinceps tale bonum amittere.

2. “Et recordatae sunt verborum eius” (Lc 24[, 8]).

Expende sensus nostros doceri eventibus. Tam Magdalene, quam discipuli, olim Magistrum sua de Resurrectione loquentem non intellexerant; sed [f.44r] postquam eum in sepulchro non reppererunt, tunc aperti sunt oculi eorum, tunc recordati sunt verborum eius.

Ita plerumque tecum fieri adverte; qui cum a Christo Domino, vel eius Spiritu, vel vicariis, hoc est spiritualibus magistris aliquid doceris, non intelligis, donec experiaris.

Ast utinam Domine! iam te docentem posthac subito intelligam: imo utinam post tot damna mea sero licet recorder verborum tuorum et cum Davide in visitatione convertar ad te! cum totque aliis sanctis peccatoribus respiscam; non cum Iuda maneam ac perseverem et idcirco damner, in pertinacia, stultitia caecitateque mea.

3. “Nuntiaverunt haec omnia” (Lc 24[, 9]).

Considera ab illis religiosissimis matronis omnia nunciata fuisse Apostolis, quae viderunt circa sepulchrum; partim, quod ab angelo id fecisse iussae fuerint; partim, quod a cacodaemone sub specie angeli decipi vererentur.

Et tu dubitabis conscientiam tuam alteri revelare? vel ob timorem, vel ob nimiam tui fiduciam? Si times, male sanus es; si tibi confidis nimium et te in spiritualibus versatissimum esse praesumis, caves labaris! Neque enim ipse Christus Dominus seipsum direxit, sed habuit spiritum, a quo ducebatur et aeterni Patris voluntatem quam exactissime adimplebat. Adverte, quanta

commoda ex revelata conscientia accipias; quanta vero incommoda, ex eadem occultata. An te non torquet assidue quidquid in ea contegis? an vero non summa pace laetitiae perfrueris, quoties illam manifestas?

Disce itaque a sanctissimis hodiernis mulieribus omnia tua interna, quorum interest, revelare et eorum parere consiliis.

TERTIA DIE PASCHATIS

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Stetit Iesus in medio discipulorum^a” (Lc 24[, 36]).

O quantum tunc gaudium maestorum Apostolorum animos implevit! quanta [f.44v] eorum fuit exultatio! quale tripudium! cum mortis triumphatorem Iesum in medio sui summa in gloria conspexissent! cum corpus ipsius glorificatum, summa conspicuum maiestate totque privilegiis ornatum vidissent!

Talis tibi consolatio, tale beneficium, anima mea, hodierna luce paratur. Subibit enim sive habitaculum, sive caenaculum cordis tui redivivus ille; Stygis, orbis mortisque debellator invincibilis Iesus in medioque tui consistet. Quid igitur tanti in adventu Domini factura, quid procuratura es? Congrega vagos tuos sensus et dispersas cogitationes: recollige spiritum in unum, ut unum Iesum videre studeat et possit, suscipere flammanti desiderio cupiat, eo reficiatur, sustentetur, delectetur; cum illo, fugatis amotisque procul omnibus aliis conversationibus et oblectamentis, solo conversetur. Namque ipse Apostolos nonnisi congregatos invisit et non nisi summo desiderio videndi ipsius flagrantibus apparuit.

2. “Pax vobis” [ibid.].

En divinae praesentiae comitem optatissimum effectumque certissimum, pacem! Apprehende itaque attenta mente, nunquam tibi praesentem adesse Iesum, quando pace animae cares semperque illum a

^a “*eorum*” (BSV)

tuae domicilio mentis per graves imperfectiones effugatum fuisse, quoties in bella interna incidisti. Davidis hoc exemplo doceris: qui offensa divina Maiestate praeter pestem, etiam ex amicissimis hostes expertus est infensissimos⁶⁷.

Illud etiam pro certo pacem tibi beatam ac caelestem eripit, quod pacem in rebus transitoriis, externis, inter amicos familiaresque homines quaeras. Atqui Divini Spiritus monitum est: “^aNolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non est salus^a” [Ps 145, 2-3]. Nunquam quiete fruiturum illum, qui apud mortales quietem emendicat. Quoties Hebraei ad Deum confugiebant auxilium praesentissimum sentiebant; cum vero pacis comparandae causa ab Aegyptiis suppetias postularent, a Domino exercituum deserebantur⁶⁸. Ita nemini caelitus pax conceditur, qui terrenam inquit et prius ad creaturas pacis gratia, quam ad Creatorem confugit.

Pax igitur sit tua pacificum apud Salomonem Christum Iesum: et cum illam non habes, cito descende ad examinandam conscientiam, sic cito ad te descendet dulcis malacia. [f.45r]

3. “Nolite timere” [ibid.].

Cognoverat Dominus iam elusionum illusionumque peritos Apostolos ac proinde illis apparens, ne metuerent hortatus est. Sciebant enim caelestis Magistri illi sancti discipuli et cacodaemonem et Hebraeos fuisse sibi infensos ac proinde uniusque inimici insidias cavebant. Quare optimus et pientissimus Magister eos invisens, ne trepident ad primum aspectum monet seque ipsis aperiens: “Ego”, inquit, “sum” [ibid.]. Nimirum divina charismata, gratiae, illuminationes, homini cognoscendae sunt visionesque caelestes, quod nullam turbationem ac timorem in anima efficiant, sed summam causent securitatem et quietem. Et quis possit tremere Domino sibi adstante? “Si consurgant^b adversum me castra” (ait Hebraeus psaltes) et Deus mihi aderit, “non timebit cor meum. Si exurgat adversum me

^{a-a} in margine, loco verborum quae in textu deleta sunt, substituitur: “Infelicem esse qui sperat in hominibus”; ^b “consistant” (BSV)

⁶⁷ Cf. 2 Reg 24, 10-17; Ps 40, 10; 54, 14-15.

⁶⁸ Cf. Is 30, 1-7; 31, 1-3; Jer 42, 11-22; 43, 7-13; 44, 1-14.

praelium, in hoc ego sperabo” [Ps 26, 3]. Secure quippe et audacter pugnat, quem divinae tutelae armat praesentia. O te beatum! qui hodie ipsum Dominum apud te essentialiter habebis, hoc est sacramentaliter! cui omnia parent, quem omnia metuunt, cui nihil potest adversari!

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre” (Lc 24[, 37]).

Considera magnam congregatorum illorum discipulorum prudentiam et circumspectionem: quod, quamvis non ignorarent, imo fuissent edocti, resurrecturum fuisse Dominum, viso tamen illo cohorrerint et contremuerint. O si tu hunc in modum cautius in spirituali via incederes! profecto nunquam errares; raro, imo non unquam decipereris; si ita vigil et prudens in technis cacodaemonis evitandis fores, nunquam in eas incideres; si tam sancte astutus perfectionis iter carperes, nunquam graviter corrueres. [f.45v]

Saltem ergo hodierna luce, qua te lux aeterna illuminavit, adverte, ne forte a spiritu non bono illusus, in tenebras imperfectionum densas inducaris; evitabis autem has, si tibi diffidens lucem hanc caelestem veluti pharon clarissimam sequaris.

2. “Cogitationes ascendunt in corda vestra” (Lc 24[, 38]).

Vigila, vigila, cum hodie, tum semper ad omnem tuam cogitationem, neque illi fores mentis tuae, non modo cordis ianuam sine longa deliberatione aperi. Quantum enim malum! quanta damna cogitationes secum in miseram animam important! Daemon enim primo ingerit cogitationem, cogitatio inficit aut aufert cordis munditiam; hac ablata, tristitia ingens succedit, quae vires animi enervans, eum ad omnia reddit inhabilem et non raro quosdam in eam desperationis conicit abyssum, ut abiecto salutari Christi iugo, ab aratro manum amoveant et inceptum animae agrum excolere desinant.

A limite itaque mentis tuae huic hosti, huic malo resiste et purum purissimo Domino cor, cum hac luce, tum toto vitae spatio conserva.

3. “Videte manus meas, et pedes” (Lc 24[, 39]).

Quemadmodum ex signis dux, rex cognoscitur ex diademate, ita se agnoscere vult Christus caelestis Rex noster e sacratissimis stigmatibus. “Videte” inquit, “manus meas, et pedes” meos. Si veremini (quasi diceret) decipi, advertite humano pro genere transfixas palmas plantasque. Si dubitatis me verum esse Ducem vestrum, in mea signa conspice, quinque vulnera; qualem die Veneris in cruce spectastis, talis hic vobis appareo: Dominum vestrum agnoscite, amplectamini eoque consolamini.

Sed, o anima mea, si [f.46r] vis in huius vulnerati Ducis exercitu censi, tu quoque similia appetere debes et habere vulnera, non talia, uti Franciscus obtinuit⁶⁹, sed quae illa sunt? amor, patientia, iniuriarum oblivio, laborum tolerantia, crucis ad mortem gestatio.

DOMINICA IN ALBIS

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Congregati propter metum Iudaeorum” (Io 20[, 19]).

Considera quantae a te gratiae agenda sunt Domino, quod tui causa et ipse inaudita passus sit, et amantissimos discipulos pati voluerit. Latebant, fugiebant, congregabantur; quia diebus noctibusque illos Hebraea gens persequabatur. Sed nunquam ab optimo pientissimoque Magistro deserti sunt. Adfuit illis in omnibus, quos voluit probari in omnibus.

Tu, ad imitationem Salvatoris tui Apostolicique afflictissimi Senatus, optabis laeto animo crucem portare vexarique afflictione, quoties Summo Bono, aeternae Sapientiae, placuerit tibi eam imponere quamdiuque te ea voluerit exerceri, confidens, nunquam tibi suae Maiestatis defuturum vel auxilium, vel consilium.

⁶⁹ Agitur hic de stigmatibus, quae s. Franciscus de Assisi an. 1224 in monte Verna obtinuit; cf. STANO G. , s.v. “Stimate” : *ECat XI, 1343s.*

2. “Venit Iesus” (ibid.).

Expende, quanti unionem concordiamque Dominus aestimet, siquidem sese mox in medio discipulorum stitit, postquam congregatos unitosque vidit. Inter enim concordēs unio viget; ubi unio, ibi charitas est; a charitate vero Iesus abesse non potest, qui est ipsa Charitas. Quoties igitur a te vinculum charitatis rumpitur vel unio perturbatur, toties et a te Christus excluditur et e medio discipulorum suorum, tuorum vero Fratrum, fugatur.

Memineris itaque illius, quod Seraphicus Patriarcha divus Franciscus, non permiserit fratrem aliquem cubitum ire, qui alterius accusationem animoolvebat, antequam virus illud e corde evomisset importuni zeli, si non odii⁷⁰. Multo convenientius et necessarium est, te absque simili felle sacram Iesu mensam accedere. Ergo, vadens [f.46v] reconciliare fratri tuo.

3. “Dixit eis: Pax vobis” (ibid.).

Si tantum bonum esse pacem Servator tuus demonstravit, ut, quoties a Resurrectione sua discipulos visitavit, hac eos consueta salutatione dignaretur: “Pax vobis”, desiderabis tu, imo petes a pacifico Iesu, ut ingressus in turbatissimam animae tuae mansionem pacem secum afferat. Non talem pacem, quae calamitatibus omnique prorsus cruce est destituta; nam melius quam quiescere est exagitari; siquidem et aquae, ni turbentur, corrumpuntur.

Sed ut omnia adversa cum pace mentis generose toleres, quatenus oleaginam pacis coronam ab illo ipsomet in caelestis Ierosolymae Urbe accipias perque fortia bella cum daemone, mundo carneque gesta, parta pace aeternum fruaris.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Gavisi sunt [.....] discipuli, viso Domino” (Lc 20[, 20])

Non poterant non gaudere Apostoli, cum illum redivivum conspicerent, quem mortuum acerbè deplorabant. Et nescias, an illis unquam maius isto

⁷⁰ Non potui invenire confirmationem talis eventus in vita S. Francisci.

potuisse/s]^a contigit gaudium, quo inundabant Iesum a mortuis redeuntem videntes. Adaequasset procul dubio gaudium hoc illud, quo nunc in caelis perfruuntur, nisi hac sola ratione inferius esset, quod hic tantummodo solum Iesum secundam Sanctissimae Triados personam viderunt; ibi vero totam Sanctissimam Triadem contemplantur.

Tu vero miraris, cum eundem Filium Numinis resurgentem suscepisti, nullo te gaudio, nulla laetitiae amplitudine cumulatum esse, imo in luctu forsitan versari et maerore confici.

Ah miserum te! peccatum, imperfectiones, non emendati defectus hoc malum tibi attulerunt! vel illa fortassis importuna laetitia, qua, Matre Sanctissima Nati carissimi truculentissimum obitum deplorante; peccatrice sancta Domini sui mortem deflente, discipulis pientissimis Magistri effera ob supplicia maerentibus; sideribus, saxis, terra, alisque creaturis, dolorem summum ex morte dirissima Creatoris conceptum testantibus, tu exultasti his diebus piae maestitiae consecratis. [f.47r]

2. “Accipite Spiritum sanctum” (Io 20[, 22]).

O munus supremum! o donum, quo nullum maius reperiri potest! Quid amplius beneficii, favoris, charismatum discipulis suis Dominus erogasse potuit praeter Spiritum Sanctum? quem, qui habet, omnia habere videtur! a quo, qui regitur, errare non potest et tuta rectaque^b ad caelestem Patriam deducitur!

Tu vide, an hodie Spiritum hunc Sanctum in Sanctissimo Sacramento accepisti: an illum habeas? an cum Apostolo possis dicere: “existimo^c autem, quod et ego Spiritum Domini^d habeam?” [1Cor 7, 40].

Signa Spiritus Sancti: gaudium, pacem, sapientiam, mansuetitudinem, patientiam, humilitatem, consilium, longanimitatem aliaque similia esse scito. Quae si in te non elucent, nae tu divini luminis scintillam, non modo Spiritum Sanctum, non habes.

^a forsitan loco “potuisse” deberet esse: “capere”, “percipere” vel “experiri”.

^b scilicet “via” ^c “puto” (BSV) ^d “Dei” (BSV)

3. “Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis” (Io 20[, 23]).

En potestatem Apostolicam! potestatem successorum Christi! potestatem maximam! Peccata dimittere divinum est; hinc quis Deos quodammodo non dicat, quibus talis confertur facultas? Recte David de sacerdotibus: Vos “Dii estis”, inquit, “et filii excelsi omnes” [Ps 81, 6]. O quam insipienter miseri illi agunt, qui huic potestati sese non subiciunt, vel ea fraude summa abutuntur! quam sceleste errant, qui lepram suam his non aperiunt, quorum est sanare illam! quam graviter excaecati sunt, qui in hoc sacramento Poenitentiae adeundo sacrilegi fiunt, quod ab ipso Numine summo tanta autoritate, tanta benevolentia, tanta providentia institutum est!

Tibi hic consideranda est clementissimi Salvatoris tui misericordia cum in universum humanum generaliter, tum speciatim in te effusa; quandoquidem tam crebra animae tuae praevidens vulnera praesentissimos tibi providit medicos suos vicarios praesentissimamque in [f.47v] sacratissimis Poenitentiae atque Eucharistiae sacramentis medicinam: quam quoniam et hac luce accepisti, Domino tuo grates humillimas persolve.

DOMINICA II POST PASCHA**Ante Sanctissimam Communionem**Punctum 1. “Ego sum Pastor bonus” (Io 10[, 11]).

Considera tria esse praecipua officia cuiusvis Pastoris: 1) ut habeat notitiam sui gregis; 2) ut numerum illius sciat; 3) ut ei pabula subministret ac feris a rapacibus eum defendat. Quae omnia in optimo caelesti nostro Pastore advertite. Novit oves suas: quoniam ipse testatur: “Et cognosco oves^a meas, et cognoscunt me meae” [Io 10, 14]. Habet omnes notatas, non in charta peritura caractere debili, sed in palmis suis divinis immortalibus notis, cum inquit: “In manibus meis descripsi vos^b” [Is 49, 16]. Porro quam nutriendi gregis sui, hoc est nostrarum animarum diligens sit, hinc intellige: quod clara benignaque voce eum ad pabula alliciens:

^a om. “oves” (BSV) ^b “te” (BSV)

“Venite”, ait, “ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos” [Mt 11, 28].

Quam sedulam ipsius tutelam adhibeat propugnationemque optime nobis Propheta Rex indicans: “Angelis suis”, refert, “mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis” [Ps 90, 11]. Quin ipse gregi suo praesentissimam offerens custodiam ac defensionem: “Ego”, ait, “vobiscum sum ^a usque ad consummationem saeculi” [Mt 28, 20]. At ubi? in sacratissima Eucharistia.

O gratulare tibi, anima mea, tam diligentem, beneficum optimumque pastorem; illum nunc cum amore adi, vocem illius audi illique obtempera.

2. “Sum Pastor bonus” (ibid.).

Considera, quod se verissime iustissimeque Pastorem bonum dicat [f.48r] Redemptor custosque noster assiduus Christus Iesus. Nam si nemo est, qui Davidi Iessidae[s] optimi Pastoris nomen non attribuat, ex eo saltem, quod rapientes paternum gregem feras, ursum leonemque insecutus dilaniabat: de quo ipse gloriatus: “Veniebat”, inquit, “leo, et^b ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequabar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum; et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos” (1 Reg 17, [34-35]).

Iam bonus Pastor erat David. Sed melior tuus Iesus, qui a feris infernalibus gregem Patris sui, imo suum, (quoniam ipsi omnia cum Patre communia) rapi ad tartara videns eis sese obiecit, eo cum maiore erga oves suas amore, quo cum graviore vitae suae, quam amisit, periculo. David enim haedos agnosque paternos ex ore ferarum eripiendo nihil discriminis vitae subivit. Sed Christus Dominus gregem suum stygiis belluis vel subtrahendo, vel vi auferendo, mori pro illo, ne ille moreretur, voluit. O vere Pastor bonus! vere custos optimus! vere amantissimus nostri Pater! Quid ei pro tanto beneficio, ovis perdita, quid rependes?

3. “Bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis” (ibid.).

Considera non sufficere bono Pastori, ut corpus suum gregis causa fatiget, sed etiam anima ipsi fatiganda est. Felicissimus celebratissimusque

^a add. “omnibus diebus” (BSV) ^b “vel” (BSV)

est hac in parte Moyses ille Israelis dux, qui, volente Domino exercituum universum Israeliticum populum ob enormia facinora delere, ei se opposuit; suam animam pro fratrum animabus obiecit, cupiens potius ipse deleri de libro vitae, quam, ut populus ipsius curae commissus deleteretur. Magnum quid istud est et admirandum⁷¹.

Verum, quod Christus nostri gratia fecit longe maximum et mirissimum. Breviter dico: corpus dirissimis, inauditis inexplicandisque tormentis et morti ignominiosissimae subiecit. Animam tantis maeroribus, doloribus, aculeis cruciatibusque ovium suarum causa supposuit et obtulit, ut eos non humana mens solum, sed ne quidem angelica concipere satis queat et nullum os hominis sive angeli enarrare. Quid igitur? nonne hic est amabilior Moyse? nonne Pastor pastorum optimus est? [f.48v]

Age, anima mea totum diem hodiernum in efferendo ipsius hoc erga te amore ac beneficio; consume, quin potius dicam: totam consume in gratiis pro gratia Redemptionis agendis vitam.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Qui non est pastor” (Io 10[, 12]).

Diligenti mente perpende, quali tibi ratione Pastor bonus, verus, ac mercenarius dignoscendus est: hoc est, daemonis suggestiones et divinae illuminationes. Nimirum hinc eas discernes: quod cacodaemon, tanquam mercenarius, non nutrire animam sed spoliare omni spirituali fructu conatur. Mercenariorum enim est factum, lanam aliaque commoda gregis rapere; quin ipsum gregem devorare, non bonis eundem spiritualibus cumulare.

Quod aliquis innuens ait: “Qui improbus pastor est, is suae tantum utilitatis rationem habet et commoda, ^aet commoda^a propria unice curat, quanquam id cum ovium damno saepe fiat”.

Et tales fuisse pastores Israelis testatur Ezechiel atque detestatur: “Vae”, inquit, “pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus

^{a-a} probabiliter est repetitio supervacua, ob inadvertentiam, in hac allegatione (ex ignoto auctore)

⁷¹ Cf. Ex 32, 1-14. 30-32.

pascuntur? Lac comedebatis, et lana cooperiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis” (Ez 34[, 2-3]).

Hoc solet facere stygius veterator, qui se pastorem optimum fingens quaedam specie recta animae solet insusurrare, sed suo commodo, illius detrimento; lac enim vult ipsius virtutum exsugere, lanam bonarum actionum detondere et demum totam, tanquam leo rugiens, devorare.

Non ita verus Pastor Iesus: qui permittit te in aliquas tribulationes incurrere, sed iis, veluti cibo suavissimo animum tuum fortificat nutriendo. Apponit tibi tartareus genius suavem offam, variarum voluptatum illecebris illitam, sed, ut ea te inescando enecet. Deus autem duram monstrat crucem et in difficilem poenitentiae callem te vult educere, sed bono salutis tuae.

Adhaere itaque vero caelesti Pastori, Stygium mercenarium fuge: huius delicias, suavitates, allectamenta malorum aspernare; istius disciplinam severam crucis et mortificationis passionum cape. [f.49r]

2. “Mercenarius autem fugit” (Io 10[, 13]).

Quoties expertus es te a cacodaemone circumventum deceptumque fuisse? quoties dolos ipsius, technas cuneosque tibi structos deprehendisti, seu cognovisti; qui postquam tibi omnis generis voluptatum calicem propinasset, orificium quidem illius dulcedine, fundum vero felle impletum advertisti. Habet enim hoc voluptas omnis, quod se gustantibus prima apprehensione dulcissima et merum mel videatur, sed in magnam deinceps vertitur desinitque amaritudinem. Ubi enim est completa, nihil aliud generat, quam mordacissimum vermum conscientiae.

Quid igitur hunc mercenarium fugitivum fluxae voluptatis administratorem, amarae dulcedinis oblatorem, venenosi pabuli porrectorem, cacodaemonem inquam, sequaris? quid Tantalea poma⁷² captes? quid

⁷² “Tantaleus” - quod ad Tantalum spectat. “Ceres... Tantalum ad inferos detruserunt, ubi perpetua fame et siti torqueretur, in puteo immersus, in quo poma capiti imminerent, quae cum carpere vellet, elevarentur...” (SLL, s.v. “Tantaleus”). Cf. PARANDOWSKI J., op. cit., pp. 205-206: „Okrutnego Tantalosa strącono do Tartaru [...]. Postawiono go w sadzawce, nad którą rosło drzewo pełne cudnych owoców. Tantal czuje głód i pragnienie, lecz zaledwie wyciągnie rękę po jabłko, gałąź odchyła się gwałtownie [...]”

te per laetissima nemorosae voluptatis spatia ad exitum tristitia omni graviorem duci sinas?

Age, age, tuae animae consule, et huic potius optimo Pastori, a quo hodierno die immortalis pane refectus es, totis praecordiis adhaere: qui licetsi[s] per durissima senticeta duxerit te, nihilominus salvabit.

DOMINICA III POST PASCHA

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Modicum, et iam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me” (Io 16[, 16]).

Considera, quod his verbis bonos et malos religiosos aeternum Verbum alloquatur. Quid enim est istud modicum? “Modicum est”, inquit divus Augustinus, “hoc totum spatium, quo praesens pervolat saeculum”⁷³. Quasi igitur diceret pietissimus noster Dominus ad vocationis nostrae satisfaciendum nos exhortando, partim privatione, partim fruitione visionis suae hoc modo:

Eia negligentissimi operarii, inutiles servi, non attendentes perfectioni vestrae religiosi, expergiscimini, respiscite, labori vos cursuique accingite, quoniam modicum, et iam non videbitis me: brevi finietur via vitaeque vestra, iudicium meum de vobis faciendum iam in vestibulo est; si mala opera vestra condemnabunt vos, post non longum spatium aeterna visione mea privabimini.

Eia, et vos [f.49v] diligentissimi laboratores, perfectionis vestrae amantissimi religiosi, diebus noctibusque mihi in lachrymis, anxietatibus, mortificationibus diversis sedulo placere studentes, bono animo estote, quamvis vobis me non[n]ihil subtraxerim, in multas vos tribulationes ac tentationes irruere permittendo; iterum tamen, dico vobis, modicum et videbitis me: brevi lugebitis aeternum laetaturi; brevi laborabitis, aeterna praemia accepturi; brevi pugnabitis, immortalis lauro coronandi. Namque

⁷³ AUGUSTINUS, tractatus 101 in Iohannis Evangelium, “ 6 : CChrL 36, 593. Cf. etiam in CLCE, t. IV, “Commentaria in Ioannem” (c.XVI, 16), p. 398.

non multo abhinc tempore, visitabo ego vineam meam et unicuique promeritum denarium elargiar; elargiar, inquam, vobis, fideles mei prudentesque servi, quos constitui super familiam meam, post modicam afflictationem, brevem huius saeculi finem, sempiternam visionem meam et nunquam finienda bona, thesauros, voluptates, in hac visione collocatas.

Tu, itaque stude bonum certamen certare, ut coronam iustitiae accipias; huncque in modum Christum sequi, ut eum assequaris; assecutus, non solum in hac sacra Communionem, verum etiam in caelesti beatifica visione illo perfruaris.

2. “Vado ad Patrem” (Io 16[, 17]).

Tu quoque considera, te ad Patrem ire, cum sacram Christi mensam accedis, non ad Iudicem. Et eum quidem ad Patrem, qui te veluti prodigum filium laetissimo animo suscipiens plenis ulnis amplectetur iubebitque offerri stolam albam tuae innocentiae, quam tibi in hoc sanctissimo convivio restituit. Pascet te post famem diurnam, siliquas porcorum, non carne vitulorum aut aliorum armentorum, sed proprio corpore. Revertere ergo ad Patrem tuum, revertere; quid in regione longinqua passionum cum affectibus a summo Bono abalienatis peregrinaris?

Vade ad Patrem! Christus vocat te, perge! Si ob dispersam tot illius bonorum substantiam tibi metuis, si confunderis, bene est: hic primus ad eum accedendum patet gradus, timor et confusio; quibus, quanto maiorem de peccatis dolorem ac poenitentiam adieceris, tanto gratior hospes apud sanctissimum Patrem tuum futurus es. [f.50r]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Nescimus quid loquitur” (Io 16[, 18]).

Considera non postremam esse hominis infelicitatem si verba divina non sciat, non capiat, non intelligat. Quapropter olim David dicebat: “Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis” [Ps 118, 130].

Tu possis quidem nunc caelestem Magistrum in cathedra cordis tui residentem rogare, ut tibi divina oracula, verba, mandata, ut^a sermones suos declaret; quod ipse dubio procul, uti solet multis, tibi praestiterit. Sed quoniam ab illo sua in Ecclesia varii sunt ad hoc interpretes, doctores magistrique constituti, tibi autem ad declaranda effata illius tui religiosi Superiores, magistri spirituales directoresque conscientiae sunt assignati, rem illi non minus acceptam, quam tibi salutarem feceris, si te ad eos tuis in dubiis elucidandis receperis.

Et profecto tanti id aestimat Deus, ut divitem illum epulonem ad monendos fratres suos inferno prodire exoptantem prohibuerit, dicendo: “Habent Moysen, et Prophetas” [Lc 16, 29], quo innuit: hominibus convenire, ut ab hominibus erudiantur divina sapientia eam ob rem cumulatis.

2. “Quid est hoc quod dicit nobis” (Io 16[, 17]).

Adverte magnae esse prudentiae, scire dubitare perplexis de rebus, scire interrogare, consulere. Hoc factum ab Apostolis audis, qui cum Magistri sui verba non intellexissent, dixerunt ad invicem: “Quid est hoc, quod dicit nobis?”

O si tu hac prudentia utaris, cum te vix a sacro convivio egressum variae petunt cogitationes, si scires illas interrogare: quae vos estis” prius quam a te in penetralia cordis intromittantur! Si tantum ingenii haberes, ut bene expisceris: unde illae veniunt? utrum a Deo, an malo genio? quales sunt? utilesne et salutiferae? an curiosae, inanes, malae, noxiae, peccaminosae?

Si quoque, antequam detrahentibus alieno nomini aurem praebeas, inquiras sedulo: quid est hoc, quod haec persona dicit” quid est, quod audire ex ea volo” Si inquam hac prudentia dubitandi, quaerendi, consulendi polles, quam tu felix esses! [f.50v]

3. “Plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit” [Io 16,20]

En tibi differentiam servorum mundi et servorum Dei: hi plorant, illi rident; hi gemunt, illi psallunt; hi maerore conficiuntur, illi gaudio

^a forsitan loco “ut” deberet esse: “et”

inundant. Sed quis exitus amborum est” Scis, quod extrema gaudii luctus occupat. Non ignoras etiam, quod tristitia vertatur in gaudium. Servi mundi, uti docet Rex Vates⁷⁴: “Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt”[Iob 21, 13]. Servis autem suis dicit Deus-Homo, dicit Veritas, cuius verba sunt immutabilia, cuius promissa sunt certissima: “Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet^a vobis” [Io 16, 22].

O beatos Dei servos, qui contristati sunt ad poenitentiam! Beatos qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur! beatos, qui ex domo gaudii ad domum luctus ingressi sunt.

Age, fac infinitas grates, quem corde tenes, Domino, quod te providentiae suae vi e Babylone⁷⁵ exultante ad lachrymantem filiam Sion eduxerit. Ubi, beatus es futurus, si nunquam tantopere damnatam a Christo laetitiam mundi, vel ipsa cogitatione, quaesiveris.

DOMINICA IV POST PASCHA

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Vado ad eum, qui misit me” (Io 16[, 5]).

Considera causam morae Servatoris nostri, quod non eo ascenderit caelos, quo momento gloriose revixit, sed per non breve spatium cum discipulis fuerit conversatus, hanc fuisse: ut eos in fide confirmaret, ac plenius caelestia mysteria doceret.

Verte nunc mentem ad temetipsum, et cogita: cur te hoc loci stiteris, cur aliquam moram trahas? nec repente ad suscipienda magna sacramenta ascendas? Nimirum, ut anima tua imbuatur mysteriis huius Eucharistiae sanctissimae, quam susceptura est: et non tantum summa fide eam esse suscipiendam sciat; verum etiam spem aeternae vitae emendatis suis defec-tibus illi habendam. Sicut Magister Iesus suos hic monuit, ut postquam in

^a “tollet a” (BSV)

⁷⁴ *Erronee haec verba ascribuntur Regi Davidi in eius Libro Psalmorum.*

⁷⁵ *Cf. supra, p. 59, no. 47.*

eum credidissent fuissentque bona opera secundum fidem operati, procul dubio, quo abiturus erat^a, illos quoque solutis mortalitatis vinculis secuturos. [f.51r]

2. “Et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?” (ibid.)

Considera, quam noluit bonus amansque Magister discipulos latuisse, quo iret: ac idcirco ipsemet eos exagitat^b, quod non essent tam sancte curiosi, ut non inquirerent ex illo: quonam iter appareret; quo se esset recepturus?

Praepara tu animam tuam Sanctissimum Sacramentum accepturus; et pia ductus curiositate interroga illam: “Quo vadis?” Si tibi respondebit, se ad nuptias cum Agno caelico faciendas pergere, admone illam vestitus nuptialis. Si dixerit, se ad convivium Hominis cuiusdam, Dei scilicet, tendere, exhortare illam, ut omnia necessaria similibus convivi[i]s secum accipiat; praesertim vero loco lymphae, cuius in conviviis primus est usus, uberrimas lachrymas ferat.

Ad extremum excita illam, ut se eo studio ac praeparatione huic itineri, quod ingreditur, accingat, ne sine fructu maximo inde regrediatur.

3. “Nemo ex vobis” (ibid.)

Cogita contentissimum forsan fuisse Dominum, si vel unus discipulorum eum suo de discessu fuisset percontatus; sed cum nullus sciens interrogandi esset, id ab eo paulo molestius toleratum fuisse. Ita hodie non pauci eundem circumstabunt, multi appetent, aliqui manducaturi sunt sub panis specie: sed omnes forsitan eo desiderio, quo par est tantum cibum sumere carebunt. Quare, ne hic locum istud: “Nemo ex vobis”, habeat, mille tu in te desideria suscipiendi Domini excita, ut saltem unus reperiaris, qui illum vere desiderasse cognoscaris, digne accessisse iudicaris, maximo cum emolumento suscepisse experiaris.

^a in ms. erronee (secundum sensum): “eras”

^b est hypothetica substitutio pro indubitanter erroneo verbo in manuscripto: “exaggerat”

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Expedit vobis, ut ego vadam” (Io 16[, 7]).

Duplicem recessum ab anima tua Domini esse considera: primus causa tui; alter voluntarius est. Recedit primo Deus ab hominis anima cum propter spissas tenebras peccatorum et foedam scelerum colluviem in ea manere non potest. Hoc olim questus, David gemens dicebat: “Cor meum conturbatum est” in me. Quamobrem? Quia “dereliquit me”, inquit, “virtus [f.51v] mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum” (Ps 37[, 11]).

Recedit secundo, cum probando dilectae sibi animae constantiam, fidem, fortitudinem suam illi praesentiam, consolationes, favores subtrahit; mille vero anxietates, timores, tentationes in eam irruere permittit. Sed haec subtractio fortis amantis indicium est: quare manibus divinis est resignanda; ipsius cum ea Maiestas, prout suae voluntati placuerit, disponat. Si enim, tu, eum non expuleris, certe proderit tibi sua absentia expeditque, ut vadat. Ast alter recessus periculosus tremendusque est, utpote, qui venientis ad animam Stygii spiritus, indicium est, quod Regum codex loquitur: “^aRecessit spiritus Domini a Saul, et Spiritus malus corripuit eum^a” [1 Reg 16, 14]. Quare, hunc alterum discessum tibi procures, caveas. Quin imo Dominum cum Rege Iuda, ut tecum perpetuo maneat, precare: “Ne avertas faciem tuam ^b; [...] ne ^cdiscesseris a^c me” [Ps 26, 9].

2. “Expedit vobis ut ego vadam” (ibid.).

Contemplare altius haec Servatoris verba et, quantum boni animae voluntarius hic ab ea discessus afferat, expende. Nimirum summam in ea causat humilitatem, cum enim se desolatam sentit, tunc, se nihil sine eo agere posse, nihil boni cogitare agnoscens, agnoscit vilitatem suam et quantum differat status desolationis cum assidua Numinis adamati praesentia intelligit, discit. Acquisita igitur per hanc subtractionem sui et

^{a-a} “*Spiritus Domini recessit a Saul et exagitabat eum spiritus nequam*” (BSV) ^b add. “*a me*” (BSV) ^{c-c} “*derelinquas*” (BSV)

Dei cognitione, maiori amore fertur in illum. Bonum siquidem amissum, ut magis cognoscitur, ita magis amatur, aestimatur. Tunc maius, quam ante, dum ab eo remotius abest, illius videndi habet desiderium; iuxta illud: “Anima mea desideravit te in nocte” [Is 26, 9]. Ne itaque animum^a abicias, si suo ex beneplacito se Dominus hic hodiernus Hospes tuus subtraxerit; sed expecta et viriliter age, et confortetur cor tuum.

3. “Si ^b ego^c non abiero, Paraclitus non veniet ad vos” (ibid.)

O admirandam nostri Domini providentiam! o summam et Paternam curam! o inexplicandam bonitatem! En, cum suum discessum discipulis revelat, sciens ob id maestitiam in eis orituram, consolatorem venturum appromittit, et quasi optionem illis dans inquit: “Si ego non [f.52r] abiero, Paraclitus non veniet ad vos”. Ac si diceret: vel me, vel Paraclitum vobiscum manere necesse est. Quod si ego non abiero, quanquam me oportet abire omnino: ille huc in orbem atque adeo ad vos non descendet; sin illum videre et accipere exoptatis, mea visibili praesentia necessarium est ut tantisper privemini. Hic expende, quantum illa resignatio Apostolis profuerit, quod Dominum ad Patrem permiserint abivisse.

Nam adveniente Spiritu Sancto, linguarum peritiam, intelligentiam Scripturarum, inauditam magnanimitatem, inexpugnabilem fortitudinem adeo consecuti sunt, ut, cum nuper patiente Magistro prae timore et pusillanimitate, in fugam se coniecerint, postmodum cumulati Spiritus Sancti donis liberrime illius Evangelium seminant, Resurrectionem praedicant, ad veram fidem Gentes convertant, persecutiones plurimas, innumeras calamitates, cruces ingentes et cruciatus, quin rara et atrociora mortis genera pro illius nomine laeto, magno fortique animo subeant, tolerant, continent. Cum ante adventum Paracliti unicum verbum “modicum” non perciperent; post ab hoc illuminati, prophetas, legisdoctores interpretantur et perfectionem summam omnium scientiarum adipiscuntur omnemque hanc adepti orbem instruunt, uti canit Ecclesia: “In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum” [Ps 18, 5].

^a in ms. verbum inutiliter repetitum ^b add. “enim” (BSV) ^c om. “ego” (BSV)

Nimirum talis est voluntaria et ordinata Summi Boni ab humana anima absentia, ut non illi merita auferat, non virtutes impediatur, non saluti obsit; sed pro gustu potius illo quem percipiebat amatrix ex amantis praesentia, solidas ei virtutes infundit, constantiam in adversis, perseverantiam in bonis operibus admirandamque in ea et perquam salutarem facit metamorphosim.

Igitur, tu, corpore eius sanctissimo percepto, ad omnia te summa praepara; et licet te sensualis illius dulcedinis sapor deseruerit, nihilominus amore eius ardua quaeque aggredere, adversis non cede, tramitem virtutis ne relinque, in coepto bono persta: “Expectans expecta^a Dominum, et intendet^b tibi” [Ps 39, 2]. [f.52v]

DOMINICA V POST PASCHA

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis” (Io 16[, 23]).

Caelestis Magister Christus verus Dei Filius orandi fiduciam discipulis in suis excitans, nullam eorum orationem effectu suo privatum iri appromittit: “Si quid”, ait, “petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis”. Quasi dicat: quoad vobiscum mansi, nullius vos rei cura ac sollicitudo premebat. Ego enim vos a Pharisaeis defendi; ego verbis doctrinae salutiferae, simul cibis corporalibus nutrivit; ego necessaria tam spiritui, quam corpori vestro providi: talem vestri curam habui, ut etiam tributum pro nonnullis vestrum solvisse non dubitarim⁷⁶.

Nunc vero, cum tempus discessionis meae instet et vadam ad Patrem meum, unicum vobis orationem relinquo; qua et inimicos vestros profligaturi estis et dona Spiritus Sancti tam vobis, quam aliis impetraturi et denique unoquoque in negotio ad eam solam tanquam vestrum

^a “*expectavi*” (BSV)

^b “*intendit*” (BSV)

⁷⁶ Cf. Mt 17, 23-26.

praesidium, thesaurum, cornu Amaltheae⁷⁷ confugituri. Polliceor autem vobis nihil cordi vestro denegandum fore quidquid desiderans rogaverit. Quod si quis vestrum se ea, quae petierit obtenturum forte diffidat, in nomine meo petat, omnino dabitur ei.

Considera ergo orationem adeo esse potentem, ut quacunq̄ue homo velit Deum inflectat, testante Caelesti Rhetore: “Oratio”, inquit, “est, quae caelos expugnat, Deum ligat”⁷⁸. Ac proinde nihil penitus esse aut posse reperiri, quod pia, fervens, iusta, humilis a Deo non impetret oratio. Quare, cum alias semper, tum hodie singulariter insistere orationi debeas non solum in conspectum divinae voluntatis veniens, sed ipsum Deum maiestate sua deposita ad te verm̄em vilissimum descendentem suscipiens.

2. “Petite, et accipietis” [Io 16, 24].

Considera, quod, licet Servator dixerit, omnia impertienda petentibus, [f.53r] esse tamen aliqua, quae penitus christiano et religioso homini minime petenda existimantur, partim quod iustitiae adversentur, partim quod charitatem impugnent. Petere enim iacturam vitae aut bonorum alicuius, petere optareque mortem cuipiam, ut in eius haereditatem insoles, iustitiae inimicum est. Postulare autem, ut inimicos tuos Deus ulciscatur, charitati adversum est, quae iubet etiam inimicos diligere.

Tria igitur nunc a caelesti Patre in nomine Filii apud te diversaturi postulabis iustissima: veniam peccatorum, gratiam in bonis perseverandi et gloriam immortalem.

Imo si Veritatem audis: Pete primo Regnum Dei et caetera tibi adicientur⁷⁹.

⁷⁷ *Amalthea* - capra, quae Jovem lacte suo nutrit. Dextrum eius cornu idem Juppiter Nymphis nutricibus dedit, addito promisso, se, quidquid optassent, ex eo largiter suppeditaturum. Hinc “cornu Amaltheae”, hoc est “copiae cornu”, de locuplete abundantia dicitur. Cf. SLL, s.v. “Amalthea”.

⁷⁸ Cf. Eccli 35, 16-21, sed tale dictum in S. Scriptura non inveni.

⁷⁹ Cf. Lc 12, 31: “Quaerite primum regnum Dei [...] et haec omnia adicientur vobis”

3. “Usque modo non petistis quidquam in nomine meo” (ibid.)

Nominis Iesu potes hic potentiam expendere: in quo energumeni liberantur, infirmi sanantur, caeci visum, surdi auditum, claudi gressum recipiunt. De quo ipse Salvator: “In nomine meo ^aeiicient daemonia^a” [Mc 16, 17], et alibi legitur: “In nomine Iesu omne genu flectatur^b, caelestium, terrestium, et infernorum” [Phil 2, 10].

Perpendes vero attentius, multorum preces fieri irritas, eo, quod non in nomine Iesu petant et orent Patrem aeternum. Indeque conicies Ecclesiam edoctam, semper orationibus suis adicere hanc clausulam: “Per Dominum nostrum Iesum Christum” etc. ac idcirco nunquam eius preces non exaudiri.

Tu itaque his instructus ad Dominum accede et magnas solidasque virtutes per nomen Iesu magna cum fiducia pete. Ab infinitae enim maiestatis Imperatore exigui res momenti non sunt extorquendae. Ergo maiora expostula, in nomine Filii expostula: et cum a Patre non amico expostulabis, confide scitoque tibi omnia liberalissime impertienda.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Petite” (Io 16, 24)

Multimodam orationem esse iuxta necessitates postulantium: [f.53v] Alii orando peccatorum dolorem eliciunt; alii precando eorundem veniam expostulant; quidam dona Sancti Spiritus sanctasque virtutes vehementissimis desideriis expetunt; quidam vero scientiam, opes, divitias et alia naturae fortunaeque bona summo cum appetitu a Deo exigunt atque continua instantia.

Sed tu praesenti spatio temporis tibi aeternae Sapientiae providentia ad orandum designato exercebis te in gratiarum actione; partim pro aliis innumeris beneficiis, puta creationis, conservationis, iustificationis, Redemptionis, illuminationis et utriusque vocationis; partim pro hoc

^a-a “*daemonia eiicient*” (BSV)

^b in ms. erronee: “*flecti*”

copiosissimo sacrae refectiois munere instituendae. Etenim vides quam tuam animam hodierno die sua in mensa lautissime tractarit.

Nec dubita, si gratissime praesentem favorem acceptaris, pro eoque dignas grates persolveris, multos tibi insuper a Domino conferendos. Omnis namque gratiarum actio ad maiorem Dei optimi maximi dona recipienda et charismata obtinenda hominem disponit. **Qui gratis supremum Numen exornat, debitorem sibi facit certissimae pensionis**⁸⁰.

2. “Si quid petieritis” [Io 16, 23].

Plurima caelestis Magister docuit Apostolos post suam resurrectionem priusquam se eorum conspectui subduxisset triumphans ascendens in altum. Sed inter alia, primam illis artem studiumque orandi commendavit: prudenter sane et non sine magna futurorum consideratione. Praeviderat enim cruces eorum persecutionesque venturas atque alia multa malorum genera, ad quae vel tollenda, vel toleranda nihil convenientius esse sciens oratione, illam cumprimis, idque in nomine suo faciendam, docuit. Et quasi unicum hoc omnium calamitatum ac necessitatum remedium, tum rationem omnis perfectionis cognitionisque suae assequendae, illis reliquit: ut orarent.

Tu, post hodiernam contractam cum Deo amicitiam tibi orationem maxime esse necessariam persuadebis: hac anchora suffultus per omnes secure tempestates transfretabis; hoc clypeo armatus per ignem et aquam, per mille mortis pericula illaesus transibis; hoc comite associatus multis obsitam latronibus et perfectionis et aeternitatis viam sine ullo discrimine carpes. Cui vero magis convenit quam religioso, quam tibi assiduitas orationis? [f.54r]

3. “Dabit vobis” (ibid.)

Considera, non solum Apostolis fuisse factam promissionem, quod, quaecumque peterent a caelesti Parente in Filii nomine, essent relaturi. Verum etiam omnibus fidelibus ac praecipue religiosis, ad quos haereditario iure ab Apostolis evangelica consilia transmearunt.

⁸⁰ *In ms. graphice haec verba indicantur uti allegata, sed videtur quod in hoc casu sunt verba auctoris sic graphice expressa uti maioris momenti. Sic etiam intelligenda sunt verba textus infra crassioribus litteris impressa.*

Quin te pientissimus quoque Dominus, cum haec promissa emitteret, respexit tibi que nihil denegandum fore, cum debite iusti aliquid petieris, pollicitus est. In tanto namque insuper sunt pretio apud Deum hominum preces, ut etiam ab infidelium ore promanantes divinam ipsius Maiestatem penetrent; et nullo modo sint irritae: quemadmodum ex historia illa de Centurione bono Apostolicis fastis inserta discere est⁸¹.

Apprehende itaque fortiter hoc tam sanctum tamque fructuosum orationis exercitium. Et scito, quo tempore illud omiseris, te gradum ad infernalem damnationem facturum. Ab oratione enim qui pedem refert, Orco eum infert; totque passus ad tartara facit, quot vicibus orationem negligit. Contra tanto frequentius cum Deo conversamur, quanto ferventius saepiusque orationi damus operam.

Nihil ad haec uberiora vitia imperfectionesque producit, quam neglectus orationis, adeo, ut si te examinares, semper ea de causa, quod aliquid consuetarum precationum ex torpore neglexeris, adverteres te in non paucos defectus prolapsum esse. E diverso, quid melius, citius pulchriusque hortum animae excolit, expurgat, mundat novasque ei virtutum plantas inserit, quam repetitum ac reassumptum orationis exercitium.

His, tu, expensis, et matura mente consideratis orabis supplex Dominum, ut, quam tibi contulit in sacra mensa devotionis gratiam, nusquam pro gloria sua tuoque immenso ac proximi commodo auferat. Compellabis ergo cum Davide illum: “Dormitavit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis” [Ps 118, 28] et corrobora in acceptissimo tibi, mihi autem utilissimo exercitio orationis. [f.54v]

⁸¹ Cf. Act 10.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Cum ^a venerit Paraclitus” (Io 15[, 26]).

Triplici ex causa venire ad nos Spiritum Sanctum perpende: 1) ut accendat; 2) ut consoletur; 3) ut arguat. Accendit frigidos ac tepidos, quo ferventius in via virtutis progrediantur. Solatur afflictos, quo maiorem ipsius circa se curam ac bonitatem sentientes, magis Deum clementissimum diligant. Arguit inobsequentes, peccatores, scelestos, quo celerius resipiscant, prava gesta abiciant, mendacium devitent, veritatem complectantur.

Petes tu Spiritus Sancti gratiam semper in te requiescere, ut, si intepescas, ab hac accensus ferveas; si maerore conficiaris, ab hac solatium referens in praestantiores divini amoris actus prorumpas; si a via virtutis studioque veritatis deflectas, ab hac eo reductus et reprehensus possis dicere: si Dominus non adiuvisset me, si non corripuisset, parum abfuit, quin mansisset in inferno anima mea⁸². Ac deinceps fortius assurgens continenter viam mandatorum Dei valeas decurrere.

2. “Quem ego mittam vobis” (ibid.)

Considera omnem spiritum esse mendacem qui non mittitur a Christo. Talis fuit in ore prophetarum regis Samariae⁸³, talis in modernorum linguis haeticorum: qui novas doctrinas serunt, nova confingunt evangelia, veterum traditiones, scripturas dogmataque iam inde ab ipsis initiis Christi in Ecclesia usurpata reiciunt, falsitatis magistri. Horum spiritus est mendacii spiritus, non a Christo ipsa Veritate missus, sed a Patre mendacii cacodaemone instillatur.

^a *add. “autem” (BSV)*

⁸² *Cf. Ps 93, 17: “Nisi quia Dominus adiuvit me: paulominus habitasset...”.*

⁸³ *Cf. 1 Reg. 22, 6-12.*

Gratulare tu tibi, quod cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis verum Spiritum habeas gratiasque magnas age optimo Numini quod te in veritate faciat ambulare. Tum dehinc ad quasvis ipsius attende inspirationes easque opere conare adimplere, ne quasi margaritae ante porcum esse proiectae videantur.

3. “Spiritum veritatis” (ibid.).

Si vis agnoscere, an aliquis Spiritum Domini et tu ipse habeas [f.55r] considera, utrum amans veritatis sit et tu quoque eiusdem observans? Veritatem enim abscondere diabolicae mentis est; veritatem non admittere mali spiritus est. Qui nec aliis dicit, nec sibi dici veritatem sinit, non est ex Deo; qui verba Dei, quae sunt veritas, nec audit ipse neque alteri declarat.

Quamobrem si carae tui reprehensiones amplecteris, Spiritum Dei habes; si praeterita vitae crimina praesentesque defectus agnoscis, expias, emendas, Spiritum Dei habes; si alios quoque ad scelerum notitiam, dolorem, abominationem, emendationem et satisfactionem adducis, Spiritum Dei habes. Omne enim virtutis desiderium, omnis vitiorum detestatio, Spiritus Dei est, quoniam haec optima sunt. Omne vero bonum et datum optimum venit a Patre luminum⁸⁴.

Sed cum te totum in veterem hominem Adam degeneratum esse agnoscis ac vides, orabis in sacratissima Communione Dominum cum Rege poenitente: “Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis” [Ps 50, 12] invocabisque illud ipsum Dominum Pneuma ardenter dicendo: “Veni Sancte Spiritus, et emitte caelitus lucis tuae radium: Veni, pater pauperum, veni, dator munerum, veni, lumen cordium.”⁸⁵ etc.

^a om. (BSV) ^b in ms. erronee: “confirmare” ^c add. “testimonium” (BSV)

⁸⁴ Cf. *Iac 1, 17*: “*Omne datum optimum [...] descendens a Patre luminum*”.

⁸⁵ *Sequentia in Dominica Pentecostes, in: MIR, Lectionarium I, 855.*

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ille vobis^a testimonium perhibebit de me” (Io 15[, 26]).

Considera, te verum pro certo Domini Spiritum in sacratissimo Eucharistiae sacramento obtinuisse, si tibi vitae Christi, ac praesertim sanctissimae passionis eiusdem imitandae haeret cordi desiderium. Hoc enim est infallibile signum inflammati Spiritu Divino pectoris, cum non solum assiduo voluit actus gestaque Domini [contemplare?], sed etiam eadem pro modulo suo contendit aemulari. Hinc Apostoli hoc caelesti Pneumate perciti, illico intrepide gloriam Iesu praedicarunt proque ea praedicatione flagris caesi, “ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati” [Act 5, 41], pro testimonio veritati exhibito plagas reportare.

Igitur et tu studebis per iniuriarum tolerantiam, per contemptuum, ignominiarum calumniarumque etiam a dilectissimis tibi illatarum acceptationem, per quasvis denique cruces, afflictationes tribulationesque te Christo Domino conformare^b; quod erit Spiritus verissimi. **[f.55v]**

2. “Et vos^c perhibebitis” (Io 15[, 27]).

Perpende, illos perhibere testimonium de Christo, qui cum eo crucifiguntur; hoc est, qui eum amantes ei compatiuntur; compatiendo eius imaginem prae se ferunt, omnia adversa, tentationes, cruciatus, acerbissima verba, dirissima verbera ob ipsius amorem sustinentes. Quemadmodum de seipso divus Paulus testatus inquit: “Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, et tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosior, quam me, dum modo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu, testificari Evangelium gratiae Dei” [Act 20, 22-24].

Putata ergo sanctissimo Christi Domini corpore te ideo hodie munitum esse, ut fortior ad omnem inconstantis fortunae eventum, ad omnem tribulationum, quae te conformem reddunt Christo, procellam sustinendam efficiaris.

3. “Mittam vobis” (Io 15[, 26]).

Cum Moyses suae tenuitatem facundiae apparenti sibi Deo et mandanti, ut Pharaonem liberandorum Isacidarum *[s]* gratia accederet, excusabat, hoc responsi accepit: “^aVade, et^a ego ero tecum” [Ex 3, 12]. Ita Christus Dominus Apostolos convertendo orbi delegans et ipse nihilominus sese illis subtrahens, ne prorsus dubitarent, ac vererentur, quid gentibus praedicaturi essent, qua arte perditos gentiles ad veri Numinis cultum adducturi, quibus auxiliis non solum sophismata, fallacias erroresque mortalium illorum refutaturi, sed etiam minas, persecutiones mortemque sibi ab illis intentatam subituri, animat eos dicens: “^bMittam vobis Spiritum veritatis^b, ille vos docebit omnia” [Io 14, 26]; ille vobis magister, fautor, coadiutor solatorque futurus est. Quin etiam ne penitus ob absentiam ipsius desperarent, omnino quandam iis certissimam praesentiam suam pollicitus dixit: “^cEgo ero vobiscum^c [.....] usque ad consum[m]ationem saeculi” [Mt 28, 20].

Et profecto tu hodie id ipsum expertus es. Omnino enim illum in altari praesentem vidisti, adorasti, suscepisti. Quocirca, ne tu quoque apostolica munia obire tibi iniuncta trepides. Nam non solum suum tibi Spiritum misit, sed etiam ipse ad te venit, tecum est, tecum omnia operabitur. **[f.56r]**

^{a-a} *om.* “Vade, et” (BSV)

^{b-b} “*Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*” (BSV)

^{c-c} “*ego vobiscum sum*” (BSV)

DOMINICA PENTECOSTES

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Si quis diligit me, sermonem meum servabit” (Io14[, 23]).

Considera, perfectae dilectionis esse, divinos sermones **custodire**. Nam sicut filii, qui vero amore feruntur in parentes suos, eorum ad unguem explere voluntatem satagunt: hoc modo, qui filiorum Dei, Patris optimi ac maximi amantes esse voluerint, mandatorum ipsius diligentissimae executioni invigilare debent.

Contra uti indignus ille filii nomine est, cui surdo occinitur fabula, gratis omnia praecepta inculcantur multaque a Patre iniunguntur. Sic ne quidem servus Dei censendus est, qui, quae Dei sunt, non curat. Sic enim de talibus conquesta Bonitas infinita dicit: “Quid ^a ^bme vocatis^b Domine ^c; et non facitis, quae iubeo^d vos^e?” [Lc 6, 46]

Tuum itaque erit, per veram divinarum legum ac verborum et eorum qui illius vices agunt, observationem ad perfectam unionem contendere.

2. “Et Pater meus diliget eum” (ibid.)

Expende, quomodo sibi servi illi gratulantur, qui obsequiis suis, non tantum filiorum sibi animos, sed etiam parentum conciliant: quorum gratiam cum adepti sunt, lenissime se equitare, favoniis eius afflati existimant et gaudent. Hoc pariter cuius sibi obsequenti promittit Veritas, quod non solum amorem suum, sed etiam aeterni Patris, omnipotentis atque clementissimi Domini vera obedientia ac obsequiis sit demeriturus. “Et Pater”, inquit, “meus diliget eum”.

O felicitatem animae Iesum amantis! o beatitudinem Spiritui Sancto obsequentis spiritus! Quid potest tibi in vita (expende) beatius contingere, quam si amatus fueris a Deo? Iam optime cum hoc actum est, quemquem

^a add. “autem” (BSV) ^{b-b} “vocatis me” (BSV) ^c add. “, Domine” (BSV)

^d “dico” (BSV) ^e om. “vos” (BSV)

Deus adamaverit. Sed vide amori divino in te extenso respondeas pari amore, (quanquam quis hoc queat assequi?) humillimis obsequiis, promptitudine alacri, forti servitio, constanti obedientia. [f.56v]

3. “Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus” (ibid.)

Famosae illae domus quae a regibus visitantur; beata limina, quae^a sacerdotum, et quorumvis servorum Dei pedes calcant. At de illa anima quid sentiendum cuius cubile castus **Amor** ingreditur, cuius mansionem Regum Rex, Sacerdos summus iuxta ordinem Melchisedech visitat? Reges, quos inviserint, ditant opibus, exornant honoribus, aut stemmatibus nobilitant. Sacerdotes, quos adeunt, iis benedictionem impertiunt.

At Dominus noster Iesus Christus et opes plurimas, (puta virtutes) uti Rex ditissimus et stemmata gloriosa (puta characterem gratiae variorumque favorum signa) et benedictionem suam divinam, quascunque invisit, animabus elargitur.

Considera, quod hic ad te hodie venit et non solus quidem, sed cum Patre cumque Sancto Spiritu. Ubi enim Filius cum Patre sese promittit sistere, ibi quoque presentem Spiritum tanquam ab utroque promanantem necesse est. Ergo festinans descende ad cubiculum tuum et illud purga, munda, exorna, ut dignum sit tanto hospite excipiendo, nam Dominum Iesum oportet apud te hodie manere; quem cum Zachaeus domi suae habiturus erat, quanto gaudio exultabat! quae bona proponebat!⁸⁶

Longe tu maiori laetitia exilias pluraque bona proponas, utpote quem tam gratiosis, magnificis, serenissimis sanctissimisque hospitibus comitatus Iesus aditurus sit. Ecce Pater venit; surge, quid dormis? ecce Sponsus adest, prodi obviam illi; ecce Consolator advolat, cur maerore confectus gemis? Aperi illis cellam cordis tui et in caelum mutabitur ab illis.

O Trinitas! o Pater Sanctissime, Fili clementissime, Spiritus amabilissime, patet vobis mansio animae meae. Venite, accelerate, sed homo ego peccator sum.

^a in ms. erronee: “quas”

⁸⁶ Cf. Lc 19, 6-8.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et ^asubito factus est sonus de caelo^a, tanquam ^bspiritus vehementis, et replevit totam domum” [Act 2, 2].

Adventum Spiritus Sancti expendere potes admirabilem et antecedentia eius:

1) Quod eum cordis tristitia praecesserit; loquente [f.57r] Domino: “Tristitia replebit^c cor vestrum” [Io 16, 6];

2) Ingens sonitus adventante illo auditus est;

3) Non aliunde, sed de caelo prodibat. Et haec est ratio cognoscendorum Spirituum Dei. Si nimirum afflictio praecedit illos, quae proprium divinae gratiae in animam hominis effundendae signum est, iuxta illud cuiusdam dictum: “Paene nunquam viciniorem habemus Deum, quam in arcto constituti”⁸⁷. Et Nahum: “Dominus”, inquit, “in tempestate, in^d turbine viae eius” (Nah 1, [3]).

Cum strepitu et sonitu, concussa, terrefacta attritaque anima, venit ad hominem. Ac denique a Christo Domino missus venit, ex alto, ex illa immortali triumphantis Imperatoris caelestis arce. Nam e stygia palude erumpentes afflatus, malorum, inquam, geniorum susurri blande accedunt animam, molliter illam permulcent, sed in discessu mille morsus conscientiae, mille aculeos, mille acerbissimos dolores relinquunt. Spiritum contra Domini in turbine venire, praecedente afflictatione, sonitu, clarum est; quem tamen vestigia laetitiae relictas, mille solatia, mille fructus, mille bona subsequuntur.

Si ergo afflictus ante Sacrum Convivium eras, vel ob tuas imperfectiones, vel ob desiderium gratiae divinae inveniendae, vel ex alia quacunque pia causa, puta Spiritum Domini te accepisse, quem incredibiles stipabunt consolationes.

a-a “factus est repente de caelo sonus” (BSV) b add. “advenientis” (BSV)

c “implevit” (BSV) d “et” (BSV)

⁸⁷ DREXELIUS Hieremias, SI, “Gymnasium Patientiae”, P. I, c. IV, §2: “Sagittae”, in: “Opera omnia” II, Antverpiae 1643, 10. Sequitur allegatio e Nahum: “Eam ob causam Nahum propheta: ‘Dominus...’”. In margine citatur.

2. “Loquebantur^a variis linguis” (Act 2[, 4])

Considera peritiam linguarum, interpretationem scripturarum, intellegentiam mysteriorum, agnitionem futurorum signa esse, effectus, dona Spiritus Sancti. Sed quae cito evanescant, aut non multum salutem nostrae prosint, nisi illa gratitudo foveat, humilitas custodiat, recta intentio gubernet, optimus usus sustentet. Ita enim de his loquitur Apostolus: ^bSive linguae cessabunt, sive scientia destruetur, sive prophetiae evacuabuntur: Charitas nunquam excidit^b.

Quod ideo dicit, non quod flocci penderet illa Dei dona, sed fundamentum iis esse ponendum charitatem, quae omnium virtutum, gratitudinis, humilitatis aliarumque est fundamentum. [f.57v]

3. “Et mansionem apud eum faciemus” [Io 14, 23].

Considera, quid de mansionem hac Spiritus Sancti divus Gregorius disserat: “In quorundam ^c”, inquit, “^dvenit corda^d ^eSpiritus Sanctus^e, et mansionem non facit”. Quamobrem? “Quia”, dicit, “per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt; sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliviscuntur; sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si haec minime planxissent”⁸⁸.

Si ergo non habes animum, nec sentis ullum desiderium, tui emendandi; si non vis mori potius, quam relabi, puta Spiritum Sanctum apud te non manere. Stude igitur tuorum emendationi defectuum, ut non interne tantum Spiritum Sanctum percepisse existimeris, sed etiam externe id demonstres, omnigenas imperfectiones dehinc cavendo, virtutibus exercendis universis maximam navando operam. Spiritus namque Sanctus mentes carnalium in

^a “coeperunt loqui” (BSV) ^{b-b} 1 Cor 13, 8: “Charitas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.” (BSV) Attamen in ms. graphice, - i.e. diversa (rotunda et crassior) litterarum forma, sine binis virgulis, - non indicatur uti allegatio. ^c add. “etenim” (PL) ^{d-d} “corda venit” (PL) ^{e-e} om. “Spiritus Sanctus” (PL)

⁸⁸ GREGORIUS MAGNUS, homilia 30 : PL 76, 1221, n. 1576.

sui amorem permutat, sicut fecit cum Apostolis. Quorum, foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia, eodem Sancto Doctore attestante⁸⁹.

FERIA II PENTECOSTES

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Sic ^a Deus dilexit mundum, ut Filium” etc. (Io 3[1,16]).

Occupam mentem tuam^b in divina expendenda erga homines dilectione, quae tanta est, ut humana lingua, imo angelica, exprimi nequeat ac mente comprehendi. Nam si alios amoris actus praeteris et si nullum nobis praeter hunc exhibuisset, quod dedisse decreverit victimam pro totius humani generis salute Unicum suum, ac reipsa dederit, utique hoc solum infinitae charitatis ac incomprehensi amoris est.

Considera, quanta tui amore facit quotidie, quanta fecit in primordiis nascentis mundi. Amplissimam universi totius machinam tui amore condidit. Lucidissimos caelis [f.58r] oculos, a quibus materiale perquam necessarium lumen haberes, affixit. Tot volatilium reptiliumque genera, tot piscium in aquis na[ta]ntium turmas produxit amore tui. Variegata arborum, florum herbarumque pulchritudine tellurem depinxit ac distinxit amore tui. Quid non habent oculi, quo oblectentur? quid desideret cor tuum, quo satiatur? quid deficit animae tuae, quo recreetur reficiaturque?

Ac pauca equidem haec viliaque amore tui facta esse putavit pientissimus Parens, nisi quoque Unigenam suam tuam ob salutem necari voluisset. Sic Deus iste optimus dilexit mundum: sic humanum genus, sic te ingratum.

^a add. “enim” (BSV) ^b in ms. erronee: “tuum”

⁸⁹ *IDEM, ibid., 1220, n. 1574, ubi legitur: “Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit..., mentesque carnalium in sui amorem permutavit, et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt”.*

Erubescere hic, et confundere; quod nihil amore eius feceris generosi, nihil memorabilis actus patraris, nihil solidae exercueris virtutis; quin imo, si te diligentius inspexeris, pro bonis mala a te reddita esse invenies: pro amore, odium; maleficium, pro beneficio; pro gratiis, ingratitude. Fatentur id graviores tuae quotidianae culpaе, quas, examinata accurate conscientia, innumeras reperies.

Age per immortalem Deum! iam propone non solum tua, verum etiam aliena crimina deplorare et dignis satisfactionibus divinam reconciliare Maiestatem.

2. “Ut Filium suum ^a daret” (ibid.)

Expende, quantum sibi apud subditos ille rex amorem compararet, qui natum suum, et hunc unicum, pro regni incolumitate, quod iam iam cum omnibus provinciis omnino esset periturum ac aeternum delendum, morti offerret. Profecto vigeret talis principis apud suos perennis amor et memoria; apud externos perpetua admiratio.

Obtulerat se Moyses ad magnam ignominiam ac paene aeternam damnationem coram Deo universum Israel extingueri volente⁹⁰, his verbis: “Domine, aut parce populo huic, aut me [f.58v] dele ex libro vitae”⁹¹. Quem actum omnes mortales admirantur et merito ipsum Numen approbavit.

Qua voce hodie, tu, anima mea, Conditorem tuum efferes? quibus laudibus exornabis, qua animi gratitudine contentabis? tam incomprehense bonum! tam immense tui amantem! ut, qui Unicum suum in ara crucis pro tua salute immolandum obtulerit. Quo vero modo ipsum Iesum attolles, quo actu illi rependes mortem pro mundo universaliter, pro te particulariter toleratam?

Age, vicissim illi unicum tuam filiam tibi valde amabilem⁹², nempe voluntatem propriam ultro citroque offer in altari obedientiae immolandum.

^a add. “unigenitum” (BSV)

⁹⁰ Cf. Ex 32, 10.

⁹¹ Cf. ibid., 31-32: “ aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti”.

⁹² Cf. Iudic 11, 29-39.

3. “Ut omnis, qui credit in eum, non pereat” (ibid.)

Quivis pro collato beneficio vel par reposcit, vel memoriam saltem ipsius ac gratitudinem. Nihil homines hominibus impertiuntur frustra. Deus a te, anima mea, pro incomprehenso redemptionis beneficio, atque simul a mortalibus universis nihil aliud requirit, nisi fidem, nisi, ut credatur in ipsum; atque id non pro sua, sed nostra parte, pro nostro commodo, bono, incolumitate, ne pereamus.

Attamen considerabis: plurimos esse gentilium, apellarum⁹³, haereticorum, qui beneficio redemptionis abusi, non solum non credunt, sed blasphemant. Imo quot christianorum sunt, qui huic dono fidei non cooperantur, bona negligentes, mala consecantes. Compatiaris eorum caecitati, et tam illis, quam tibi, ad credendum et agendum lumen a Sole in sanctissima Eucharistia abscondito humiliter pete, ut credendo et agendo non pereas, sed inspirationibus, praeceptis illuminationibusque divinis parendo salveris.

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “Ut Filium suum Unigenitum daret” (Io 3[, 16])

Considera te eundem Dominum, qui pro mundi salute mortuus est hodie vivum manducasse. O te mirabiliter a Deo adamatum, cui redempto Redemptor seipsum cibum porrexit! Corpus suum dedit pro nutrimento, sanguinem pro refrigerio! Expende ergo quantas huic optimo Numini grates persoluturus sis, pro vivificatione et Communionem, cum immensas certe [f.59r] pro redemptione a te possit amor extorquere. O si hunc oculis animae sic intuearis, quemadmodum caelestes illi Spiritus intuentur, agnosceres profecto mirarerisque, quis hodie Dominus animae tuae domum intravit.

Quid pluribus opus? Deum accepisti: illum, qui te condidit; illum, quem Virgo Mater genuit; illum, quem Hebraei, dilectus populus, in crucem egerunt; quem tartara descendentem ad se formidarunt; quem sancta Genitrix, discipulae discipulique miro cum gaudio redivivum salutarunt; quem denique, tota ei procedens obviam, caelorum phalanx, nubea sede ex

⁹³ *Apella* - “sine pelle, quo nomine vocati sunt Iudaei circumcisi” (SLL).

oculis mortalium subduxit et ad usque Paternam dexteram supervexit. Unde Spiritum Sanctum consolatorem, magistrum, veritatis testem, post decem et quinque dierum spatium ad suos delegavit⁹⁴.

Et equidem hic susceptus a te Deus Iudex tuus olim futurus est; quem si indigne suscepisti, time; si susceptum tractes indigne, cave. Super omnia vero adhibe curam, ut tantum amorem pari amore, vel, certe, quali tua vilitas permittit et Patri aeterno, qui Filium pro te dedit mactandum et aeterno Filio, qui se morti ob salutem vitamque tuam devovit, compenses.

2. “Sed habeat vitam aeternam” (ibid.)

Expende, Deum nulli animae damnationis esse causam, ex his ipsissimis verbis, praeter Prophetae testimonium dicentis: “Perditio tua ^aex te^a, Israel” [Os 13, 9]: quinimo omnium concupisse salvationem, ob quam Unigenam suum tradidit crucifigendum; et in dies concupiscere, quandoquidem non alia de causa Poenitentiae atque Eucharistiae ab eo sacramenta sunt instituta, quam ut ii, qui post Baptismi lavacrum, ubi omnes maculas animae abluerant, iterum naevos aliquos et sordes seu lethalium, seu venialium culparum contraxerunt, per horum usum ac decentem frequentationem expiari possint ac mundari.

Nunc itaque occupa tuam mentem in summo Dei Optimi Maximi erga nos amore et nostri salvandi cura studioque, qui tam multa facillimaque remedia providet nobis, ut habeamus vitam aeternam!

3. “Lux venit in mundum” (Io 3 [, 19]).

Considera, quae sit Lux ista, quae venit in mundum: nimirum dona et gratiae Spiritus Sancti, quae accendunt sensus nostros et corda illuminant, ut bona divino amore operemur. Et quamvis Lucem hanc Christum fuisse dicat Evangelista, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum⁹⁵, cogitari tamen potest eum intendisse Spiritum Sanctum, qui Servatori nostro semper coniunctus erat et proprium esse Spiritus Sancti illuminare,

^{a-a} *om.* “ex te” (*BSV*) ^b *in ms. erronee:* “precatus”

⁹⁴ *Revera missio Spiritus Sancti locum habuit **decimo** die post Ascensionem.*

⁹⁵ *Cf. Io 1, 9.*

accendere, dirigere; quod Ecclesia precatur^b dicens: “Spiritus Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra”. Iam, quam copiosa sit lux ista, inde percipies, quod universis mortalibus illuminandis [f.59v] sufficiat^a.

O te miserum, si illam non conceperis! magis miserum, si tua malitia pepuleris! ac deinde miserrimum, si hac in sacratissima Communionem accepta adhuc in caligine elationis, proprii iudicii, impatientiae, curiositatis, pigritiae aliorumque pessimorum defectuum versaris.

FERIA III PENTECOSTES

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant” (Io10[, 10]).

Considera, bonum esse Pastorem Christum Dominum ipso de se testimonium exhibente his verbis: “Ego sum Pastor bonus” [Io 10, 11]. Pastoris enim bonitati nihil deest, si vitam cum pascuis gregi suo procurat sufficientibus. Utrumque ab illo studiosissime factum vide. Nam et vitam nobis morte propria comparavit et cibum sacrosancti corporis potumque dulcissimi sanguinis, quae usque adeo magno ac salubri animis nostris sunt nutrimento, nobis itidem ovibus suis abundantissime suppeditat, cum inquit: “Caro^b mea vere est cibus: ^c Sanguis meus vere est potus” [Io 6, 56].

O edulium! o nutrimentum! o escam beatissimam! quae simul purgat viscera animae, simul nutrit: una morbum fugat et robur novum infundit, medicina est et nutrimento! Da ergo operam, ne gratis caelicum hunc cibum sumas. Servi enim dominorum suorum escas non inani liberalitate profusas manducant; sed quo saepius et lautius tractantur, eo alacriores in obsequiis deferendis, frequentiores ac ferventiores sunt. Et tu a mensa Christi dormies?

^a *in ms. hic ob inadvertentiam superflue hic repetitur: “mortalibus”*
(BSV)

^c *add. “et”* (BSV)

^b *add. “enim”*

2. “Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingrediatur, et egredietur, et pascua inveniet” (Io 10[, 9]).

Expende, recte quendam spiritualem virum observasse: Christum Dominum esse ostium et vitam doctrinamque eius; ovile esse Ecclesiam, religionem, aut piam aliquam sodalitatem⁹⁶. Qui ergo per hoc ostium, id est per Christum, in ovile Christi, id est Ecclesiam, religionem, aut sodalitatem ingrediuntur; omni absque dubio salvantur. Intrare etiam per ostium est, [f.60r] doctrinam Salvatoris et vitam ac praesertim sanctissimam passionem meditari imitarique⁹⁷.

Quanquam vero multi sint, qui Christum professi dogmata illius amant et assiduo recolunt, tamen a salutis ostio idcirco aberrant, quod speculationi praxim non adiungant; siquidem illi solum “Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud”[Lc 11, 28].

Perge, tu, ad sacram mensam et audiendi et imitandi animo atque ibi certissima pascua invenies.

3. “Ingrediatur, et egredietur” (ibid.)

Supposito Religionem tuam esse istud ostium Christi, considera, tam eos salvari qui per illud ingrediuntur, quam eos qui egrediuntur. Hoc est: non solum illos religiosos ad vitam ingredi, qui semel intra septa monasterii recepti ibi continuae vacant solitudini, orationi, poenitentiae et aliarum virtutum exercitiis, nunquam in publico apparentes, nunquam extra pedem efferentes, sed illis quoque promissam vitam immortalem esse, qui, sive obedientia, sive charitate compulsi, aut Religioni, aut proximo auxilii ferendi gratia in mundum egrediuntur, quamvis non ita, atque opus sit, communibus sui Ordinis functionibus satisfacere possint.

⁹⁶ Cf. *BUSAEUS Ioannes, SI, “Enchiridion piarum meditationum in omnes dominicas, Sanctorum Festa, Christi passionem, etc.”, Moguntiae 1606, p. 65: “Feria III. Pentecostes”. Annotatio marginalis identificat “spiritualem virum” cum Busaeo citationeque indicat ubi facta est ista eius “observatio”.*

⁹⁷ Cf. *Ibid.*, p. 66: “Considera, tunc te fore optimam ovem in ovili, si doctrinam, vitam et passionem Christi sedulo expendas et in omnibus imiteris”.

Non enim eam, quae requiritur commoditatem orandi, meditandi, piaee lectioni insistendi, spiritualia colloquia tractandi et alia id genus exercendi inter saeculares homines habent, quam religiosa in domo positi. Sed quoniam per ostium charitatis, sive obedientiae inde sunt egressi, non suis meritis privantur, non salutis patiuntur detrimentum.

Accedens igitur ad Christum in altari te praestolantem, petes ab eo resignationis virtutem, ut cum ille velit te Magdalenam agere orando, non renuas; cum laborando Martham, acquiescas⁹⁸. [f.60v]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Pastori^a ostiarius aperit” (Io 10[, 3]).

Considera sub nomine pastoris omnem Superiorem intelligi; sub ostiarii nomine, Spiritum Sanctum, qui aperit ostium pastori, hoc est Superiori vias Domini monstrat rectas, per quas oves sibi commissas, puta subditos, Fratres discipulosque ducat; non carnis, non laudum appetentiae, non propriae utilitatis vento e salutari tramite deiciendus.

Tu itaque Superiores instar Christi apud te manentis veneraberis iussisque eorum, nutibus, voluntati, tanquam Spiritus Sancti mandatis, obtemperabis: definiens apud te nunquam futurum esse, ut decipiaris, si illis obsequaris.

2. “Quia sciunt vocem eius” (Io 3[, 4]).

Considera, vocem Domini esse, si ad emendationem vitae vocaris, si ex via deducers errorum, si ad poenitentiam pro delictis agendam excitaris, si

^a “Huic” (BSV)

⁹⁸ Cf. Lc 10, 38-42. Auctor sequitur sententiam eorum, qui identificant Mariam Magdalenam cum Maria sorore Lazari et Marthae. Cf. BUSAEUS, *op. et loc. cit.*: “...sive enim per eam ingrediaris in ovile, ut quiescas, et orationis ac contemplationi divinarum rerum vaces cum Magdalena, sive egrediaris cum Martha ad iuvandum proximum, uberrima pascua invenies, [...]”

ad mundi contemptum, abnegationem tui, amorem proximi et obsequium compelleris. Si denique ad omne genus virtutum admoneris complectendum, illa quae te excitat, compellit, admonet, vox Domini est. Hinc quam felices illos esse decernes, qui hanc vocem audiunt, sciunt, cognoscunt! ea namque ratione fieri non posse, ut seducantur, errent, pereant.

Tu cor ipsi semper apertum exhibens dic iusto cum Davide: “Paratum tibi^a”, o suavissima Domini vox!, “cor meum” [Ps 56, 8]: “fiat mihi secundum verbum tuum” [Lc 1, 38].

3. “Qui non intrat per ostium [.....] fur est, et latro” (Io 10[, 1]).

Considera, qui sunt isti fures latronesque per ostium non ingredienti, a Sancto Spiritu non promanantes. Nempe omnia ad peccatum et graviores imperfectiones incitamenta: omnia mala desideria [f.61r] carnis, vindictae, damni inferendi, iniquae delationis, nocendi alteri, persecuendi proximum etiam sub iustae accusationis et zeli specie, renunciandi virtuti, proposita bona infringendi, relinquendi viam Domini, tum odii, rancoris, invidiae, elationis resistentiaeque: haec quoniam per ostium non intrant, furum titulo et latronum nomine insigniuntur a Christo. Furantur enim animabus Regnum Dei easque occidunt, ut latrones. Quippe toties cuiusvis mortalis anima proxima est morti, quoties proxima est peccandi desiderio et iam moritur, cum mortali crimine inficitur.

Tu fures hos, latrones, vitare stude: passiones, inquam, tuas rationis nexu vinci potius, quam ab iis vincaris; feret siquidem tibi opem, quem suscepisti, Christus.

^a *om.* “tibi” (BSV)

DOMINICA TRINITATIS**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra” (Mt 28[, 18]).

Considera, quod hic Dominus respicit se ut hominem, non ut Deum. Nam secundum divinitatem aequalis Patri est potentia ab aeterno, quam a nullo datam accepit, sed semper ex se habuit. Siquidem, teste divo Athanasio: “Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus”⁹⁹.

Data est ergo potestas Christo, ut homini, in caelo, ut illud primus ingressus credentibus, iustis sanctisque aperiret; infidelibus, iniustis damnatisque praeccluderet. Data est potestas in terra, ut omnem creaturae cultum aboleret, idolomaniam subverteret, fidem ad veram tum per se, tum per suos discipulos gentes attraheret, Ecclesiam sibi constitueret atque demum ubique in mortalium mentibus, animis cordibusque regnaret.

O te felicem futurum, si te huic potentissimo Regi hodierna die totum subieceris in forma acceptabili panis, te ne terreat a sui susceptione, ad te venienti! [f.61v]

2. “Euntes ergo docete” (Mt 28[, 19]).

Expende clementiam bonitatemque Christi veri Numinis: qui licet ob lapsum ad variorum idolorum cultum mortales, tanquam Dominus necis, uti antea diluvio mundum subvertens fecerat, severe punire possit, tamen vitae potius se Dominum demonstans, Apostolis mandat: “Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti” [ibid.]. At istud quamobrem? Ut omnis, inquit, “qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus” [Mc 16, 16] sit. Move igitur cum Christo manum et dono fidei, ut salutem habeas, cooperare.

⁹⁹ ATHANASIUS, *Expositio Symboli Quicumque - Tractatus de Fide Catholica*, 13 : PG 28, IV, 1598.

3. “Docete omnes gentes” [Mt 28, 19].

En pientissimum Salvatorem! qui, quoniam neminem hominum perire vult, ad omnes regiones, provincias, regna, imperia, imo ad orbem universum Apostolos demonstraturos viam salutis delegat.

Profecto certissimum est, nullam penitus orbis partem, aut populum inveniri posse, ad quem Evangelicae doctrinae praedicatio non pervenerit unquam. Quod vero maiorem mortalium numerum in tenebris idololatriae atque haereseos versari contuemur, illud est rationis: eos iterum a Christi Domini deviasse et abscessisse doctrina; per Machometum, Arium, Lutherum, Calvinum, heresiarchasque alios, imo per ipsum orci spiritum, qui omnium magister est errorum et errantium, seductos; quorum perditio ex illis promanat ipsis.

O singulare Dei beneficium tibi in vocatione sancta orthodoxae fidei persistenti praestitum! Iacta in Domino cor tuum et ore quidem Pharisei sed corde pii Catholici dic: “Gratias ^atibi ago^a”, Domine, “quod^b non sum sicut caeteri” [Lc 18, 11]: gratias tibi ago sanctissima Trinitas, quod non incedam via erroris, sed veritatis; tuum hoc opus est, tua gratia, tuum beneficium. Utinam, quod supplex oro, etiam infideles illumines, haereticos [f.62r] convertas, peccatores exsuscites, ut sub uno Pastore, in uno ovili una te omnes profiteamur, colamus, amemus sine ulla temporis circumscriptione. Amen.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti” (Mt 28[, 19]).

Considera duo praecipua ad regenerandos homines a Christo Domino esse constituta Sacramenta: **Baptismum** et **Poenitentiam**. Utrum [unum]eorum [sit] praestantius, dubites. Baptismus, praecipue in infantibus, tollit originalem noxam; Poenitentia universa post hunc patrata scelera in adultis delet: cuius tanta praestantia simul ac utilitas est, ut secunda post

a-a “ago tibi” (BSV)

b “quia” (BSV)

naufragium tabula dicatur¹⁰⁰. Quasi primum Sacramentum sit navis, qua ventis lethalium criminum conquassata, qui secundum huic vicinum, nempe dictam naufragantium tabulam arripuerit eamque fortiter amplexus tenuerit ultra dubium aeternitatis portum tenebit.

Et illam quidem, tu, hodie arripuisti, quando conscientia rite expiata, etiam viaticum hoc procellosum mundi mare navigantium, sumpsisti. Utinam illam teneas, nec dimittas, ut te in caelesti statione videas!

2. “In nomine Patris, et Filii,” etc. (ibid.)

Expende Deum in personis trinum, essentia unum, ab omni aeternitatis aevo existere: te post conditum universum formatum fuisse, seu nostrum omnium parentem primum, a quo hoc praesens esse nostrum promanat atque illi illiusque posteritati, amplissimam laetissimamque paradisi regionem ad habitandum et mundi machinam ad possidendum cunctaque animantia ad regendum concessa fuisse, omni adempto morti in eum imperio, si mandata Conditoris obsecutus fructum arboris scientiae boni et mali non attigisset.

Haec a Sacratissima Triade prima homini exhibita sunt beneficia, quamvis specialiter soli Patri creatio rerum adscribatur.

Transferes quoque cogitationem tuam ad redemptionis operationem: et expendes, qua commiseratione ducta secunda Sanctissimae Trinitatis Persona, nempe Filius Dei humanam carnem [f.62v] assumpsit, ut non solum primaevam culpam, sed universa mortalium peccata deleret sanguine suo et hoc modo tam primo parenti nostro, ob divini transgressionem mandati Regno paradisi pulso, quam nobis omnibus illius posteris clausam caeli ianuam reseraret.

Postremo tuam mentem ad Spiritus Sancti beneficia perpendenda converte. Cuius proprium est ad veram amplectendam fidem, ad veritatis agnitionem, ad notitiam detestationemque peccatorum nos adducere, ad emendationem vitae impellere, cor lumine speciali accendere exque

¹⁰⁰ Cf. TERTULLIANUS, “De poenitentia” IV : PL 1, 1343-44, n. 1233: “Eam [poenitentiam] tu peccator [...] ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem”. Nota: “Alicuius tabulae. Quando aiunt Patres poenitentiam esse secundam post naufragium tabulam, de secunda et post baptismum poenitentia...”

daemonis habitaculo domicilium Dei constituere, inicere sanctas inspirationes, adiuuare bona proposita [facere “] et perficere atque alia plurima in anima hominis sibi conformi operari, donec ad perfectam totius Sanctissimae Triados fruitionem illam deducat.

3. Expensis singularum Trinitatis sacratissimae personarum singulis beneficiis, singulares pro iis singillatim gratias age. Lauda Patrem optimum maximumque, quod te creavit ad gloriam et ne condemnet ad ignominiam, pete. Exalta Filium, quod te redemerit per amorem ad vitam et ne propter digna summo odio peccata ad mortem detrudat aeternam, humiliter ei supplica. Extolle Sanctum Spiritum, quod te illuminavit per gratiam et obnixè ab eo expostula, ne te ad Acherontis¹⁰¹ tenebras demittat per iustam iracundiam.

Deinde conclude affectus in Sanctissimam Triadem illis Trium Puerorum iaculis: “Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu: Laudemus, et superexaltemus eum in saecula. Benedictus es Domine in firmamento caeli, et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula”¹⁰². [f.63r]

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Fecit caenam magnam” (Lc 14[, 16]).

Considera duplicem hanc caenam esse: alteram divinae visionis, qua receptae in caeleste triclinium animae perfruuntur; alteram Communionis sacrae, quam Dominus Iesus fidelibus Ecclesiae militantis apparavit: cuius cibus quam suavis! cuius potus quam salutaris! Cibus est caro Christi; potus est sanguis Christi; respectu quorum, omnes mundi escae, tum liquores, etsi exquisitissimi, umbra sunt, imo foetor. Et tamen, pro pudor!

¹⁰¹ *Acheron, -tis, - fluvius Inferorum; saepe ponitur pro ipsis Inferis. “Acheronta” (v. infra, p.171) Accusativus est Graecae terminationis. Ita sec. FLL.*

¹⁰² *LH, II, p. 851 : Hebdom. I, Dominica, Ad Laudes matut., Canticum, in fine.*

mensa Dei propter hominum mensas tam facile a multis deseritur, contemnitur! Qui propter delicias corporis inaudito caelestis huius ambrosiae nectarisque sopore animas privare suas consueverunt; cum dii omnino censendi sunt, qui his divinis refectionibus perfruuntur digne.

2. “Vocavit multos” (ibid.)

Expende convivii magnitudinem et praestantiam ex numero dignitateque vocatorum colligi. Caena Domini hinc magna est et praestans. Multi enim ad eam mortales, quos reges terrae Deus constituit, vocantur; imo universus orbis invitatur: “Venite”, inquit Christus invitator, “ad me omnes” [Mt 11, 28].

Tam vero lautam caenam hanc esse cogita, ut, si totum caelum et terra ad eam convenirent, cibus illis nunquam deficeret toto saeculo, tota aeternitate. Nam, quod magis mirere, totus semper Christus ab accedentibus sacram hanc caenam sumitur, semper tamen integer est, non discerpitur, non minuitur. Infelices adeo, qui hoc convivium vel propter incredulitatem, vel ob pusillanimitatem, vel denique propter aliqua vanissima negotia negligunt.

3. “Coeperunt [.....] se^a excusare” (Lc 14[, 18]).

Considera quam frivolae erant fatuorum hominum, qui invitabantur ad caenam magnam, excusationes: alter pagum revidendum sibi [f.63v] aiebat; alter boves probandos esse dictitabat; ultimus denique prioribus stultior coniugio se impediri affirmabat. Atque hinc collige: quantum humanae saluti bona fortunae, facultates, honores, divitiae obstant: quomodo illam impediunt, avaritia, luxuria, faedus et carnalis amor; quae per istos excusatos denotantur.

Unde de divitibus dictum est: “Facilius est camelum ^bingredi per foramen acus^b, quam divitem ^cad caelum^c” [Mt 19, 24]. De impuris quoque pronunciatum: “^dNolite proicere^d margaritas ^eante porcos” [Mt 7, 6]. Qui sunt hi porci nisi homines in caeno luxuriae volutantes!

^a om. “se” (BSV, ubi legitur: “coeperunt simul omnes excusare”)

^{b-b} “per foramen acus transire” (BSV) ^{c-c} “intrare in regnum caelorum” (BSV) ^{d-d}

“neque mittatis” (BSV) ^e add. “vestras” (BSV)

O ter beatos religiosos! quibus Dominus haec impedimenta salutis ademit per votum castitatis, paupertatis, obedientiae!

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “^aVenite, comedite^a” (Lc 14[, 17]).

O quanta Dei misericordis erga nos lucet hic charitas! quae liberalitatis magnitudo comparet! ut instructa mensa famelicas animas nostras ad caelestia fercula, ad se ipsum sumendum, amanter et paterne vocat: **Venite!** Attamen ignoras quanti et quot eius suavissimam invitationem surdis auribus praetereunt, eius exquisitissimo cibo potuque refertam mensam contemnunt! maluntque aeterna mori fame propter vanos ac plerumque pravos respectus, quam vocati clementissime instructissimum Dei-Hominis convivium accedere.

Te quia ad illud invitavit, illius bonitatis erat; quia disposuit ad sumendum corpus suum, gratiae. Erit ergo pariter tuae gratitudinis, ut illi pro tam lauta et salutari refectioe magnas grates rependas ac memoriam tanti beneficii, non uno solum hoc die, sed pluribus ad alteram usque caenam in animo tuo retineas.

2. “Misit servum suum hora caenae dicere invitatis, ut venirent” (ibid.)

Considera servum hunc esse inspirationem illam et instinctum Dei, quo ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pertrahimur. Invitados vero esse totius quidem mundi incolas; sed eos tamen praecipue, quos Sanctus Spiritus [f.64r] saepius et speciali gratia melioris vitae admonet ac ad divinum amorem pluribus modis allicit; inter quos praecipuus est frequentis Communionis. Cui, cum se non praebent obsequentes, deserit illos et aliis pauperioribus, id est, non tam copiose abs se donatis, vocandis servum, nempe sanctum instinctum, destinat.

^{a-a} “... dicere invitatis ut venirent, quia iam parata sunt omnia” (BSV)

Tu quis vocatorum ad caenam Domini sis expende; quibus ibi ferculis nutritus quosque illa in te emendationis, tui contemptus, amoris divini, humilitatis, patientiae, fortitudinis ac aliarum virtutum effectus causent, vide ac denique ne eos tua somnolentia vel impediās, vel extinguas, cave.

3. “Pauperes, ac debiles, et caecos, et claudos introduc huc” (Lc 14[, 21]).

Considera, qui sint illi pauperes, debiles, caeci et claudi? peccatores nimirum spoliati virtutibus, vacillantes in propositis bonis, non videntes semitam iustitiae, non recte ambulantes coram Domino. Tales tamen iubet Divina Bonitas vocari ad caenam magnam, ad mensam suam; ubi illos iam poenitentes exornat innocentiae vestitu primo, roborat ad bona exercenda opera, illuminat caelesti luce, gressum restituit, ut in via perfectionis firmiter calcanda persistent. Quod facit per gratiam excitantem, adiuvantem, concomitantem, efficacem, quas in sacrae synaxeos acceptione donat.

Ne igitur contempnas peccatores, quos Deus in momento iustificare potest. Ne etiam Domini vere magnam caenam vilipendas, aut aliquando negligas! quae tam fructuosa est, ut pauperes ditet, confirmet debiles, caecos illustret, claudos recte faciat ambulare.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Erant ^a appropinquantēs ^b ad Iesum ^b publicani” (Lc 15[, 1]).

Sicut sol nocivos humores e terra sursum trahit et quandoque noxia reptilia, sic iustitiae Sol Iesus trahebat trahitque etiamnum ad se publicanos, [f.64v] peccatores ac quosvis scelestissimos; adeo ut si totam ipsius vitam expendas, in misericordiis et miserationibus consumptam invenias: in cunis gentiles Reges traxit; docens Zachaeum, Matthaëum, Magdalenam innumerosque alios; moriens latronem, centurionem, Longinum sui lateris apertorem; imo non alium, quam peccatorem Ecclesiae suae praefecit.

^a add. “autem” (BSV) ^{b-b} “ei” (BSV)

Itaque accede peccator ad illum Magnetem, sive Solem increatum, qui tanta clementia in funiculis charitatis peccatores ad se tractitat^a [s] et cum ab illo te attractum esse videas, iam melioris frugis factus exemplo fac tuo [ut] peccatores aedifices.

2. “Ut audirent illum” (ibid.)

Felicissimos illos peccatores ac publicanos fuisse considera, qui nonnisi ad audiendum Iesum confluerant; neque vero ea intentione sermonibus illius aures praebere volebant, qua Pharisei, qui solummodo quid diceret, observabant; sed auditum ei apparabant, quod aeternae vitae, cuius erant avidissimi, ex ore illius mellifluo instar roris eloquia promanarent.

Te miserum si alio animo verba Dei audis legisque, quam salutaris fructus gratia; miserrimum autem fore si facundissimi Iesu^b instinctibus in hac sacra Communionem cor non apparaveris et aperueris.

3. “Murmurabant Pharisei, et Scribae” (Lc 15[, 2]).

Considera vitium superbiae non solum humilitati, sed etiam misericordiae adversari: en hoc in Phariseis murmurantibus advertis, qui immitissimi animarum latrones gratiam Salvatoris invident peccatoribus fastuque inflati adversus eos insurgunt, quos perire sane volunt, siquidem per verba Verbi aeterni ad meliorem frugem nolunt revocari.

Tu proinde cogita: quoties internum murmur sentis, te superbiae vinculis attineri ligatum. Quare, cum humilitatis Magistrum accedis, pete ab eo virtutem humilitatis; neque te ille contemnet, “qui solem^c d^dfacit oriri^d super bonos, et malos”[Mt 5, 45]. [f.65r]

^a inusit. frequentat.; proinde: tractitatus - tractatus saepe (tracto - frequentat. a “traho”).

Ita sec. FLL.^b in ms. erronee: “Iesus”^c add. suum” (BSV) ^{d-d} “oriri facit” (BSV)

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “^aPeccatores recipit hic^a” (ibid.)

Considera divinae bonitatis, clementiae misericordiaeque infinitos limites esse; quo fit, ut nullum quamvis sceleratissimum peccatorem reiciat; imo suavissime multis aggravatos criminibus invitans: “Venite”, inquit, “ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos” [Mt 11, 28]. Ac ne tamen accedere trepident, protestatur se non venisse ad salvandum “iustos, sed peccatores” [Mt 9, 13].

Quod hodie re ipsa tecum factum: quem tot ac tantis imperfectionibus oneratum, amicissime^b sacrae mensae adhibuit; et sane, non iam tecum manducavit, sed seipsum tibi manducandum dedit. O clementiam! o gratiam! ex vase abominationis factus es arca Dei, non propositionis, sed angelorum panem continens. Pete, quem contines, Dominum, ut benedicat domui tuae, quam modo inhabitat; sicut Zachaei domuique Obededom¹⁰³ benedixit, quae figuram solum suscepti a te Sacramenti conservabat.

2. “Et manducat cum illis” (ibid.)

Expende Iesum, quemadmodum inter homines existens cum peccatoribus amantissime fuisset conversatus, ita nunc similis conversationis, ergo suum iisdem corpus et sanguinem non denegare, quamvis indispositis, iuxta illud Ecclesiae canticum: “Sumunt boni, sumunt mali”¹⁰⁴.

Hominem tamen debere ad id incumbere, ut pro suo modulo se ad sumendum praestantius novi testamenti manna praeparet, ne iudicium manducet. Imo surgentibus etiam a sacra mensa convenit ita se devote gerere, ut igniculos divini amoris dilatent potius fervore suo, non extinguant tepiditate. Sicut enim sumpta medicina corporali foras prodire ac sese agitare nefas est et noxium, ita spirituali accepto medicamento procul a corde recedere, superfluis distrahi negotiis minime est proficuum.

a-a “*hic peccatores recipit*” (BSV) b *in ms. erronee: “amicissimae”*
¹⁰³ Cf. 1 Par 13, 14.

¹⁰⁴ *Sequentia “Lauda Sion”, v. 17, in: MIR, Lectionarium II, 916.*

Tu itaque cubile cordis ingressus tui, te solum tuumque hospitem Iesum contemplare, ut ipse tui, tu ipsius igne fovearis. [f.65v]

3. “Gaudium erit coram angelis super uno peccatore poenitentiam agente” [Lc 15, 10].

Considera hic per poenitentiam, tam virtutem, quam sacramentum Poenitentiae intelligi. Ergo tu, fecisti gaudium angelis tua peccata confitendo, dolorem eorum eliciendo et firmissimum non peccandi ultra faciendo propositum. Fac alterum, voluntarias mortificationes, sive satisfactionis, sive praeservationis gratia, assumendo teque in prolixa, discreta tamen afflictatione corporis exercendo.

Ut enim summam capiunt amici laetitiam ex longinqua navigatione redeuntibus amicis, sic familiares nostri angeli magnopere laetantur, cum post naufragium innocentiae factum tabulam nos poenitentiae vident arripere cum eaque littus caelestis patriae petere.

Itaque recrea caelites solidam agens poenitentiam.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “In verbo autem tuo laxabo rete” (Lc 5[, 5]).

Considera, diffidentiam omnium heroicorum operum, quae aggredimur; vitiorum, quae conamur extirpare; virtutum, quas cupimus exercere, maximum esse impedimentum. Contra fiduciam validissimam esse manum in exequendis praecelsis negotiis, gloriante Davide: “In Domino^a confido, non erubescam” [Ps 24, 2].

Expende simul, propterea irritos multorum conatus in multis operibus fieri, quod non in verbo Domini laxent retia; neque capturam habere piscatores hominum, qui suis doctrinis suam gloriam, non Dei laudem, non salutem animarum quaerunt.

^a “te” (BSV)

Tu da operam, ut in verbo Domini, nimirum optima intentione, facias universa.

2. “^aTota nocte^a laborantes, nihil cepimus” (ibid.)

Considera desperatis rebus sanctos illos piscatores post lota retia discesum ab aquis parasse, cum repente veniens [f.66r] Magister animo bono iubet illos esse, retia mittere in undas. Hinc invisata multitudo piscium extracta est.

Sic nos quandoque tota nocte, multis nempe annis pluribusque lustris summo cum labore, sed nullo cum fructu piscatoriam exercemus iamque desperantes curam proximi, quasi ^boleo operaque perditis^b relinquimus, cum subito divinae subsidia gratiae veniunt multamque praedam retibus nostris impellant.

Disces ergo hinc, imo propones, te nullo taedio, nullo damno, nullo incommodo a labore, quem circa tui, vel alterius perfectionem insumis, abigendum, sed facturum iuxta tuum posse et Deus aderit optimae voluntati seduloque conatui; qui licet tardus veniat, expectandus est.

3. “Relictis omnibus, secuti sunt eum” (Lc 5[, 11]).

Duo hic considera:

Primum: sequentibus, vel sequi volentibus Christum omnia esse relinquenda: mundum, honores, facultates, amicitias, amores, propinquos, consanguineos, parentes, “adhuc autem et animam suam” [Lc 14, 26], propriam voluntatem alienae subiciendo. Haec est compendiosa via Christi vestigiis insistentium.

Alterum expende: magis ad perfecte sequendum Christum obligari eos, quos ille sibi suis favoribus, gratiis, beneficiis devicit; quod fecerunt hi sancti piscatores, qui viso evidentissimo in captura piscium miraculo, quod in gratiam illorum patratum fuit, illico, “relictis omnibus, secuti sunt Iesum^c” [Lc 5, 11].

^{a-a} “*per totam noctem*” (BSV) ^{b-b} “*oleum et operam perdere*” - est frustra laborare (SLL, s.v. “oleum”) ^c “*eum*” (BSV)

Quodsi non inter postrema Christi beneficia sacra synaxis refertur, vide, quid a te exigit illius susceptio.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “^aExi a me, Domine, quia homo peccator sum^a” (Lc 5[, 8]).

Considera primum divinae praesentiae effectum, sui cognitionem: ut enim nocte sordes domus non purgatae latent, exorto sole patent, sic absente a nobis divina luce palpabiles etiam culpas non sentimus; at huius radii cubiculum nostri cordis intransibilibus, o quam clare cernimus imperfectionum [f.66v] maculas, ne dicam scelerum monstra. Sic divus Petrus tum se agnovit peccatorem, cum Christum in navi, aeternum nempe Solem, vidit.

Vae tibi! si hodierna die gerens eundem corde, te peccatorem non advertis, non fateris.

2. “Homo peccator sum” (ibid.)

Expende, optime cum illis agi, quibus Lumen increatum notitiam sui confert; tunc namque dolent, cum vident scelera; tunc abominantur, cum eorum turpitudinem perspiciunt; tunc maxime suam operantur salutem, cum se maximos esse peccatores divina gratia coniciunt.

Miserum te, qui non tuas intueris culpas; qui in examinanda conscientia caligas; qui tuis velatis defectibus nomen tibi sancti dari gaudes et talem te esse opinaris. Sed apparebit scilicet haec tua pulchra sanctitas, cum descendens in nubibus caeli Deus Iudex tuus apparebit, cum scrutabitur in lucernis Ierusalem¹⁰⁵.

Age nunc, potius agnosce te peccatorem, cum instar Patris clementissimi se ad tua viscera demisit.

^{a-a} “Exi a me, quia [...] sum, Domine” (BSV)

¹⁰⁵ Cf. *Soph 1, 12*.

3. “Noli timere” (Lc 5[, 10]).

Considera, multos imperfectionibus suis turbari postquam venerint a sacra mensa: constringi et angi, quod indigne communicarint; clamare: “Exi a me, Domine”¹⁰⁶, cum tamen nemini metuendum sit, nisi ludibrii, non salutis, causa divinum corpus sumpserit.

Nam si trepidas, quod peccator sis, salvare venit peccatorem Iesus; si times quod imparatum te convenerit, supplebit defectum praeparationis Iesus; si turbaris indigne susceptum a te existimans, cum tamen nullius gravioris culpa tibi conscius sis: hoc nemo scit suscipientium, nisi solus susceptus Iesus.

Si denique metuis, ne lapsu repentino in morbum animae incidas, hoc committe Iesu; ideo venit ad te, ut roboret te, praeservet, salvet benignissimus Iesus.

Noli igitur timere; quin potius exulta: “^aquia salus domui” tuae “hodie facta est^a” [Lc 19, 9]. [f.67r]

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum” (Mt 5[, 20]).

Perpende, quomodo Magister verax et sanctus discipulos ad profectum et perfectionem exhortetur; ut nimirum tanto studio conentur progredi, ne a nemine superentur vitae sanctimonia, sed omnes superent excellentia virtutum atque sic caeleste Regnum consequantur.

Non minorem, tu, adhibe curam, ut omnium perfectissimus existas: hinc invidia quadam sancta stimulatus virtutibus omnes transgredi contende. Nec illius opinionis sis, ibi te sufficere esse, ubi sunt alii; nam

^{a-a} “Quia hodie salus domui huic facta est” (BSV)

¹⁰⁶ Cf. Lc 5, 8.

minime dubites, in ultimo perfectionis gradu te consistere, dum putas in summo cum reliquis stare. Non immerito Christus monet: “Estote [.....] perfecti, sicut et pater ^ameus in caelis^a perfectus est” [Mt 5, 48]. En ipsius Dei perfectiones^b habere te vult summus perfectionis Doctor.

Abundet igitur iustitia tua plus quam Scribarum et Pharisaeorum. Quanquam cum tam cito ac tam frequenter ab ea recedas, supplica venturo ad te Deo, ut, quod iubet, ipse conficiat in te¹⁰⁷.

2. “Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio” (Mt 5[, 22]).

En quam tibi severe fraterna charitas praecipitur; at simul animam tuam esse tuum fratrem, puta: quam toties persequeris iratus, quoties occasionem meritorum devitas, quasi futurae illius gloriae invidens ac illa quandoque ornamenta, quibus a Sponso Deo fuit olim dotata, virtutum inquam splendorem, ei detrahis, cum, sive carnis, sive mundi versutique genii suggestionibus morem gerens ad mala totus ruis. Cave, ne propterea divini severitatem iudicii experiaris componeque nunc animam tuam omnem deinceps illius rectae rationi pollicitus obedientiam.

3. “Qui irascitur fratri suo” etc. [ibid.]

Perpende secundo per “fratrem” quemvis proximum intelligi, [f.67v] maxime vero [“]domesticos fidei[”][Gal 6, 10]. Vide itaque, num tibi cum omnibus cor unum et anima una; num cuiquam molestus non sis; num aliquem zelosius quam par est incuses vel accuses; cur alterius promotioni obsistas; cur dotibus ac talentis reliquorum non gaudes; cur eorum perfectioni non faves; cur aversum animum geras erga quosdam; cur eos duris et asperis verbis excipias.

Vide, utrum haec ex iusto zelo, an potius ex iracundia promanent, ne vel hodie Iudicis ad te venientis gravissima sententia plectaris.

a-a “vester caelestis” (BSV) b potius deberet esse: “perfectionem”

¹⁰⁷ Cf. AUGUSTINUS, *Soliloquia*, c. 18, in fine : *op.cit.*, p. 136: “da quod iubes, et iube quod vis”.

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “Qui autem dixerit, fatue” (ibid.)

Considera, quam nocivum sit alienos defectus considerare, multo magis eos exaggerare, cum nihil nostram curam attingant. Utinam nunquam in alios severius[?] inveharis! sed potius alicuius imperfectiones intuens, tibi illas adscribas dicasque: a me hoc malum didicisti; prius ego culpas in similes incidi; ego illi scandalo sum; meum hoc vitium, non suum est; in me ista, non fratre meo adverte.

O quanta mihi cura est insumenda, ut hos defectus, qui mihi conspiciuntur in aliis, in me emendem! quam perversissima, ingratiissima, negligentissima creaturarum sum! Domine, nisi iuveris me, peribo. Convertete me Deus salutaris meus, et averte iram tuam a me¹⁰⁸.

2. “Vade prius reconciliare^a fratri tuo” (Mt 5[, 24]).

Considera, definitum esse hic a caelesti Magistro: **indignum esse amore Dei, qui non flagrat amore proximi**¹⁰⁹; neque mereri, ut illi reconcilietur et faveat Salvator, qui non reconciliatur neque favet [**f.68r**] suo fratri.

Vae tibi, si rursus ab altari veniens et ipsissimam charitatem corde gerens, aliquem exacerbasti, tristitia confecisti! Crede: velle iterum Dominum, ut reconcilieris fratri tuo. Neque enim convenire possunt aut in uno corde morari **charitas** et **odium**.

3. “Esto consentiens adversario tuo cito” (Mt 5[, 25]).

Expende adversarios tuos esse omnia illa, quae pessimae tuae repugnant voluntati et ardua videntur ad perficiendum, sint licet optima. His itaque cito

^a “reconciliari” (BSV)

¹⁰⁸ Est adaptatio Ps 84, 5: “Convertete nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis”.

¹⁰⁹ Graphice indicatur quasi esset allegatio verborum Christi, sed - uti videtur - sunt revera verba auctoris, quibus mens Christi exprimitur.

consentire te fas est; haec sine mora, murmure reluctationeque amplecti ac perfectissimae executioni mandare. Quid enim virtutis exerces, si tantum ea hilariter exerces, quae tibi ad placitum iniunguntur? Atqui heroica suscepti nunc a te Redemptoris, si velis heros esse, conformatio, resignatio abnegatioque tibi est imitanda.

Quaere igitur occasiones infringendi tuum iudicium: cumque tot orco victimas propriae voluntatis immolaris, unam solummodo, licet sero, iam caelo victimam sacra, totam voluntatem.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Misereor super turbam” (Mc 8[, 2]).

Considera, non iustitiae, sed commiserationis fuisse, quod sui sequacem turbam triduana fessam inedia Salvator refecerit.

Sic non tui meriti esse iudices, si quando tibi caelestium suavitatum propinatur nectar et offertur ambrosia, sed misericordiae bonitatisque divinae illud adscribas, quae tuam famem, tuae languorem animae videns, illi suae liberalitatis dulcedine consuluit ne deficeret in via. Quare, quam merito illum audias, quam diligenter [f.68v] illius vestigiis debeas insistere, quam perseveranter eum sequi!

2. “Quidam enim ex eis de longe venerunt” (Mc 8[, 3]).

Considera, eos, qui de longe veniunt, conversos esse peccatores; qui non a Nili, Tiberis aut Gangis, sed ab inferni ostiis ad Christum redeunt; quos etiam ille caelestibus solatiis reficit amaramque poenitentiam illorum internarum deliciarum suavitate condit.

Tu quoque veluti prodigus filius grandi fame cruciatus ad Patrem tuum mansuetissimum ex longinqua, quo te tuae imperfectiones traxerant, regione divertis. O quanto te desiderio expectans clamat: “Veni, veni, et noli tardare!” Quam lauto convivio excepturus est! “caena magna”¹¹⁰!

¹¹⁰ Cf. Lc 14, 16.

3. “Quot ^ahabetis panes^a?” (Mc 8[, 5]).

Perpende, non latuisse Dominum, cui omnia patent, quot essent panes in paenu sua? tamen inquisivit. Explorasse voluit suorum fidem.

Te quoque credo voluit docuisse: ut quamvis nihil praeter innumera peccata feras illius mensam subiturus, cum fiducia tamen venias, et levandi tui oneris, et spiritualis famis pellendae. Quanquam inquiras ex te ipso nunc necesse est: quot habeas imperfectiones? quos morsus conscientiae sentias? quid tuae perfectioni desit? quid bonitati? ut melius tuam pietissimo Domino scias necessitatem exponere.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ecce iam triduo sustinent me” (Mc 8[, 2]).

Considera, non statim turbam illam, quae Dominum sequebatur, sed post elapsum triduum primo refectam fuisse; ut tu docearis, infinitos reperiri, [f.69r] qui multos per annos divinis consumptos in servitiis nullum consolationis, quod benevolentiae Regis aeterni signum est, donum recepere.

Exemplum tibi sit unica Theresia, quae non exiguo tempore inter gravissimas afflictationum et persecutionum procellas nullo caelestium solationum, quibus in terris abundare solet sanctitas, refrigerio impertiebatur, quamvis rarissimae virtutis Dei famula esset¹¹¹.

Tuum ergo erit divinis obsequiis insistendo conari potius, ut optimum tuum Dominum adimpletione suae voluntatis recrees, quam sanctioribus illis voluptatibus, quae ad futuram vitam reservandae sunt, ab illo expetas recreari.

a-a “panes habetis” (BSV)

¹¹¹ Cf. TERESA DE IESU, “Vita” : *Opera II, Coloniae Agrippinae 1626, 116*: “nam nec e coelo ulla ei [animae] venit consolatio [...] sed veluti crucifixi inter coelum et terram pendet”; 144: “in persecutionibus, [...] non ostendamus, quod spirituales consolationes consecutemur; [...] crucem amplecti”; 163: “ut nec a terra mihi ullum, nec e caelo solatium veniret, aut affulgeret; nisi quod Dominus me mille inter periculorum timores constitutam pati cerneret”.

2. “Et manducaverunt, et saturati sunt” (Mc 8[, 8]).

Expende maius esse miraculum, quod Christum toties sumimus et non consumimus, quam quod quatuor millia septem panibus saturata micarum fragmentorumque septem reliquissent sportas; et tamen hoc miramur et praedicamus, illud vero quasi non videmus. Cuius rei non alia causa est quam assidua corporis Domini usurpatio. Vilesunt res omnes frequentia, quibus raritas pretium conciliat. Tamen apud te in continua sit admiratione hoc profundissimum mysterio Sacramentum oportet. Cave, parvum pondus ac aestimationem habeat idcirco, quod tam frequenter illo perfruaris. Sed quo illud saepius sumis, eo magis admirare, totum semper ibi Christum esse, nunquam alium, nunquam non integrum!

3. “Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas” (ibid.)

Considera egregiam Apostolorum operam, quam in divulgando hoc miraculo tum per micarum sedulam collectionem, tum per scriptorum memoriam, praestiterunt. Ita decet enim gesta miraque Numinis non obliterari.

Tu innumera beneficia Dei collata tibi retices: totum mundum a Deo vides nutriri et non miraris; infinitas pauperum, religiosorum variorumque [f.69v] mortalium catervas, imo totum orbem ab eodem quotidie ali, regi, sustentari non obstupescis, non laudas: ille est, qui suis negligentioribus licet servis victum amictumque curat; ille domui huic, quam inhabitas providet; ille famam suorum tuetur, suis nomen facit magnum, comparat auctoritatem, conciliat amorem, honorem tuetur, bona supernaturalia sine mensura largitur, sanitati subvenit, commoditates offert, succurrit unicuique necessitati. Hoc tamen non expendes? non miraberis? non laudabis? tacebis? non digna rependes gratitudine?

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Attendite a falsis prophetis” (Mt 7[, 15]).

Considera, non tibi cum Prophetis esse rem, sed cum tuis affectionibus, cum tuis sensibus; his tibi esse attendendum, ne boni specie ad mala tartara te praecipitent.

Quam falsus propheta visus est, qui honestae rei intuitu mentis internae dehonestat plerumque imaginem! Falsus vates auditus est, qui fabulis quibuscumque patens tot tibi distractiones ingerit oraturo. Falsus propheta gustus est, qui ventris ingluvie pollicens tibi robur corporis, mentis robur, imo utrumque debilitat. Falsus vates tactus est, qui oblectat in praesenti, cruciat in futuro. Falsus denique vates odoratus est, qui respuit vilia quaeque veluti nocitura tibi, veluti profutura suavia acceptat et utroque decipit te.

Attende his prophetis falsis: tu eos, non illi te gubernent ac decipiant.

2. “Veniunt ad vos in vestimentis ovium” (ibid.)

Cogitationum tibi hic rectitudo consideranda est, qualitas discutienda. Quoties enim illae, cum foedissimae sint, pulcherrime se in animum insinuant? quo non raro devotionis admissae respectu, impietatis effectum causant.

Veniunt illae quidem sub velo zeli, sed multoties iracundiam palliant. Veniunt sub amoris boni veste, sed malum [f.70r] amorem ferunt. Veniunt sub tegumento iustitiae, sed rem portant vindictae. Veniunt sub pallio discretionis, sed revera sunt cogitationes tepiditatis. Veniunt denique sanctitatem prae se ferentes, et cum abierint relinquunt illusionem.

Cave, cave, ne lupus in ovium vestimentis ad te intromittas.

3. “Intrinsecus autem sunt lupi rapaces” (ibid.)

Hoc proprium cacodaemonis esse perpende, quod se fingat ovem, ne lupus agnitus fugiatur. Sic instantis ratione necessitatis decipit, ut sacrificaret absque Samuele, Saulem; cum profecto futura erat acceptior obedientia Deo, quam victima¹¹².

¹¹² Cf. 1 Sam 15, 22.

Sic multos quoque nunc defraudare solet, quibus infirmitatem praetendit, ne mortificationes subeant; famae curam obicit, ne contemni studeant; caelum pollicetur iam assignatum, ne pro illo amplius laborent. Eheu! lupus hic est, non ovis!

Roga igitur Dominum in sacra mensa, lumen ut tibi impertiat, oves a lupis, bona a malis discernendi.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ex fructibus eorum cognoscetis eos” (Mt 7[, 16]).

Ecce iam tibi modum dignoscendi falsos prophetas, sensuum inquam ductus, cogitationes inspirationesque Dominus ostendit, cum ex effectis, consequentiis fructibusque suis docet esse iudicandas. Sicut enim, quemadmodum dicit ipse: “^aMala arbor non potest bonum fructum facere, et bona malum^a” [Mt 7, 18], sic bonarum inspirationum cogitationumque finis optimus, malarum pessimus effectus.

Non igitur putes a Deo concessam fuisse contemplationem et illuminationem eam, quae tibi compunctionem, submissionem, sui vilipensionem eripuit. Non mentis excessus, raptus visionesque iudices bonas, quae te non faciunt bonum, vel, quam sis, meliorem.

Non veram credas esse sanctitatem, quae charitatem non habet, destituitur humilitate. [f.70v]

2. “Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur” (Mt 7[, 19]).

Perpende te in Religione constitutum, veluti arborem aliquam in horto Dei plantatam: atque in discrimen vocationis incidas, ne excidii periculum subeas, vide, quos et quales hic fructus sis facturus. Verendus est tibi miserabilis illorum casus, qui ob negligentiam suae vocationis, tanquam infructiferae vel sylvestres arbores ex viridario Christi pulcherrimo sunt excisi, eiecti.

a-a “*Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere*” (BSV)

Quamobrem da operam, ut afferas “fructum multum in patientia”¹¹³.

3. “In ignem mittetur” (ibid.).

Considera, quomodo prudens paterfamilias, non solum decorem, sed etiam utilitatem perspiciens horti, varias hic plantat arbusculas, plantatas irrigat, et nihil, quod earum necessitatem concernit, solet omittere. Sed cum aliquam earum tali cura non crescere, non fructum ferre, quin sterilem aruisse videt, ne sit obstaculo vel dedecori, excidit illam flammisque addicit.

Tui quoque, arboris suae dilectae, quantam caelestis ille Dominus curam gerit! En et hodie te rigavit cruore proprio, ut rosam praestantissimam; faecundavit corpore sanctissimo, ut vitem electam.

Vae tibi, nisi fructifices, si sterilescas, si areas! Ignis, ignis te manet ac equidem sempiternus.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Habebat villicum” (Lc 16[, 1]).

Considera, te quoque villicum esse Dei, qui tibi animam sensusque ad regendum, scientiam rerumque spiritualium qualemqualem^a cognitionem dedit [f.71r] ad dispensandum cum similibus talentis; non ut haec pessumdares aut suffoderes, verum bona illorum dispensatione tuo Domino faceres lucrum et fructum.

Perpende igitur tuas dotes et indolem; quidve pro Numinis honore, proximi tuaque salute ac utilitate [facere “] possis, cave negligere. **Divinis etenim donis operari nolle, sacrilegium est**¹¹⁴.

^a “qualisqualis” (vel: “qualis-qualis”) est idem ac: “qualiscumque”

¹¹³ Cf. Lc 8, 15.

2. “Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis” (Lc 16[, 2]).

Expende, dissimulare ac procrastinare saepius Dominos saeculares receptionem suis a dispensatoribus rationum, donec male audiant; quemadmodum hic Evangelicus dives fecit suo cum villico, qui diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Non aliter caelestis ille Dominus peccata dissimulat sibi famulantium, quoad erumpant in apertum. Sic tolerabat diu filios Heli, sed cum populus eorum rapinis inciperet scandalizari, per terribilem interitum ad reddendam rationem eos vocare festinavit¹¹⁵.

Unde disce: Multum patienterque a Deo occultorum peccatorum emendationem expectari: publica vero scandala, quamvis leviora, cito et graviter puniri¹¹⁶.

3. “Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?” (Lc 16[, 3]).

Haec scilicet est ultima nequam servorum felicitas: vel paena imminenti malae villicationis a peccatorum lethargo profundissimo excitari.

Felix tu, si hodierni villici laudatam imiteris industriam. Vocatur ad calculos faciendos et cum se in his magnum periculum subiturum praecognoscit, multa donat suis debitoribus, ut sua quoque debita illi condonentur.

A te quoque, cum alias, tum in hodierna Communione dicti, facti cogitatieque et omnium suarum rationem offensarum Dominus extorquebit. Quid miser hic industriae capies? an tam demens et insanus eris, ut aliquid odii contra proximum tuum in animo retineas, volens odium Numinis evitare? an ex corde tuas iniurias et offensas unicuique non condonabis, cupiens tibi similem gratiam a Deo fieri? [f.71v]

¹¹⁴ *Graphice indicatur uti sententia auctoris gravior seu maioris momenti.*

¹¹⁵ *Cf. 1 Sam, 2, 12-25.*

¹¹⁶ *Idem hic est dicendum ac supra in annotatione 114.*

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “Redde rationem” (Lc 16[, 2]).

Tibi ipsi a te exigenda est ratio tuae Communionis hodiernae. Tu, te ipsum interroga: qualis ad sacram mensam accesseris? ut ibi te gesseris, quae tua fuit devotio? quis ardor? quae pietas? quomodo vero inde recessisti? quas egisti Domino grates? quamdiu fuisti recollectus? quem fructum, quod lucrum, quas gratias ex hoc Sacratissimo retulisti Sacramento?

Tibi “redde rationem”, ut vel in defectus animadvertas, vel in affectibus similibus proficias.

2. “Fodere non valeo” (Lc 16[, 3]).

En quantam huic villico desperanti pigritia sollicitudinem parit! Non dicit, se non scire fodere, sed non posse: quod segnus est, non ignorantis.

At, quoniam facilius ignorantia, quam desidia excusatur, nae tu felicius ignorans, quam piger. Quapropter caveas, cum quid operis iniungitur tibi, vel sponte pro gloria Dei assumitur, dicere aut cogitare: hoc facere non possum, istud negotium est ultra vires, non valeo tam grave, aut tam vile opus aggredi.

Quin potius animos tibi cum Paulo addens dic: “Omnia possum in eo, qui me confortat” [Phil 4, 13] corpore suo et sanguine, bonus Deus.

3. “Mendicare erubesco” (ibid.)

Ecce tibi albae gallinae filium¹¹⁷, ecce pullum delicatissimum, ecce tenerrimum saeculi amatorem. Pudet illum pauperem esse: pudet ostiatim stipem petere, pudet agere mendicum.

Gratulare tibi de tua voluntaria paupertate optaque ut ad eum devenias statum, ut tibi crustum panis emendicanti negetur et desit is, a quo illud accipias. Illius enim Dominae te pauperem profiteris, [f.72r] quae Deum Filium recens enixa “reclinavit ^a in praesepio, quia non erat ei^b locus in diversorio” [Lc 2, 7].

^a add. “eum” (BSV) ^b “eis” (BSV)

¹¹⁷ “albae gallinae filius”, h.e. homo felix, fortunatus, nobilis. Cf. SLL, s.v. “Gallina”.

Illius te Regis esse servum gloriaris, qui, cum venisset in mundum sibi subditum uti a se conditum, non habuit angulum vel infantile caput commode reponendi¹¹⁸.

Ergo mendicare non erubescere.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Videns civitatem flevit super illam” (Lc 19[, 41]).

Considera, si Christus Dominus futuram praevidens et praedicens Ierosolymaeae[s] devastationem civitatis, a magnis lachrymis sese non potuerit continuisse prae summo dolore: quali eum putas maerore confici? quam vehementer dolere? quo planctu moveri, cum tuae praevidet animae lapsum, vel iam lapsam videt ruere, dissipari, nec restaurari? Civitas enim Altissimi est illa: cuius incolae, sensus; aedificia, membra; decora, virtutes; muri, corpus; portae, oculi auresque; cor, sedes regia, arx munita, propugnaculum.

O ergo adiuva, anima mea, te deflentem Iesum tuum! sic enim spera fore, ut ruinam evites, vel iam factam illius adiumento resarcias. Corrige tuos incolas, sensus, eos mortificando, ne amplius a divino recedant amore atque idolis, puta peccatis, propriae voluntati, proprio amori, sacrificent.

2. “Flevit super illam” (ibid.)

Expende, quantam Iesus accepisset inde consolationem, si eum quispiam amicorum in deplorandis Ierosolymae ruinis adiuvisset. Ita summopere ei gratum esse existima atque iucundissimum, cum non tantum nostras imperfectiones quotidianis lachrymis expiamus, sed etiam ruinas aliarum animarum mortali in peccato existentium deploramus ac pro illis divinae Maiestati supplicationes offerendo cum voluntariis poenitentiae actibus, eas restauramus, ad pristinae statum gratiae revocari et [f.72v] reduci hac ratione conantes.

¹¹⁸ Cf. Mt 8, 20; Lc 9, 58.

Quocirca, quidquid tibi lachrymarum Dominus in hac sancta Communione largiturus est, memineris eas cum miseris peccatoribus communicare, praesertim illis, qui proximo in perditionis aeternae lapsu constituti sunt.

3. “Si cognovisses” (Lc 19[, 42]).

Considera ingentem esse humani intellectus ac primo tui caliginem: qui non tantum admissas inde ab initio capacis rationis culpas ignoras et non agnoscis, sed etiam illas, quas hodie, hoc momento patrastis, non cernis. Imo tolerabilius esset, si quod ignoras, non defleres; sed tu illa quae palpas crimina et te ipso clarius vides, quasi dissimulans agnoscere non vis ac propter tumorem mentis, pudorem animi duritiamque cordis non incipis deplorare.

Utinam vel hac vice, qua Lumen increatum accedis, animae tuae, intellectus tui, nebulas videas, prodas, non amplius occultes, ne Sol aeternus superveniens in tenebris reperiat te! Quidquid habes noxarum confitere neque te innocentem Ioannem finge, sed poenitentem potius Zachaeum statue cum Christo convivaturus.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Flevit super illam” (Lc 19[, 41]).

O inauditam Dei bonitatem! o immensum erga ingratos etiam ac hostes amorem! Scit ab his hominibus, quorum sortem luget gravissimam, occidendum; scit in ea urbe, cuius eversionem deplorat, crudeli carnificio in crucem elevandum; tamen futurarum immemor iniuriarum, acutissimo doloris spiculo sauciatus, condolet utriusque: et hominum et urbis infelicitati.

Mihi relinquis istud exempli, Salvator mitissime, ut nunquam meis inimicis non ignoscam; hodie maxime, cum me ad fruendum tua liberalitate per tui sanctissimi corporis sumptionem admisisti. At si tibi, o anima mea! omnes amicissimi, inimicorum Domini tui memor esto omnesque ab amore eius [f.73r] sequestratos, tuis lachrymis et submissis precibus commenda Sponso Iesu.

2. “Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis” (Lc 19[, 42]).

Magnae poenae et infelicitatis est, rerum nostrarum et bonorum amissionem ignorare; multo maioris, animae ignorare perditionem.

Sed eheu! etiam hanc si optime cognoscis, anima mea, minime tamen evitas, minime deprecaris; quin dissimulata morte aeterna, quae quemvis lethalem tuum lapsum moratur, nunquam te periculo subducis graviorum scelerum. Si enim ab origine tua teipsam consideres, semper in peccato fuisse et in statu damnationis infelici mansisse te animadvertes. Ab utero cum culpa prodiisti et accepto rationis usu patratas a te noxas quis comprehendat? Multiplicatae sunt super arenam maris, stellas caeli, folia arborum, camporum gramina, quorum non est numerus.

Tamen vide, qua te scelestissimam hodie Sponsus tuus complexus est charitate! quo tibi amore haec omnia ignovit, condonavit! Ecce te sanam fecit, iam mortem aeternam effugisti: noli igitur amplius peccare.

3. “Abscondita sunt” [ibid.].

Deprecare divinam bonitatem, ne tua scelera, tui defectus unquam a te abscondantur, sed potius quaevis minimae imperfectiones notissimae tibi sint. Sicut enim vestes nostras, macula in eis levivisa solemus illico purgare, sic conscientiam peccati alicuius labe aspersam videntes, pati non possumus, nec debemus, quin eam statim satagamus expiare. Magni divini favoris est ob oculos nobis nostra delicta proponere. Salubre fuit Davidi a Propheta admonito crimen suum agnovisse¹¹⁹; noxium Salomoni, quod nullus ei gravem luxum an luxuriam aperiret, nullus eum de idolorum cultu admoneret.

Gratiam ergo tibi, non iniuriam fieri puta, cum quis aperit oculos tuos, noxas tibi demonstrat, te corripit.

Nam quoad tecum id agetur, salvam te, anima mea, puta. [f.73v]

¹¹⁹ Cf. 2 Sam 12, 1-13.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur ceteros” (Lc18[, 9]).

“Bonum est confidere in Domino” [Ps 117, 8]. Diffidere sibi, sanctum est; scelestum est diffidere Deo; confidere sibi, periculosum est. Quis iustum se audeat reputare? Quoad spiritum trahimus in discrimine peccati sumus; imo cum iustis in Sacris Literis septenus diurnus lapsus adscribitur, stultum erit etiam iustum de se multum praesumere. Desinit esse iustus et fit impius, qui suam praedicat iustitiam. Ut contra, desinit esse peccator et fit iustus, qui suam confitetur iniquitatem.

Quare, tu, si in gratiae statu esse te sentis, gratias pro gratia ingentes Divino Spiritui teneris referre; nihil autem de aliis in contemptum mali suspicari. Non est in gratia, qui alterum sine gratia facile credit esse. Non enim potest homo alteri collatos favores agnoscere, qui sibi collatos non agnoscit. Bene ille fuerit illuminatus, qui dixit: “Nescio, an gratia, an odio dignus sum”¹²⁰, et erat Apostolus et vas electionis et in tertium caelum raptus¹²¹.

Accedens igitur sacram cum aliis mensam, omnes iustificatos et iustos existima; te imperfectionibus, ne dicam sceleribus, plenum. Fuge pharisaicum illud: “Non sum sicut [...] iste^a publicanus” [Lc 18, 11]: sed potius, tanquam is, qui divina abominatione et omnium creaturarum dignus odio sis, cum publicano clama: “Deus propitius esto mihi peccatori” [ibid., 13].

2. “Gratias ago tibi” (Lc 18[, 11]).

O quam occultum est malum, superbia! quam sese leniter, astute, sub pallio virtutis in animos hominum insinuat! Rebatur hodiernus Pharisaeus

^a “hic” (BSV)

¹²⁰ PAPCZYŃSKI Stanislaus a I.M., “Fundatio Domus Recollectionis”, §23 : *Fontes Historiae Marianorum 8: SH, 95, ubi tamen loco “dignus sum” legitur: “sum dignus”*. Cf. *Eccle 9, 1: “nescit homo utrum amore, an odio dignus sit”*.

¹²¹ *Agitur de S. Paulo Apostolo (cf. Act 9, 15; 2 Cor 12, 2). Attamen non inveniuntur in S. Scriptura verba allegata ei hic attributa. Cf. 2 Cor 12, 7-9.*

a se dignas Deo grates persolvi pro beneficio iustificationis; quod gratitudinis virtutis maximae putabat esse officium: sed hic latuit ingens vitium fastus. En quam non semper actio gratiarum bona est, non semper [f.74r] virtus: aliquando iactationis, adulationis quandoque speciem refert.

Quam caute tibi itaque in via perfectionis incedendum sit, expende: siquidem metuendum est, ne ipsa bona tua opera damnationis afferant sententiam; neve haec ipsa Communio sacra tuae saluti obsit. Obsecundabis ergo divo Gregorio monenti: “Sancti Evangelii lectione compellor dicere, ut et bona quae agitis cum magna cautela teneatis^a, ne per hoc quod a vobis rectum geritur favor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, et quod foris ostenditur intus a mercede vacuetur”¹²².

3. “Non sum sicut ceteri” [ibid.].

Considera oculis his aliquot interitum sibi Pharisaeum illum comparasse. Tamen ex his vitam tu poteris haurire, si Pharisaeica voce, sed non spiritu ac sensu dixeris: “Non sum sicut ceteri”, cogitando scilicet: alios devotos, aridum te; alios humiles, elatum te; alios promptos, segnem te; alios patientes, mansuetos, obedientes: impatientem, immansuetum, inobedientem te; ab aliis uvas in vinea Domini produci, a te labruscas; alios viam perfectionis hilariter conficere, te primo incepisse et iam defecisse; alios laboris appetentes, otii te; puros alios, te immundum; virtutibus ornatos alios, te scatere imperfectionibus; aeterna gloria dignos alios pro bonis operibus, te aeterna dignum confusione pro malis; alios denique in ipsa hac sacra mensa consolationibus afficiendos iure merito, tibi merito timendum esse, ne terra sub te aperta devoret te, qui plenus malitia tam audacter immaculato Agno impurissimum os tuum excipiendo praesumis aperire.

Hoc modo cogita te esse non sicut ceteri et rursus ultra inferos te demittens cum gemitu clama: “Deus propitius esto mihi” [Lc 18,13].

^a “*timeatis*” (PL)

¹²² GREGORIUS MAGNUS, *Homiliae XL in Evangelia, hom. XII in Mt 25: PL 76, 1118, n. 1476.*

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “A longe stans” (Lc 18[, 13]).

O veram sui cognitionem! non audet miser publicanus altari propius accedere, quia stimulo conscientiae retrahitur, quidve egisset, agnoscit. Quid putas tum confusus homo dicebat intra se? quid volvebat? [f.74v] certe istud: Stabo hic prae foribus, non progrediar ultra, quia homo peccator sum.

At tu, qua hodie mente non solum ad altare progressus es, sed etiam labra tot inutilibus infecta colloquiis, ipsi divino corpori sumendo admovisti. Publicanus ille verebatur in sacro consistere loco, ne faceret iniuriam Deo, si domum orationis ingrederetur peccator; tu, quoties audes vanitatibus ibi vacare, aut saltem vanis cogitationibus delectari, ubi timuit ipse consistere? Saltem, ip[s]i “[] quod ibi deliquisti per imprudentiam, hic emenda per dolorem.

2. “Nolebat ^a oculos ad caelum elevare^b” (ibid.)

O felix timor, qui meruit culparum remissionem, indulgentiam, iustificationem! Cogita, anima mea, primum esse ad recuperandam Dei gratiam, ad assequendos eius favores gradum, tam sanctum hunc metum, tam vilem sui aestimationem. Quod considerans psaltes, non immerito Deum rogabat: “Concute^c timore tuo carnes meas” [Ps 118, 120].

Itaque vanam laetitiam laetamque fiduciam, quae tibi ex operibus quibusdam bonis nascitur, comprime ac potius defectus proprios expendens cum tremore, time iudicia Dei, quae sunt abyssus multa.

3. “Percutiebat pectus suum” (ibid.)

Divinam misericordiam contemplare; cuius hodiernum publicanum vides fieri participem adeo, ut ipsius Dei Filii testimonio, “^d iustificatus in domum suam abiverit^e” [Lc 18, 14].

^a add. “nec” (BSV) ^b “levare” (BSV) ^c “confige” (BSV)

^d add. “descendit hic” (BSV) ^e om. “abiverit” (BSV)

Magna igitur cum fiducia tuas imperfectiones in immensa huius divinae misericordiae abyssu disces immergere: neque ullum unquam licet ipso Iuda sceleratiorem hominem instar Pharisaei contemnere, quodve gravius est, condemnare praesumes.

Imo, omnibus aperta Dei esse viscera proclamabis et nulli peccatorum, quoad poenitere potest, ad salutem viam esse praeclusam testaberis; multo minus censebis, durius esse tractandos delinquentes, tuae semper habens respectum fragilitatis et divinae erga te bonitatis. [f.75r]

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Adducunt ei surdum, et mutum” (Mc 7[, 32]).

Considera duo magna esse mala et infelicitatis maximae plena, si quis surdus et simul sit mutus. Per hunc vero oris et aurium defectum homines inobedientes et indevotos mystice denotari. De quibus Rex psaltes: “Aures habent, et non audiunt^a”; “os habent, et non loquuntur^b” [Ps 115B, 6. 5].

Quantum malum est haec in religioso homine surditas, inobedientiam dico! quantum malum est haec oris damnosa clausura, orationis inquam nullum exercitium. Cum enim duobus his omnis Religio floret ac perennat, virtute obedientiae et studio orationis, quis illum non periisse conclamet religiosum, qui nec obediat, nec oret?

Vide, utrum simili modo non sis mutus et surdus; et quantocius ad Christum Dominum propera, ut et aures et linguam tuam resolvat, hoc est, virtutem obedientiae gratiamque devotionis tibi donet.

2. “Apprehendens eum de turba seorsum” (Mc 7[, 33]).

En tibi doctrinam, aurium defectuique oris medendi, obedientiae virtutem et devotionis gratiam acquirendi: nimirum, **Fugam turbae** et

^a “audient” (BSV) ^b “loquuntur” (BSV)

solitudinis amorem. Ideo enim rebellis es et tepidus, quod in turba spiritum omnem dissipasti: quem aliter congregare non possis, nisi te seorsum contineas, nisi extra turbam recolligas.

Hic ergo stans in abscondito recollectioni animi tui serius incumbere cogitaque sedulo quomodo obedientiae defectum suppleas et primo corrigas; quomodo spiritus fervorem restaures et contineas, ut amplius non sis surdus et mutus.

3. “Deprecabantur eum” (Mc 7[, 32]).

Perpende, quod quemadmodum sanitas corporis seriis precibus a [f.75v] Domino expetenda est; hinc istius surdastris mutique hominis adductores Dominum, ut ipsi auditum et loquelam restitueret, deprecabantur. Ita mentis sanitatem, quae in virtutibus infusis posita est, non nisi multis orationibus a Deo obtineri.

Deprecaberis igitur eum, ut, qua bonitate hunc evangelicum surdum fecit audire mutumque loqui, hac tibi sanam mentem tribuat, illam omnigenarum virtutum pulcherrimo vestiens ornamento.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Suspiciens in caelum ingemuit” (Mc 7[, 34]).

Gemit Christus, etsi non habeat opus gemitibus. Credo tamen illum caelos suspicientem ingemuisse, quod raros videret futuros, qui iam reseratas per illum caelestis regiae portas ingredi contenderent plurisque terrae bona labilia, quam aeternas caeli opes forent aestimaturi. Idcirco ingemuit, quod infinito pretio ab illo nobis emptam Patriam, sive redemptam, infiniti mortales adeo flocci facturi essent, ut pro vilissima et foetidissima peccati alicuius voluptate illam inferno commutarent.

Disce, tu, caelum saepius suspicere et ingemiscere, quod tam diu ab eo exsules implorareque per assidua suspiria divinam opem, ne illud penitus aliquando propter ultimum scelus amittas.

2. “Praecepit illis, ne cui dicerent” (Mc 7[, 36]).

Expende, qualiter attendat Dei Filius, ut se non revelet, ut opera sua lateant. Quod facit, non metuens elationem, sed exemplum tibi praebens, ut non efferaris bonis, ut lateas, ut occultare te propter mille pericula discas.

Quod quanto studio tibi agendum est, siquidem Deus, qui per opera sua debuit inclaruisse, ut in eum omnes crederent, tanquam mirabilium patratores, vult abscondi suum praesens miraculum praecepitque illis, qui mutum surdumque eundem [f.76r] adduxerant, “ne cui dicerent”.

Tibi quoque, si iam apertae sunt in sanctissima Communionem aures et solutum linguae vinculum, praeceptum esse scias, ut nemini dicas; non quod dona Dei non sint revelanda^a, sed quod illorum iactantia sit periculosa.

3. “Bene omnia fecit” (Mc 7[, 37]).

Considera laudandos esse homines, qui debitam Christi operibus laudem non denegarunt, sed admirati dicebant: “Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui” [ibid.].

Maius aliquid tu praestabis: si in varias tribulationes, cruces, calamitates, persecutiones tentationesve Dei nutu coniectus, laetissimus occinas: “Bene omnia fecit”. Si iniuriis a quopiam petitus, contemptui risuique expositus, innocenter accusatus, inique punitus, idem hilari fronte cantilles: “Bene omnia fecit”. Si domi odio habitus, foris invidia laceratus, hinc morbis tortus, inde linguis improborum concisus, forti pectore dicas: “Bene omnia fecit”.

Hoc si feris^b, evidentissimum signum, tibi hodierna Communionem a Iesu aures esse apertas solutamque linguam, habebis.

^a in ms. erronee: “revelenda”

^b in ms. erronee, uti videtur: “feris”; attamen huius verbi posset dari etiam haec hypothetica correctio: “feceris”.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Beati oculi, qui vident” (Lc 10[, 23]).

O infelicem te! anima mea: caeca es, capta lumine; erras, erras vehementer, quia non vides, qua tibi via ad aeternitatem sit eundum felicissimam. Quot annorum spatio per plateas vicosque mundi quaerens Iesum currebas; at intus ille fuit¹²³, quem misera non vidisti. Quin domum eius, Religionem, ingressa praesentem hic nondum conspicis, nondum habes ob oculos. Testes sunt tot imperfectiones tuae, tot imo scelera; quae profecto non patrantur a te, si praesentia Numinis haberetur. En hodie ipsissimum accedis et corpus eius, iam non videre dicam palpareque, sed manducare tibi licebit. Beati erunt [f.76v] oculi tui, si, antequam te illi et ille se tibi praesentabit, viderint, quot vitiis scates, quot es immunditiis defoedata! Age, lachrymis ocius emunda te, ne bilem moveas Sponso, si in tam foedo cubiculo eum collocaveris.

2. “Quae vos videtis” (ibid.)

Quid usurpabant oculis discipuli Christi? tuum Salvatorem, anima mea. Quod si in huius solius visione felicissima consistit optatissimaque beatitudo, quanto conatu, quo desiderio tibi exoptanda et quaerenda est, expende. Verumtamen, cum scias: “Nihil coinquinatum” intrare posse “in regnum caelorum”¹²⁴ atque increatum illum Solem in perpetuas lucentem aeternitates intueri, prius est expianda tibi non levibus profecto exercitiis poenitentiae contracta ex innumeris vitiis turpitudine cavendaeque omnium culparum sordes, quibus inficeris omni momento. Quod igitur ad hanc beatissimam visionem tibi est impedimento, perfringe, reseca, amove. In tua potestate divina fruitio (non hoc absolute intelligas) est. Nemini se Deus negat; qui velit hunc intueri, dispositus ut fas est, accedat.

¹²³ Cf. *supra*, p. 26, no. 25; etiam: AUGUSTINUS, “Confessiones”, Ratisbonae 1926, 485 (l. X, c. 27): “Et ecce intus eras et ego foris et ibi te quaerebam”.

¹²⁴ Cf. *Apoc* 21, 27.

3. “Non viderunt” (Lc 10[, 24]).

Si discipuli Christi, vel ipsius Magistri testimonio, feliciores Patriarchis, Prophetis et reliquis antiquae legis Patribus dicuntur, ideo quod eum docentem audierint, miracula patrantem viderint vocantique adhaeserint.

Quanta felicitate hodie tu afflues, quando eundem, licet sub velo panis latentem, videbis et, quae maior felicitas erit, illo fruire, cum se in os tuum, cibus suavissimus, demittet, cum dulcedine mira cor exhilarabit. Admirare illius clementiam (aliud enim vix facere possis), quia, quod sanctissimis illis veteribus viris denegavit aut non fecit, hoc ultro tibi offeret, cum se non videndum solum, sed etiam manducandum praebebit. [f.77r]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quidam legis peritus surrexit tentans illum” (Lc 10[, 25]).

Expende, quam multoties multarum rerum scientia obsit veritati ac proinde et saluti. Inde tot increduli Pharisaeorum, tot pertinaces haereticorum propter nimium scire praecipites in Acheronta deciderunt. Nec pauci fuerunt illorum, qui huius Sanctissimi Sacramenti sublimitatem, mysterium essentiamque oppugnantes, eo contumaciam ob suam puniendi amandati sunt.

Tu gratias persolve magnas Deo, quod tibi tantam fidem infuderit, quanta circa hoc profundissimum mysterium requiritur: cuius etiamnum actum elicias.

^{a2}. “Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?” (ibid.)

Considera, magis curiosam, quam necessariam quaestionem ab isto evangelico adolescente motam fuisse. Si enim serio de via salutis interrogasset, venditis omnibus, secutus fuisset Christum Dominum, prout ipsi responsum fuit.

Sic, tu, videris tibi: studio perfectius vivendi correptus ad sacram mensam accessisse; sed cum in eadem navi, ut ante, naviges, cum iisdem

imperfectionibus scateas, cum nihil emendationis appareat in te, profecto ex talibus consequentibus non bonis colligitur antecedens non bonum fuisse; nempe te, potius ut consuetudinem adimpleres, quam ut perfectionem curares maiorem, ad sanctissimam Eucharistiam adivisse; quod sane perfectionis amantium non est^a.

3. “Dilige^b” [Lc 10, 27].

Perpende, amore divino tolli amorem mundi aut suffocari. Sicut enim mors divellit animam a corpore; sic amor Dei, mundi et cuiusvis rei vanae amorem divellit a corde. Hinc illud huic loco aptissimum Salomonis sapientissimi: “Fortis est ut mors dilectio” [Cant 8, 6].

Quamobrem, si adhuc aliquae scintillae, sive proprii, sive mundi amoris in te reperiuntur, amorem Dei, quamvis modo [f.77v] primum a te sumpti, perfectum scias tibi deesse. Quem tamen tanto maiori contentione procurare debes, quanto certius aeternae Veritatis dictum sit: in amore Dei ac proximi vitam aeternam consistere confirmantis.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe” (Lc 17[, 12]).

Considera non ausos fuisse viros illos leprosos propius accessisse Servatorem suae conscios turpitudinis, sed a longe stetisse.

Tu qua fronte tuum os illi applicaturus es, siquidem tanta peccatorum lepra animam habes vitiatam? Lepra est, superbia; lepra, immortificatio;

^{a-a} *Totum hoc punctum 2 in ms. cancellatum est, indubitanter quia per errorem non consideratur ibi quaestio Legisperiti, sed illa similis Adolescentis (cf. Mt 19, 16-22).*

^b “Diliges” (BSV)

lepra, sensuum evagatio; lepra, fraternum odium; lepra, livor et furor; at praecipue lepra est omnis cupiditas, ob quam Giezi ille divini vatis servus lepra percussus est¹²⁵.

At quoniam legitur, osculo Papae Deusdedit leprosum fuisse mundatum¹²⁶, rogabis caelestem in sacro convivio Sponsum, ut te “osculetur^a os[c]iulo oris sui” [Cant 1, 1] et hoc pacto lepram tuam spiritualem tollat.

2. “Et levaverunt vocem suam^b dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri” [Lc 17, 13].

Multa^c hic tibi sunt consideranda ac discenda: Primum, cur Praeceptorem invocant, et non potius medicum, hi leprosi? apparet illos etiam interno morbo animae laborasse, absque cuius curatione corporalem aegritudinem tolli diffidebant. Et cum plerumque spiritualis infirmitas corporali punitur infirmitate, merito, non sublata causa, posse tolli effectum non sperabant. Itaque praeceptorem compellarunt, ut prius illis modum purgandi animas [f.78r] demonstraret, deinde purgatis illis, corpora quoque purgaret a lepra. Hinc ab eo iubentur, ut se sacerdotibus ostendant.

Tuae quoque animae lepram non posse purgari crede, nisi sacerdotem monitu Christi adieris, causa poenitentiae.

3. “Ite, ostendite vos sacerdotibus” (Lc 17[, 14]).

O dignitatem sacerdotum! supra reges, supra angelos, supra omnem creaturarum honorem elatam! Deo parem! quam tanti Deus homo facit, ut quasi minuens suam potentiam et tam late extendi non posse declarans, ut si quis non ostendens se sacerdoti velit ab illo mundari, non possit.

^a add. “me” (BSV) ^b om. “suam” (BSV) ^c in ms. erronee: “Multi”

¹²⁵ Cf. 2 Reg 5, 20-27.

¹²⁶ *Martyrologium Romanum, Vaticani 1930, p. 274 (8 Novembris): “Romae sancti Deusdedit Papae Primi, qui tanti meriti fuit, ut leprosum osculo a lepra sanaverit”. Cf. DANIELE Ireneo, “Adeodato I (Deusdedit), Papa, santo” : BS I, 251: “. Vi fu inserito dal Baronio, il quale aggiunse che con un bacio guarì un lebbroso; ma non si sa dove il Baronio abbia attinto questa notizia”.*

Quanta reverentia tibi sunt igitur colendi sacerdotes, quibus tantum honoris Deus ipse contulit, ut quae illorum officium concernerent, facere noluerit.

Sed o mi Iesu! quoniam tu quoque Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech esse diceris, ipsum te hodie adeo, per te a lepra spirituali mundari cupio. Utere ergo tua potentia, officio, misericordia, bonitate.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Unus autem ex illis” (Lc 17[, 15]).

Considera decem leprosos fuisse a Christo sanatos et solummodo unum ad gratias agendas comparuisse. Sic quoque caelestis idem medicus hodierna multarum animarum toto orbe lepram purgavit luce: at sane plurimas earum esse, quae pro tanto beneficio nullas grates rependerunt; plurimas, a quibus ieiunae, steriles ac exiguae sunt relatae; plurimas, quae illico post mensam Domini ad pocula sese cisternasque turbidas Aegypti receperunt, hoc est, mundanas delicias carnalesque illecebras.

Tu igitur unum illum Samaritanum imitare et reversus ad cor Medico tuo ibidem collocato immortales gratias pro curatione spiritus persolve. Praestat enim unum infidelem sequi in gratiis referendis, quam multos fideles in reticendis. **[f.78v]**

2. “Nonne decem mundati sunt?” (Lc 17[, 17]).

Expende diligentius, ingratitude esse causam, ob quam tibi maiores favores et frequentiores gratias divina bonitas subtrahat aut non concedat. Qui namque unius ingratus est, plurimis beneficiis indignum se reddit. Adeo hoc vitium ingratitude etiam gentiles odere, ut eo nullum peius esse censerent.

Proinde considera, quid acturus hodie sis gratiarum Domino pro sanctae Communionis beneficio; vide ne canibus deterior sis, qui frustum aut micam proiecti panis saltem caudae gracili motu recompensant.

3. “Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo” [Lc 17, 18].

Cogita, pro singulis quidem gratiis Deum esse laudibus extollendum, sed tamen pro spirituali refectione singularis a nobis gloria illi reddenda exigitur. In hoc enim convivio et creationis beneficium commemoratur et redemptionis in memoriam redu[c]itur et vocationis revocatur in mentem.

Nam si divina visione fruere in caelis, contemplareri^a ibi gratias omnes tibi collatas et simul omnes singulari modo studeres compensare. Cur non idem facias cum eundem corde tenes?

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Nemo potest duobus dominis servire” (Mt 6[, 24]).

Considera dominos esse duos, Deum et mundum: spiritualia et carnalia desideria; amorem proprium et amorem Dei.

Te nunc meliori Domino per ingressum Religionis adhaesisse; bellum itaque alteri a te esse denuntiandum, inferendum. Nec dubites caelestes tibi suppetias ad id feliciter continuandum adfore, modo certare ut debes velis. Prosperatur a Deo illorum dimicatio, quorum vocatio ad pugnam ex Deo fuit. Aggredere itaque, quidquid mundani, quidquid pravorum [f.79r] desideriorum, quidquid amoris proprii in te continetur vel iterum iam alteri Domino consecratam mentem invadit, aut extirpare, aut fortiter retundere.

Desideria vero illa tibi amplectenda esse persuadent, quae te ad contemptum tui, propagationem gloriae Dei, zelum religionis trahendo cum tua vocatione conveniunt. Porro amor tui sic tibi sit extinguendus, ne unica quidem ipsius scintilla supersit. Evenit saepius, ut extinctum post incendium occultati alicubi ignes rursus grassentur; ita proprii amoris negligenter aliqua relicta scintilla priore maius incendium solet excitare. Quare pete, ut uberrimis lachrymarum fluentis totaliter hos ignes Dominus tuus in sanctissima Communionem obruat et extinguat.

^a in ms. erronee: “contemplareri”

2. “Aut enim unum odio habebit” (ibid.).

Considera, quod, cum servires mundo v[?]a, odio maximo Deum prosequeris. Tu quidem id non advertebas, sed illa ipsa occulta mundi dilectio, nihil aliud erat, quam apertum erga divinam Maiestatem odium. Non poteris enim utrumque amasse: et mundum et Deum; cum non patitur duos soles Olympus¹²⁷, cor amatores; amans itaque mundum, cui servivisti, Deum oderas, quod non sensisti. Nunc Dei spontaneum factus mancipium, totum cor illi debes transcribere: et iam vice versa mundum, priorem dominum aeterno odio prosequi. Vide itaque, actibus Dei amorem probes.

3. “Ne solliciti sitis” (Mt 6[, 25]).

Adverte, quali quamque pio ac munifico Domino adhaesisti. Mundo hactenus famulatus quid retulisti mercedis? Hic autem monet, ne de ulla re sollicitus sis, sed in illo ipso tam temporalium, quam aeternorum bonorum spem conicias.

Et quantum ad corporis attinet necessitates, exemplum tibi proponit volatilia caeli; quae neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea et Pater caelestis alit illa: apud quem multis passeribus tu melior es¹²⁸.

Quantum vero necessitates animae concernit, illius est bonitatis has tibi providere, qui monuit suos [f.79v] omnes servitores: “Ne solliciti sitis animae vestrae” [ibid.]. Cur ita? Nam idem, qui magnam corporum habet curam, maiorem gerit curam animarum. En et hodie non gratis ad mensam te suam admittit; multa profecto bona, si bene dispositus acceperis, tibi collaturus.

^a lectio minus probabilis: “re”, semper tamen inexplicabilis

¹²⁷ Olympus, i - “Translate a Poetis pro caelo ponitur... Caelum dicunt Graeci Olympus. Virg.”, in: FLL, s.v. “Olympus”.

¹²⁸ Cf. Mt 6, 26; Mt 10, 31; Lc 12, 7.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quid manducabimus?” (Mt 6[, 31]).

Cessa, iam cessa, anima mea et noli conqueri amplius de pabulo tuo; sed cogita potius illius de solutione. Tam saturata es, iam pota; iam non esuris, non siti premeris; abundantissime, lautissime tractata es, refecta es. Sed gratias referre loco mercedis teneris, Pocillatori tuo, Dapifero tuo, huic inquam Domino, qui te suo convivio excepit, carne pavit, potavit sanguine.

Exemplo tibi sint caelestes aviculae, quae accepta humi esca in aera subvolant, dulce melos promunt, quasi suo nutritori Deo gratias reddentes; sint iumenta, quae suis dominis labore compensant victum et magno fructu; sint horti, qui sua ubertate diligentem culturam et irrigationem refundunt possessoribus.

Avis es et quidem pullus Aquilae provocantis te ad volandum; ergo in aera mente sublata occine Deo grates, qui tibi pabulum curavit. Iumentum Christi es, ergo illi tuum victum milleno fructu compensa. Hortus conclusus es, ergo magna bonorum operum ubertate culturam et irrigationem tuo Hortulano, caelesti Sponso, repende.

2. “Quid bibemus?” (ibid.)

Considera, quomodo provisor optimus Deus nullis suorum necessitatibus unquam deest. Ne multa huius rei documenta afferam, scis, Hebraeos ab illo caelesti manna in eremo nutritos esse, non ad saturitatem solum, sed etiam ad delectationem¹²⁹. Scis iis aquam ex petra propinatam¹³⁰, nunquam defuisse vestitum¹³¹, nunquam auxilia quavis in re; ac demum ad lacte melleque fluentem regionem introductos, eam possedissee.

Tu quoque particeps istius es hac luce providentiae factus, cuius animam deficientem prae ariditate suo sanguine, potu nempe [**f.80r**] suavissimo, Dominus providentissimus refocillavit; non tantum ob necessitatem, sed etiam propter delicias, consolationem. Hoc tamen idcirco putes ab eo factum, ne quaereres alia vana solatia temporeque adversitatis ab illo non recedas.

¹²⁹ Cf. *Deut* 8, 3. 16; *Ps* 77, 24; *Io* 6, 31. 49.

¹³⁰ Cf. *Ex* 17, 6; *Ps* 104, 41.

¹³¹ Cf. *Deut* 8, 4.

3. “Quo operiemur?” (ibid.)

Perpende superfluum esse in Dei servis de cibo, potu, indumentis aliisque similibus, cogitationem. Qui namque fieri possit, ut ille non curet servum operiri veste, qui terram gramine vestit? aves plumis? arbores foliis corticibusque? Absit, tu contra Moysen novi testamenti propterea murmures. Cogita potius, ut in gratia illius semper existas, ut illius voluntatem adimpleas; cetera tibi adicientur. Non est nudus, non sitit, non esurit, quem gratia vestit, refrigerat, nutrit. Igitur primo quaere gratiam.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN**Ante Sanctissimam Communionem**Punctum 1. “Ecce defunctus efferebatur” (Lc 7[, 12]).

Considera, quod homines nullam rem tantis lachrymis defleant et amit-
^a[tant] tanto cum dolore, quam^b vitam suis ereptam et amissam eorum societatem.

Tu laetaberis, cum animae tuae per peccatum illatam mortem vides? cum te ob id amicitia Dei excidisse, gratiam ipsius amisisse, sentis? Duo enim mala maxima lethale scelus afferre solet animae: et morte illam afficit, et a divina societate, familiaritate amicitiaque divellit. Sed ecce venis in conspectum Salvatoris; o illam beatam, quae poterit excitari!

2. “Efferebatur filius unicus matris suae” (ibid.)

Iam ibi nulla spes vitae fuerat, ubi cadaver ad tumulum portabatur et nisi Dominus obvius esset vitae, in die supremae resurrectionis ille filius unicus tantum suscitandus erat. Cui ergo adscribenda illius felicitas, quod tum ferebatur ad sepulchrum cum potuerit ipsi mortuorum excitator obviasse? non casui alicui, divinae providentiae.

^a in fine lineae verbum est ita ruptum, sine complemento in linea sequenti ^b in ms. post verbum: “dolore,” repetitur: “quam, quam” sine ulla - nobis cognita - ratione, probabiliter ergo ob lapsum calami.

Sic, anima mea, tecum fieri video. Laesa sceleribus obivisti et forsitan in hac morte, sive tot scelerum tumulo ad usque diem [f.80v] iudicii particularis eras mansura, nisi tibi Dei gratia obviasset excitans te ad sanctissimam Communionem, in qua non solum pristinam vitam receptura, sed etiam maiorem vigorem spiritualiter vivendi sis acceptura. Quod certe non casu factum est, at providentia Dei, qui hanc salutarem in tuo instituto frequenter communicandi ordinavit consuetudinem. Hinc quantas illi gratiarum debeas actiones, quod hic te collocarit!

3. “Et haec vidua erat: et turba civitatis multa cum illa” (ibid.)

Magnum charitatis opus esse perpende, mortuos ad sepulturam comitari; sed maius est, animas eorum ex sepulchro piacularium flammaram piis orationibus educere: cui par esse puta, spirituali morte confectos, id est, in peccato mortali existentes, devotis precibus adiuvere, ut excitentur.

Talis eras tu, sed mater vidua, sive caetus, in quo degis, haec sive sit Ecclesia Catholica, cum turba multa suorum fidelium aut sanctorum Patronorum, pro peccatoribus exorans Dominum, tibi vitam meliorem impetravit, cum ad eius, ut pie tibi persuasurus es, preces hodie te decrevit, obvians tibi in Sanctissimo Sacramento vitae Dominus, excitare. Vide tu, idem, cum tibi melius fuerit, aliis facias singularique diligentia precum mortificationumve, tam mortuorum animas, quam peccatores spiritualiter mortuos, coneris adiuvere.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Adolescens, tibi dico: surge” (Lc 7[, 14]).

Imaginare tibi adstitisse Christum hodie morte peccati perempto animaeque tuae dixisse: “Surge”. Quae, veluti solent homines resuscitati, stupore correpta fortassis erat, admirans repentinum sibi vigorem redire seque cum omnibus potentiis vivificatam esse. Verum, ut illi, qui te antea mortuum viderunt scandalis tuis ad eam opinionem provocati, iam nunc resuscitatum credant.

Id tuis operibus efficias: nihil, nisi ex virtute agens, mortificationes amans, silentium colens, **[f.81r]** obedientiam prompte exequens, orationibus plus temporis insumens, poenitentiam seriam exercens et cum summa violentia caeleste Regnum expugnans non nisi vi a quovis rapiendum.

2. “Resedit qui erat mortuus, et coepit loqui” (Lc 7[, 15]).

Tu pariter incipe loqui, sed cum Deo, sed tecum. Resideas, qui fuisti mortuus et ad ipsum te conversus dic: Ubi eram? qua mulctatus fui morte? quam procul a vita, a Deo, a me ipso per peccatum recessi! en ab ipsis inferis gratia Dei redux venio!

Deinde residens, hoc est animum recolligens, inquire causas, occasiones modumque tuae mortis, ut deinceps scias illam possisque evitare, scelera illa, quae tibi eam mortem fabricarant, fugiendo.

3. “Et dedit illum matri suae” [ibid.]

Expende, per hodiernum adolescentem mortuum, peccatorum quemque significari. Duplicem enim mortem in paradiso ipso acquisivimus: alteram corporis, quam nemo queat evitare; alteram animae, quam sua morte misericordissimus Servator noster sustulit. Sed tamen haec animae mors toties incurritur, quoties mortaliter peccatur; ad quam tollendam praeter Redemptionem sacramentum Eucharistiae salutare a Salvatore nostro constitutum est, coniunctum Poenitentiae. Hoc te suscitavit hodie Christus et Matri, id est, Ecclesiae vivum reddidit. Pete ab illo, qui tibi vitam restituit, ut te in ea conservet aeternum.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Et ipsi observabant eum” (Lc 14[, 1]).

Sicut Pharisei Salvatorem mundi pharisaico exceptum convivio observabant, ita te a multis cogita observari, cum divinas epulas hodie accedis. Observat te inimicus animae tuae Stygius latro et omnes bonae

[f.81v] dispositionis occasiones praeripit. Observat Achates¹³² fidelissimus Angelus Custos et te ad optimam pro nuptiis spiritualibus praeparationem excitat. Observat Deus, quibus gratiis indigeas maxime ad illi famulandum, has ut tibi sacra in mensa conferat: quemadmodum solet amicus amico, vel Maecenas¹³³ clienti facere; cui familiari in consessu, vel ad sui memoriam retinendam, vel ad ipsius inopiam sublevandam, dona confert.

Tu demum te diligentius observa, qualis hactenus fuisti? quomodo lingua, mente, corde, sensibus, voluntate ceterisque animae potentiis usus es? qualiter circa vota, opera misericordiae bonaque opera te gessisti: et omnem denique tuam vitam compendiose inspice ac animo recollectissimo, tanquam veste nuptiali ornatus, convivium Servatoris accede.

2. “Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum” (Lc 14[, 2]).

O anima mea! quam ingenti hydrope circumfusa es! peccatorum, imperfectionum! Propera, propera quantocius ad medicum Iesum, ne cor tibi ad ipsum se insinuet hydrops et ita suffoceris. En praecipua huius hydropis genera: libido, acidia, gula, indignatio id genusque lethifera monstra; quae nisi tempestivis remediis curabuntur, actum est, anima, tua de salute. Ne ergo ductorem expectans moras trahe, sed ipsa te proriapiens ad optimum clementissimumque medicum Iesum subito contende illiusque pedibus affusa cum lachrymis clama: “Domine, sana me, quia peccavi tibi”¹³⁴.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Sanavit eum, ac dimisit” (Lc 14[, 4]).

Considera, certissimum esse, per sacram Synaxim omnem morbum animae curari. Sicut enim corporalis medicina per omnes venas diffusa quaslibet

¹³² Achates - Aeneae comes; cf. “Aeneis”, Virgilii de Aenea opus.

¹³³ Maecenas, Clinius - patronus Horatii et Virgilii; hinc hodie etiam studiorum patroni, qui in sublevanda suorum clientum, i.e. doctorum hominum, egestate se munificos praebent, Maecenates appellantur. Ita sec. SLL et CLD.

¹³⁴ Cf. Ps 40, 5: “Domine [...]: sana animam meam, quia peccavi tibi”.

infirmittates fugat, quibus fugandis est apposita, sic medicamentum istud spirituale, sanctissimum nostri Servatoris corpus, postquam in cor suscipientium demissum est, universas inde concupiscentias, malas affectiones, murmurationes, qui sunt animae gravissimi morbi, expellit. Sed quid [f.82r] aegroto curatis viribus curandum est? ne in peiorem priore morbum incidat.

Non aliud, tu, facturus es: cavendo cum auxilio medici Iesu graviorem aegritudinem postquam gratia illius, corpore illius sanatus es.

2. “Amice, ascende superius” (Lc 14[, 10]).

O aeterna sapientia, Deus meus! meum fastum nosti perfectissime. Habeo adhuc aliquem primorum Parentum scientiae boni et mali appetitum; altiora, maiora, laudabiliora apud mortales peto: nondum famae, honoris, venerationis appetentia me reliquit; quae cum surgit in animo, mille cum ea surgunt hydrae. Vult enim suam matrem superbiam libido sequi, libidinem contumacia, contumaciam incorrigibilitas, hanc obstinatio, obstinationem interitus. Tantis et tot vitiis infectus sum! At e virtutibus, qua claresco?

Hinc est, quod cum superius ascendere volo, tu mihi iustissime hostis superbiorum resistis: atque in me ipso confundor, nec liberari possum ab hac, nisi per te, confusione.

Da mihi igitur unicam illam scalam, qua supra mundum ascenditur ad te, **humilitatem**. Huic ego cum innixus fuero, impossibile plane existimo, me omnibus orci, mundi, carnis, assultibus, tempestatibus, impugnationibus deiectum iri.

3. “Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur” (Lc 14[, 11]).

Ecce verissimum axioma e Christi philosophia! Nemo ascendit, nisi descendat. Si id Princeps Ecclesiae Petrus diceret, tenerer illi credere; si doctor gentium Paulus, metuerem damnationem, nisi huic quoque crederem. Multo magis credam necesse est, cum referat hoc Christus, ipsa caeli Sapientia, Praeceptor mundi, aeterna Veritas, infallibilis, immutabilis.

Ergo fateor, sapientissime Servator, **humilitatem** scalam esse caeli, ianuam vitae, portam paradisi, fundamentum virtutum; alam denique, qua e terris

in altum sublevamur. Et quo nos magis submittimus, eo magis hac attollimur. Sed utinam, quod agnosco bonum, fateor salutare, sequar, amplectar! [f.82v]

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum” (Mt 22[, 35]).

Quanta fuerit infelicitas illorum hominum expende, qui, cum vivam Veritatem Christum Dominum ante se haberent, ei simpliciter non credebant, non Eam candide admittebant ut decuit, sed tentabant Eam.

An non, tu, pariter hodie tentans accedis illum? adverte. Tentant enim etiamnum homines Christum: cum parva fide, mala intentione, negligenti praeparatione illum in altari existentem adeunt; cum exiguum aliquid propter incredulitatem ab eo postulant et a Rege regia dona sint expetenda; cum tanquam animantia sensualitate victi solummodo suavitatem in sanctissima Communionem quaerunt, non fructum potius emendationis, non dona virtutum; cum nullo in se excitato fervore, distracta mente, frigidi oscitantes et quandoque gravioris sibi noxae conscii, angelicum panem sumunt. Hoc est, hoc tentare Deum.

Sed ne, tu, sis legis doctor.

2. “Mandatum magnum in Lege” (Mt 22[, 36]).

Considera Dominum pensare facta nostra, desideria, voluntates, proposita, labores, iuxta intentionem et secundum eandem praemia dare.

Multi multa faciunt praeclara, laudabilia, heroica, sed mala intentione; multa desiderant, sed inutiliter; multum laborant, sed vano respectu.

De quibus illud usurpes: “Decepti sunt in adinventionibus”, desideriiis, laboribus “suis”¹³⁵. Exemplo rem disce: legisperitus hic hodiernus de

¹³⁵ Cf. Ps 80, 13: : “Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis”.

magnis rebus inquirat, seria scire desiderat, sed intentionem non bonam habet, tentans Christum.

Alloqueris igitur tu supplex cum psalte Rege Dominum, rectam tibi ut in omnibus subministret intentionem, dicens:

“Dirige in conspectu tuo viam meam” [Ps 5, 9]; “Legem pone mihi ^a viam iustificationum tuarum, et exquiram eam semper” [Ps 118, 33]. [f.83r]

3. “Diliges” [Mt 22, 37].

Considera, dilectionem certam esse vitae aeternae comparandae rationem. Nemo propior est divinae gloriae, quam amici Dei. At ne putes, tibi Deum tantum esse amandum intensive eosque solos charitatis fructu gaudere, qui cor habent in Deo continuo fixum. Dicit Dominus, dilectionem proximi esse proximam dilectioni Dei. Imo asserendum est, non posse alteram absque altera consistere.

Nam qui te dicas Dei amore fla[g]rare, qui proximum erga flagras odio indomito? quomodo vere Deo servire, qui proximo denegas obsequia minima? et quandoque ad illius salutem spectantia negligis aut negligenter facis?

Neque vero consistit amor proximi, ut ei servias; sed etiam in eo, ut illius defectus excuses, toleres, venia dignos censeas. “Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi” [Gal 6, 2], perfectus inquit proximi amator.

Quare utramque a Domino charitatem tibi maxime necessariam in altari existente expostula.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Diliges ^b Deum tuum” (Mt 22[, 37]).

Si potissima est nobis causa diligendi amicos, quod ab illis diligamur, tu, num Deum non amabis, qui ita adam[a]vit te, ut unicum Filium daret pro te? Cogita insuper, quid eras, antequam conderet te: unum nihilum, frustillum luti; ille vero tui ductus amore, similem te sibi fecit et non diligas eum?

^a add. “Domine” (BSV) ^b add. “Dominum” (BSV)

Si noscerent vasa suos plasmatores, si picturae, statuae, suos auctores noscerent cum iisque colloqui scirent. Certe propter suam solam pulchritudinem, quam ab eorum manibus accipiunt, incredibile est qualiter eos amarent et fidelius forsitan quam tu conditorem tuum, quem tamen agnoscis, intelligis, contemplaris.

2. Considera, si te quispiam in gravissima existentem captivitate redimeret, quibus officiis hoc beneficii studeres illi rependere? quo flagrares amore erga tuum talem benefactorem?

Dominus Iesus Christus ille est, qui redemptionis pretium pro te in captivitate mortis aeternae constituto [f.83v] exsolvit, non pecuniarum, sed proprii sanguinis thesauro. Tu vero quibus amoris ipsius flammis adureris? nonne totus frigidus a sacra mensa recedens illico te vanis recreationibus, multiloquiis, risibus, diceriis, inani laetitia, magnae dissolutioni exposuisti?

O te ingratum, inhumanum et nonnisi gehennae perpetuo incendio dignum!

3. Perpende, quod magnam illi gratiam referre tenereris, qui te in aliquam specum prolapsam ab hominibus remotam, praecipue in sylvis densissimis positam, extraheret. Hoc beneficii a Spiritu Sancto toties accepisti.

Nam praeter vocationem ad fidem Catholicam, per quam ex infernali abyssu destinata infidelibus es liberatus, quotidianis instinctibus suis a quantis te periculis liberat! Et quoties suapte natura in eandem abyssum stigiam relapsam extrahit misericorditer, peccatorum tibi cognitionem impertiendo, donum contritionis largiendo, ad sanctissimorum Sacramentorum frequentationem, ubi toties amissam salutem toties recuperas, te quodammodo compellendo.

His itaque Dei beneficiis convictus dilige Deum. Clama cum Davide: "Diligam te Domine fortitudo mea" [Ps 17, 2].

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ascendit^a Iesus^{b c} naviculam” (Mt 9[, 1]).

Considera, saepius ac saepius Servatorem mundi, vel ingressum mare fuisse, vel ad littus deambulasse, idque variam ob causam: aut enim ex navi populos docebat; aut omnipotentiam suam demonstrabat, aut praedam inde magnam asportabat. Hinc illa Senatus Apostollici lumina columninaque, Petrus et Andreas et filii Zebedaei, in mari capta.

Mare mundus est, anima mea; tu, navis, quam caelestis hodie nauclerus ingressurus est, vel ut domet tempestatem passionum, vel ut turbas, [f.84r] id est sensus tuos, doceat; cor, intellectum, voluntatem erudiat; vel ut praedam, te inquam ipsam, retibus amoris concludat.

Quidquid acturus tandem est, tu ipsum cum desiderio praestolare.

2. “Transfretavit” (ibid.)

O felicitatem illius animae, quae iam transfretavit, iam caelestem portum tenet, iam littus aeternae beatitudinis attingit. Tu iactaris adhuc, anima mea, in periculosissimo pelago mundi totque Scyllis¹³⁶, scopulis, syrtibus allideris. O quoties iam ad Aetnaeum^d montem, ad Siculos^e scopulos fueras, ad ianuam inferni fueras appulsa tempestatibus excitatis ab orco periissesque oborta gravi nocte peccatorum, in fluctibus tentationum, nisi tibi clarissima cynosura¹³⁷, divina misericordia, affulsisset teque

^a “ascendens” (BSV) ^b om. “Iesus” (BSV) ^c add. “in” (BSV)

^d in ms. evidenter erronee: “Aetheum” ^e in ms. “Siculum”, grammatice non concordans cum verbo “scopulos” (h.e. Scyllam et Charybdim)

¹³⁶ Scylla est scopulus Bruttiorum in Italia, in freto Siculo, in mare prominens, navigantibus periculosissimus. Ex adversa eius parte, h.e. in Sicilia, est Charybdis. Ex duobus his scopulis ortum est proverbium: “Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim”, et de iis dicitur, qui volentes periculum minus evitare, in maius incidunt. Cf. SLL, s.v. “Scylla”.

¹³⁷ Est sidus septentrionalis septem stellis constans, Poli Arctici index. Eam maxime servabant in navigando Tyrii et Sidonii. Cf. ibid., s.v. “Cynosura”.

errantem in viam veritatis, ad perfectionis nempe regulas, convertisset et sauciam fractamque restaurasset; imo iam totam dissipatam lapsibus frequentissimis et alissionibus in Charybdes voluptatum, in saxa concupiscentiarum, in effrenatae brevia licentiae, in quae ruptis timoris Dei velis, fracto malo charitatis, scissis rudentibus aliarum virtutum, quibus fides ac spes fortissima carbasa sustentabantur, eras^a impulsa.

Rogabis igitur opificem Iesum, ut quidquid retardat tuam ad felicioris aeternitatis portum navigationem, huic medium in Communionem sanctissima adhibeat.

3. “In civitatem suam” (ibid.)

Perpende, civitatem Christi Domini illam esse Ierusalem, quam divus Ioannes in Apocalypsi sua vidit “novam, descendentem de caelo [.....], paratam, sicut sponsam ornatam viro suo” [Apoc 21, 2]: ad hanc igitur iam Iesus transfretavit. Sed qua via? qua ratione? nimirum per tribulationes. “Oportuit” quippe “^bChristum pati^b, et sic^c ^din gloriam suam” [Lc 24, 26].

Tu, vis ex incolis unus illius esse civitatis? facile potes, si contempta Babylone, scilicet mundo, duram, strictam spinosamque viam, quae ducit ad vitam, ingrediaris; hoc est, seriam poenitentiam et abnegationem tui, amplectaris. Ita enim Salvator: “Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me” [Mt 16, 24]. [f.84v]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Confide fili, dimittuntur^e tibi peccata tua” (Mt 9[, 2]).

Considera, paralyticum illum simul interno morbo laborasse parvamque fiduciam sanitatis recuperandae habuisse, quod sceleris alicuius sibi fuisset conscius. At Dominus pientissimus, infirmitatis utriusque

^a in ms. erronee: “aras” ^{b-b} “pati Christum” (BSV) ^c “ita” (BSV)

^d add. “intrare” (BSV) ^e “remittuntur” (BSV)

medicus praestantissimus, ad bonam spem illum animans: “Confide”, inquit, “fili, dimittuntur tibi peccata tua”: ne metuas, ne titubes, ne dubites: utramque tibi sanitatem, corporis ac animae restituum.

O utinam, tu, merearis ab eodem pietatis haec verba plena audire, quem iam corde tuo complecteris!

2. “Dimittuntur tibi peccata tua” (ibid.)

Cur quaeso prius huic paralytico peccata Dominus remittit, quam sanitatem donat? docet procul dubio, potioem esse in curanda anima diligentiam adhibendam, quam in curando corpore: docet prius animi morbo remedia quaerenda, quam carnis ulceribus.

Tibi ergo maior erit cura tuendae sanitatis, quam salutis? plus consumes operae in corpore nutriendo ac sanando, quam in animae sanandis vulneribus? Age, prius incumbere, ut tibi dimittantur peccata tua, vel ipsam post Communionem iam commissa.

3. “Confide fili” (ibid.)

Perpende, uti praesumptionem, ita diffidentiam malum esse malorum pessimum. Neque nimis esse confidendum, neque nimis diffidendum de remissione peccatorum, sed inter spem et metum locandus animus et quaedam observanda discretio fiducia, ut utrumque vitium fugiatur; siquidem multos nimia diffidentia, multos fiducia nimia caelo spoliavit.

Quare, licetsi/s^a tibi Dominus hodie dicat: “Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua”, nihilominus in timore exulta, neque tuis in meritis, sed in ipsius potius misericordia confide eiusque animi esto, ut te semper memineris maximum peccatorem. [f.85r]

^a probabiliter rectius esset hic dicere: “etiamsi”

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN**Ante Sanctissimam Communionem**

Punctum 1. “Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias” (Mt 22[, 3]).

Considera angelorum erga homines beneficia et obsequia: qui, cum divini servi sint et invitatum mortales ad caelestes nuptias mittantur, adeo munus obeunt suum singulariter, ut nullam omittant occasionem insinuandi nobis illarum celebritatem, praestantiam diuturnitatemque nuptiarum, contra mundi inania esse gaudia, laetitias, delicias ostendentes.

Ipsi tibi quoties hoc obsequii tuus comes individuus angelus defert! quoties tibi caelestia bona commendat! quoties ad illa contemplanda et appetenda trahit animum, orbem suis cum bonis meras esse sordes demonstrans!

Propter[e]a morem illi geras necesse est, cum semper, tum hodie maxime te ad nuptias terrestres agni, caelestium illarum nuptiarum prodromos^a, invitantis.

2. “Et nolebant venire” (ibid.)

Considera, hos invitatos esse, homines illos, qui ad poenitentiam agendam, bona opera facienda, sacramenta frequentanda, virtutes exercendas ac denique ad emendationem vitae vocantur a Deo per angelicas inspirationes variosque modos alios et nolunt venire, irritam Dei legationem faciunt, servos eius contemnunt.

Per immortalem Deum! cave, tu, sis ex talium numero.

3. “Iterum misit alios servos” (Mt 22[, 4]).

O mortalium insaniam! qui ad nuptias mundi etiam non invitati intrudunt se sponte! ultroque voluptates fluxas inquirunt; e diverso caeli

^a in ms. erronee: “prodromas” (in vocabulariis hoc verbum solummodo in genere masculino invenitur: “prodromus, - i”)

nuptias adeo flocci pendunt, adeo perennes illas delicias contemnunt, ut bis, terve ac pluries ad eas invitati, venire non solum recusant, sed etiam invitatores instinctus occidunt.

Multoties enim divina bonitas ad amandum se multisque rationibus corda mortalium solet attrahere et quamvis primae vocationi repugnent, secundo tertioque vocat. Unde illa gemina vox ad Saulum prolata: “Saule, Saule” [Act 9, 4].

O beatos illos, qui non vocati veniunt ad Deum, contemnunt mundum! Quanquam [f.85v] si nemo potest ad eum venire, nisi

vocatus, imo, teste Christo Domino, tractus, dicamus potius beatos, qui uni vocationi, semel inspirationi animo suo immissae, protinus obediunt.

Igitur habe, tu, intentum oculum ad divinos nutus et sacrilegium puta, eos contemnere, praesertim in sacra mensa observatos.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Ecce prandium meum paravi” (ibid.)

Considera, te a sanctissima Communionem, tanquam a divino prandio recedere: ubi nutritus carne, potus sanguine Dei es. Quare, quemadmodum illi, qui ex convivio regis veniunt, non nisi de amplitudine convivii de praestantiaque ciborum, de multitudine ferculorum de saporeque eorundem disserunt et talibus sermonibus quasi ipso convivio oblectantur, ita tibi prandii caelestis Regis expendenda dignitas est, suavitas, excellentia; in eo mens versetur, in eo defigatur cogitatio, in eo lingua occupetur extollendo.

Ubi licet unum duntaxat ferculum tibi fuerit appositum, illud tamen erat eiusmodi, ut omnes quosvis exquisitissimos corporis cibos exsuperaret. Opta, ut tuae saluti conducatur; opta, ne pluris aestimes aliquid hoc ferculo.

2. “Rex autem cum audisset, iratus est” [Mt 22, 7].

Perpende, non posse Deum irasci: attamen offendi tam gravissime, cum illius voluntati, nutui, decretis non satisfacit ac (ut ita dicam humano modo) desiderii.

Cupit ille nos omnes ad maiorem perfectionem aspirare, dicens: “Aemulamini [.....] charismata meliora” [1 Cor 12, 31]. Sed quando videt in sordido imperfectionum pulvere haerentes neque submissos instinctos suos apprehendentes, neque toties excitatos a se ad perfectionem sublimiorem tendentes, adeo id aegre fert, ut irasci videatur. Quodsi nefas est homini causam praebere iracundiae, quod scelus erit Deum exacerbare[?]^a nutibus eius non parendo! [f.86r]

3. “Et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos” (ibid.)

O crudelitatem horum hominum, qui tam benigne se ad convivium invitantis Domini famulos occiderunt!

Tu, talis es anima mea, quando divinae resistis ordinationi, cum tot monita salubria, tot exhortationes, tot sana consilia, quibus ad aeternas nuptias aeternus ille te Rex invitat, surda praeteris aure, contemnis, conculcas.

O te infelicem deicidam! An exercitum non metuis illius, quem aspernaris? Utique mille poenae in manibus eius quibus affligat te; milia milium assistunt ei et milia milium ministrant ei et tu spernere eius invitationem ad bonam frugem, ad virtutum exercitia, ad heroica facinora, ad caelestem coronam non verearis? Ah! utrum tibi sit mens sana, cogita.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur” (Io 4[, 46]).

Ecce medicus tuus, anima mea, Iesus aperuit pharmacopolium[s]^b suum: curre ventis ocior ad illum: quemadmodum desiderat cervus ad fontes

^a in ms. initium huius verbi, nempe “ex” (ante “acerbare”) oblitum est

^b tale verbum in vocabulariis non invenitur; evidenter agitur de pharmacopolae taberna

aquarum currere saucius¹³⁸, ita festina ad fontem medicinae salutaris. Nam si medicus hic absentibus et longissimo spatio dissitis sanitatem restituit, multo citius tuam salutem curabit, si praesens illi te sistes.

I, ergo, aperi tua vulnera, patefac infirmitatem, sanaberis.

2. “Hic cum audisset” (Io 4[, 47]).

Expende, quantam curam filii decumbentis regulus iste gereret: siquidem nuntio de Iesu morbos omnes fugante accepto, confestim se ad eum contulit et rogabat eum, ut sanaret filium eius.

Tu contrario modo, quamvis tibi prima salutis animae cura sit habenda, aliis te intricas, hac potissima neglecta. O quam flocci spiritus aegritudinem pendis! Equidem si tuae salutis amator fores, quotidie, sicut delicati parentes moris habent, medicum tam proxime tibi manentem convenires remedii gratia contra quotidianas recidivas sumendi. Agnosce posthac melius, tuis cum infirmitatibus qui tibi procedendum sit. [f.86v]

3. “Incipiebat enim mori” (ibid.)

Considera, inutilem esse medicinam, quae sero datur morituris. Quod si pharmacum animae praestantissimum est, poenitentia, crede, illam esse minime proficuum, quae sero adhibetur. Ut enim corporalis medicina ideo non prodest agoni proximantibus, quod iam de vita spem omnem abicientes, tristitia pleni non bene ad eam sumendam se disponant, sic animae pharmacum, poenitentia, non iuvat iam declinantes ad occasum mortales; siquidem multitudinem ac gravitatem suorum scelerum contuentes plerumque desperare solent, aut imparati ad illud adhibendum extare conscientiae stimulis acutissimis adacti ad nullo medio fugandum maerorem.

Propterea consurge, consurge, Ierusalem, anima mea et induere fortitudine¹³⁹ et serio caelestem medicum adiens, ne differ poenitentiam, sed animi tui morbos aperiens, cum fiducia sanitatis recipiendae dic: “Domine, descende priusquam moriatur filius meus” [Io 4, 49].

¹³⁸ Cf. PAPCZYŃSKI Stanislaus, “Orator Crucifixus”, *Verbum V: “Sitio” : Fontes Historiae Marianorum 6, Varsaviae 1998, p. 55. Cf. Ps 41, 2.*

¹³⁹ Cf. *Is 51, 9; 52, 1*

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Vade, filius tuus vivit” (Io 4[, 50]).

O quanta laetitia tum parens ille gestiebat afflictissimus, cum hanc Domini vocem audiret: “Vade, filius tuus vivit”; quo gaudio famuli exundabant, cum prolem regiam viderunt convalescere!

Laetare tu, sanitatem animae in sanctissima Communionem tibi esse restitutam, quoniam et caelites hac de causa laetantur: quos, iam serio poenitentiae te tradere incipiens, tanto ampliori cumulabis laetitia, quanto “maius^a est^b gaudium in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonagintanovem iustis” [Lc 15, 7].

2. “Servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius eius viveret” (Io 4[, 51]).

Nihil aliud esse, istos servos, considerabis, quam sensus tuos. Illos enim occurrere domino suo, hoc est, rationi, toties quoties labefactata mortificatio in te resurgit, eamque vivere nuntiant, cum exercetur. Quodsi omni tempore necesse est, ut in omnibus mortifices te, multo magis hodie: cum caelestem hospitem in tuo corde tractas conclusum, in cuius praesentia vel levitatis aliquid committere scelus est, non modo indecorum.

Frenabis igitur oculos, linguam, [f.87r] manus, pedes ad malum veloces, gulam, appetitum qua irascibilem, qua concupiscibilem; ac in dies notabilem in mortificationis quovis genere, quae sola mortem impedit animae, profectum facturus es.

3. “Credidit ipse, et domus eius tota” (Io 4[, 53]).

Considera, singulari Dei favore concessam fuisse huic regulo gratiam, ut crederet. At quo medio ad credendum inductus est? Morbus filii periculosissimus, patri ac universae domui salutem attulit.

^a “ita” (BSV): “gaudium”, scil. maius; hoc enim exigit particula “quam”, quae sequitur” (CLCE III, 369: Comment. in Luc XV, 7) ^b “erit” (BSV)

Tibi quoque mors animae tuae iam divina gratia excitatae, num non erit medio ad salutem aeternam acquirendam? erit, si cum tota domo tua, sensibus inquam, potentiis animae, corde, intellectu, voluntate, credideris. At cuinam? internis stimulis, quibus ad agenda bona, fugienda mala excitaris.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

[Ante Sanctissimam Communionem]

Punctum 1. “Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam illi^a?” (Mt 18[, 21]).

Perpende, quod, licet tibi non conveniat odio aliquem prosequi, aut forte erga quempiam furore aestuare, tamen eveniente casu sciendum tibi sit, ut non tantum millies te laedenti ignoscas, sed etiam eidem optime velis, facias, orando pro illo Christum Dominum pro crucifixoribus suis orantem imitatus.

Quinimo te reputaturus es non modo iniuriarum, convitiarum et verborum verberumque simul ulciscendorum incapacissimum^b, sed etiam dignum, ut ab omnibus petaris, vexeris, conculceris ac nihilominus pro iis oraturus sis. At ubi virtus haec tua est? qui potius inferre quam donare iniurias nosti.

Ora saltem nunc divinam Maiestatem pro inimicis eius, Ecclesiae, tui caetus, tuis.

2. “Oblatus est ei unus” (Mt 18[, 24]).

Te finge hunc esse debitorem; tu es hic decem ^c talentorum reus; tot virtutum reus, quot vitiis obnoxius. Tu, peccando innumera debita

^a “ei” (BSV) ^b in ms. verbum “capacissimum” est ita correctum, et quidem recte, quia “capax iniuriarum” etc. significat: qui iniurias inferre potest.

^c in ms. evidenter per inadvertentiam omissum est hic verbum “millia”; cf. Mt 18, 24 (BSV)

contraxisti, necdum ea incipis exsolvere, sed (o miserum, et insipientem!) accumulas et auges. Crede mihi, debita augendo non persolvi. Cur igitur [f.87v] tam amens es? ut tot commissis in vita sceleribus, in saeculo et Dei domo in dies nova debita addas, novas poenas tibi compares?

Age, recurre ad Dominum benignissimum et, quoniam ipsi nequeas facere satis, ora, ut tibi dimittat debita tua. Sed vicisim dimitte, si quos habes, tuis debitoribus.

3. “Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi” (Mt 18[, 26]).

Ita est, Domine mi, Salvator mi: agnosco me incredibile aes alienum contraxisse, hoc est multum deliquisse tibi, nec esse solvendo. Sed, o bonitas! o misericordia! quid tibi, si condemnaveris me boni eveniet? “quae utilitas in sanguine meo, dum descendero^a in aeternam^b corruptionem?” [Ps 29, 10] Si poenis aeternis puniar, nunquam tamen tibi satisfacere potero.

Aliam ergo rationem iustitiae tuae placandae invenio. Donari mihi debita, aut saltem prolongari; quanquam donari mihi potius debita, delicta inquam, provolutus^c ad pedes tuos humillime et quantis possum cum lachrymis, peto. Ignosce mihi, ignosce, o Iesu! clementiae Pater! condonaque debita, sanctius posthac et maiori cum fidelitate tibi servituro. “Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas, ^det malitias^d, ne memineris” [Ps 24, 7]. Depone grave pondus culparum mearum, ut levius, velocius, laetius curram in odorem unguentorum tuorum, vestigiis tuis impressum.

Poenitet male egisse, desidero bene deinceps, bene agere. “Ne ergo^e tradas”, Domine, “bestiis ^fanimam confitentem^f tibi, et ^ganimam pauperis tui^g ne obliviscaris in finem” [Ps 73, 19].

^a “descendo” (BSV) ^b om. “aeternam” (BSV) ^c *in ms. erronee*: “provolutus”
^{d-d} *om.* “et malitias” (BSV) ^e *om.* “ergo” (BSV) ^{f-f} “animas confitentes” (BSV)
^{g-g} “animas pauperum tuorum” (BSV)

Post Sanctissimam CommunionemPunctum 1. “Misertus autem dominus servi illius” (Mt 18[, 27]).

Considera, tui misertum esse misericordissimum Iesum et te per illius corporis sumptionem (si tamen bene sumpsisti) ab aeterno carcere liberatum, ad quem iam iam detrudendus eras propter enormia tua scelera. Si enim tuam conscientiam examinaveris attentius, invenies profecto aliquid illi inhaesisse, quod mortem spirabat aut parabat. Quamvis [f.88r] enim quotidianae imperfectiones flocci a te pendantur, eo quod tibi videantur esse levissimae; cum tamen illas Dominus benignissimus Eucharistiae per sacramentum aufert, infernum a te videtur auferre. Nam persuasum habeas necesse est, paucis parvisque culpis ingentem viam damnationis sterni. Neque inimicus animae desudat, ut te rudente vel cathena fortissima vinciat, cum illi sufficiat, si minimo filo et vel aranae tela ab illo tenearis.

Diva Theresia enormium, credo, scelerum sibi conscia non fuerit, attamen in inferno paratum sibi fuisse locum vidit, nisi leviores etiam defectus evitasset, correxisset¹⁴⁰.

Conclusum itaque habeas, liberum te fieri ab aeterna morte, quoties a parvis etiam imperfectionibus liberaris; neque tibi parum a Deo, quoties illae donantur, donari.

2. “Dimisit eum” (ibid.)

Expende, te illo momento ex Stygio carcere emissum esse, quo, vel peccatorum tuorum recordatus ea vera contritione deleveras, vel instar

¹⁴⁰ TERESA DE IESU, “Vita S. Matris Teresae de Iesu”, c. 32 : “Opera”, Coloniae Agrippinae 1626, P. I/II, pp. 213-217: “... cum quodam die in oratione versarer, repente, ac velut in momento ita me totaliter constitutam sensi [...] ut me in inferno agere putarem. Statim intellexi, velle Dominum, ut quem daemones mihi illic paraverant, et peccatis ipsa meis promerita eram, locum oculis meis conspicerem. [...] Cum mecum hinc perpendo, me, quamquam nequissima essem, aliquatenus tamen, ut Deo servirem, sollicitam fuissem; nec committere solitam quaedam, quae a mundanis ita parvi pendi video, tamquam si nullius omnino momenti essent; [...] illinc tamen video, quem mihi iam tum diaboli locum praepararant. [...] rogo ex amore Dei, ut [...] peccandi occasiones declinamus [...]. Complaceat divinae eius Maiestati sua semper manu me continere, ne relabar: iam enim vidi locum cui destinata eram”.

hodierni evangelici debitoris ad pedes confessarii personam Christi gerentis humiliter provolutus, humiliter ab eo petitam absolutionem recepisti. Siquidem, quod per hunc in terra solutum est, hoc solutum est in caelo per Christum.

O te beatum tali libertate! si enim alios carceres non fuisses expertus praeter affligentes animam continuo remorsus conscientiae, illi pro mille tortoribus et carnificibus inferni valuissent. Vix enim et ipsi damnati aliquam poenam maiorem habent verme conscientiae. Nunc autem solutus hoc vinculo, qua tu laetitia gestientis animi perfunderis! O te magis nunc felicem, quam si e Scythica durissima captivitate¹⁴¹ liberareris!

3. “Et debitum dimisit ei” (ibid.)

En quantam gratiam Dominus tuus, anima mea, tibi praestitit! Non suffecerat illius bonitati, poenam tibi ob debitum assignatam condonasse, nisi simul et debitum omne condonasset. Quod nihil aliud est, quam perpetuae amnestiae traditis tuis noxis, te ab illo in veram et immutabilem [f.88v] amicitiam receptam esse.

Saeculares domini suis aliquando debitoribus poenam remittunt, sed exigunt nihilominus ab iis debita; et quandoque instante quopiam ex amicis veniam dant reis ore, corde retinent vindictam.

Non ita Dominus ille caelestis hodie tecum processit: dimisit tibi quod debebas; in gratiam recepit te, quod non merebaris; et citius oblitus est iniuriarum, quam tu veniam illarum poposcisti.

Tu fac idem proximo tuo.

¹⁴¹ *Agitur de durissima captivitate apud Scythas Asiaticos (Polonice: “Tatarzy”), qui incursiones bellicas in Poloniam saec. XIII et saec. XV-XVII faciebant, gentem polonam in servitutem (“jasyr”) secum portando. Cf. WEP X, 418-419, s.v. “Scytowie”; ibid., XI, 410: “Tatarskie... Najazdy na Polskę”.*

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone” (Mt 22[, 15]).

Considera, cautissime tibi linguam solvendam esse, circumspectissime loquendum, nec nisi bene ponderata verba proferenda. Siquidem ex ore tuo te iudicat auditor tuus. Receptissimum est, quod ex verbis qualitatem internam colligamus. Lingua pectoris index est; quae multos bonos facit; multos deinde pervertit ex optimis, ut inquit Apostolus: “Corrumpunt ^abonos mores^a colloquia prava^b” [1 Cor 15, 33].

Igitur nunc verba labiorum tuorum recogita. Perpende, num plures tuis sermonibus^c non destruxeris, quam instruxeris et forsitan aliquibus, si non causam dissolutionis, saltem magni scandali, vel otiosa vel inepta referens dederis.

2. “Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis” (Mt 22[, 16]).

Considera per Pharisaeorum discipulos, omnes hypocritas; per Herodianos, crudeles immundosque homines intelligi, designari.

O cave cum similibus hodie cogitationibus Dominum accedas. Relinque foris hypocrisim et confidenter ingredi sanctuarium lateris Christi. Abice parentem omnium malorum immunditiam et efferum indomitumque animum; quoniam illum, qui mundus, qui mitis agnus est, qui sine macula, qui sine felle suscepturus es. Quem ut [f.89r] accesseris, memineris orare, ut quidquid habeas pharisaicum ac herodianum, tollat a te, verus ut sis discipulus Christi.

3. “Scimus, quia verax es” (ibid.)

Expende, quod Pharisaei, carptores alias divinarum Christi virtutum, dogmatum, gestorum miraculorumque, veritatem tamen illi adscribunt, hac

a-a “mores bonos” (BSV) b “mala” (BSV) c in ms. superflua repetitio “tuis”

eum excellere testantur. “Scimus”, inquiunt, “quia verax es”. Cuius rei causa est, quod Veritas ipsa est Humilitas¹⁴²: quam humanae linguae, etsi omnes hominis actus mores corrodant, carpant, lacerent, attingere solam non possunt.

Quare humilitatem ama, humilitatem exerce, humilitati innitere; per hanc ubique securus et inter Stygias flammis. Quodsi ea cares, pete: dabitur a humili Domino tibi cor tuum ingressuro.

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo” (Mt 22[, 21]).

Totis aliis diebus negotiis innumeris et minus aliquando utilibus occupationibus distractissimus eras. Iam hodiernum Deo consecrare animaeque commodis impendere debes et quidem iure bono, cum Salvator moneat: “Quae sunt Dei, Deo” reddite. Tot horis ac diebus hebdomadae necessitati corporali ac proximi saluti deservisti; hodiernam recte sibi Deus vindicat.

Quiesce ergo, quiesce a laboribus devotioni contrariis. Ingredere cubiculum, hoc est cor tuum: vaca somno, spirituali scilicet, uti orationi, recollectioni. Semper quidem distractio nociva, sed sacrae Communionis die etiam peccaminosa est.

2. “Cognita autem Iesus nequitia eorum” (Mt 22[, 18]).

Nihil esse occultum sciunt etiam hodierni hypocritae, quod non reveletur; attamen occulte aggredi ac decipere caelestem [f.89v] Sapientiam cui corda patent, attentant.

O humanam insipientiam! Miseros nos, qui peccare volentes oculimur, quasi Deus non ubique sit, non ubique cernat non solum cogitationes, sed actus nostros.

¹⁴² Cf. *supra*, p. 16, no. 16.

Tu anima mea ne occulta beneficium hac die tibi collatum, ne absconde gratias in sacra mensa acceptas: abscondes autem, si illas tacueris, si velo ingratitudinis obtenderis, si gratias pro illis egeris nullas.

Cognosce bona tibi exhibita et hac cognitione non ad elevationem, sed submissionem utere, cogitans te infinita munera retulisse et pro iis infinita peccata in Deum perpetrasse.

3. “Ostende^a mihi numisma census” (Mt 22[, 19]).

Sicut huius mundi principes monetam suis imaginibus signant, ita animam tuam signavit imagine sua Deus et cum eam fecerit^b et cum in lavacro sacri fontis characteribus gratiae insigniret. Verum hodie quoque posuit signaculum super cor tuum. Quod illud? semetipsum.

Da ergo operam, ne cacodaemon versutissimus hoc caeleste sigillum effringat malis suggestionibus et suum imprimat. Custodi illud assidue contemplando, versando, circumspiciendo.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Si tetigero tantum vestimentum eius: salva ero” (Mt 9[, 21]).

O fidem! o fiduciam! quem Pharisei persequuntur, quem deceptorem appellant, cuius doctrinae veritatis aures recusant dare, illius vestis contactu se mulier una sanandam confidit.

Tu dubitabis, anima mea, te corporis Christi contactu sanatum iri, cum vestire tactu altera sanata est. Debes quoque fidere, nunquam tibi divinum [f.90r] auxilium defuturum; praesertim in iis quae ad ipsius gloriam, tuam proximique salutem operaberis; at maxime in orationis actu fiduciam tibi necessariam esse, perpende.

^a “ostendite” (BSV) ^b in ms., uti videtur, erronee: “facerit”

2. “Confide filia, fides tua te salvam fecit” (Mt 9[, 22]).

Considerabis, maximum donum esse ac lumen Dei, fidem. Qua sublata, omnia tenebris et caligine in anima operienda fore. Et simul expendes, fide quidem nos salvari, ita tamen, ut haec per opera bona magis in nobis elucescat. Facies itaque propositum, cum efficaci voluntate Deique gratia, bonis operibus incumbendi. Quod, ut facilius ad praxim deducas, illud assidua mente volve: “Opera ^a eorum^b sequuntur illos”[Apoc 14, 13].

Hinc, quamvis natura pronus ad mala potius omnia sis, imaginare tamen assidue te ad bene agendum obligari et non nisi ad solidas virtutes, ad heroicas actiones, quales Apostoli, quales magni Dei servi gesserant vocatum esse peragendas. Quod cum ita sit, multo maiori cum diligentia quotidiana tibi sunt exercitia obeunda.

3. “Dicebat: Recedite” [Mt 9, 23-24].

Perpende, si ad illum sanandae filiae principis actum, turba tumultuans et tibicines impedimento maximo fuere, quanto putas fore, cum anima tua febris spirituali levanda est, importunas cogitationes distractionesque impedimento? Fuga igitur hanc tumultuantem catervam ex animo ex cordeque tuo et quem cuiusve rei gratia convenis^c serio considera revocaque in mentem tuos omnes defectus et a Deo tibi praestita beneficia, ut pro his grates persolvas, pro illis dolorem excites ac Dominum deprecaris.

Quem, etsi graviter offenderis toties, nihilominus animae tuae morbum illi ceterasque necessitates magna confidentia aperies; siquidem idcirco venit ad te, ut tibi in utroque succurrat. [f.90v]

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Quae sanguinis fluxum patiebatur” (Mt 9[, 20]).

Quam felicem horam illam mulier profluvio sanguinis laborans reputavit! qua recepit optimam sanitatem! quam spatio duodecem annorum non habebat.

^a add. “enim” (BSV) ^b “illorum” (BSV) ^c in ms. erronee: “conveniis”

Sic inter beatissimos soles praesens tibi reponendus est, quo spirituali pharmaco anima tua sumpto, veteribus infirmitatibus, quibus ab ipso rationis usu forsitan aggravabatur, est liberata et novis viribus aucta: siquidem divina bonitas non tantum tibi remisit imperfectiones in sacra mensa, prout pie tibi possis persuadere, sed etiam recentes gratias contulit, quibus deinceps tentationi resistere, passiones mortificare, malas affectiones domare ac penitus extinguere, eruere, eradicare^a valeas.

O felicitatem! qua vix alia maior in orbe Christi famulis eveniat. Ergo gratus gratiarum, novum animum sume Deo famulandi ardentius et solidiorem perfectionem sectare.

2. “Confide” (Mt 9[, 22]).

Expende, minime tibi trepidandum esse, quamvis ab orbe toto et orco impugneris: nec unquam animum a pugna propter metum despondendum, siquidem potens est Dominus et adiuvare et liberare te; neque deserit unquam, nisi propter maius meritum probat. Nam cum militiae Dei adscriptus es, necessarium crede, ut hostes varios experiaris ab iisque exercearis in virtute.

Sed confide, in solo illo, qui pro te pugnat Deus, non in mille tuis artibus: quemadmodum fecerunt ii, qui dicebant ad certamen progressuri: “Hi in curribus, et ^b in equis: nos autem in nomine Domini” [Ps 19, 8]. In hoc scilicet nomine adhibito clypeo constantiae, gladio precum quivis hostium tibi prosternetur. [f.91r]

3. “Et surrexit puella” (Mt 9[, 25]).

Attentiori mente trutina: magnum fuisse miraculum, quod divina potentia fato functa virago/s]^c revixerit. Sed maius est, eiusdem gratia Numinis a peccatis ad poenitentiam excitari. Hoc tecum actum esse credito. Cum enim ad religiosum statum vocatus es, tum a morte peccati ad poenitentiam gratia Dei resuscitatus es.

^a in ms. erronee: “eradicari” ^b add. “hi” (BSV) ^c virago solite vocatur “faemina, quae animo et robore virum refert” (FLL, s.v. “virago”); hic vero videtur quod “virago” vocetur omnis virgo, quae non sit Beata Virgo Maria;

Imo die quoque hodierno panem vitae, id est stimulum poenitentiae, sumpsisti. Quapropter erisne tam demens ut concessum delendis tuis noxis tempus patrandis consumas sceleribus et cum de veteribus agenda poenitentia sit, novis animam tuam criminibus oneres? Eia fac dignum fructum paenitentiae, tempore salutis acceptabili.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Cum ^a videritis abominationem desolationis” (Mt 24[, 15]).

Considera, dolendum animae tuae posse institui cum civitate Ierosolymitana comparationem. Illi praedicitur abominatio; in te revera iam reperitur. Desolatio talis opprimit te, ut neque scias, neque sentias, quid sit fervere spiritu Dei, quid sit unice cum sponso Iesu conversari. Peccata tua adeo exsiccarunt animam tuam, ut vere cum Rege psalte dicere possis: “Anima mea sicut terra sine aqua” [Ps 142, 6].

Quid facturus igitur in tanta siccitate, in tanta abominatione desolationis es? Fuge ad montem¹⁴³, qui est Christus in sanctissima Eucharistia manens. Fuge “^bdilecte, et assimilare^b capreae hinnuloque cervorum” [Cant 2, 17]; ne te ruina maiorum scelerum obruat, fuge in montem excelsum, pinguem, coagulatum. [f.91v]

2. “Non revertatur” (Mt 24[, 18]).

Malum ingens esse considera peccare, sed peius ad peccatum saepius reverti. Expressit hoc ille Doctorum, qui dixit: “Humanum esse labi; diabolicum perseverare”¹⁴⁴. Cogita ergo, si non omnia, certe maximam partem tibi peccatorum in praesenti Communionem remittendam fore. Sed

^a add. “ergo” (BSV) b-b“similis esto, dilecte mi” (BSV)

¹⁴³ Cf. Mt 24, 18: “tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes”.

¹⁴⁴ Nescimus quis sit “ille Doctorum”. Probabiliter agitur de quodam Doctore Ecclesiae, sed non potuimus talem sententiam in eorum operibus magis a P. Papczyński adhibitis invenire (secundum indicem generalem).

iterum non revertaris ad vomitum, ad pristinas consuetudines malas, ad murmurationes, somnolentiam, inobedientiam, delectationes cuiusvis generis, elationem, iram.

Non revertatur anima tua ad cogitationes etiam rerum mundanarum, non modo ipsum mundum. Non sectetur ea, quae carnis sunt, sed secundum Spiritum ambulet. Ipse prohibet Iesus et ipse iuvabit, ut non revertatur.

3. “Cum [.....] videritis” (Mt 24[, 15]).

Suadet fugam Dominus, viso periculo. Tu machinas animadvertens orci contra te erectas, num stabis? num te discrimini tentationis non subducis? Neminem crede citius ex tentatione referre palmam, quam fugientem. In bellis saecularibus vitium est et non heroici animi signum, fuga: contra in spirituali certamine prudentiae, fortitudinis, certissimae victoriae signum est.

Nam primo in tentatione (ut quidam docet) occurrit simplex imaginatio, postea consensus, accedit delectatio¹⁴⁵; et post imaginationem, consensum, delectationem poenitet non fugisse tentationem.

Iam licet in multis tentationibus victoria sui parit victoriam, in illa tamen, de qua Apostolus conquestus: “Datus est”, inquit, “mihi ^aspiritus satanae^a” etc.[2 Cor 12, 7] sola fuga triumphat. **[f.92r]**

Post Sanctissimam Communionem

Punctum 1. “Qui legit, intelligat” (ibid.)

Considera, divinum cibum sumere et suavitatem illius non sentire, idem esse atque legere et non intelligere. Sed, quemadmodum legentes ideo lecta non intelligunt, quod perfunctorie distractoque animo legant et a lectione protinus absque ulla recollectione ad alia se convertant, ita sumentes Christi

a-a “stimulus carnis meae angelus satanae” (BSV)

¹⁴⁵ Cf. THOMAS à KEMPIS, *op. cit.*, p. 34 (l. I, c. 13, “ 22): “Nam primo occurrit menti simplex cogitatio; deinde fortis imaginatio: postea delectatio et motus pravus et assensio”.

corpus idcirco caelestem dulcedinem non gustant, quoniam perfunctorie illud et cum summa evagatione mentis sumunt atque nulla facta post sacram mensam recollectione ad mille nugas tractandas abeunt.

Ut igitur experiaris in divino cibo, tu, suavitatem, illius expende nunc praestantiam.

2. “Nolite exire” (Mt 24[, 26]).

Considera, velle Dominum, ut non facile bona proposita factaque deseras, etiamsi bonis rationibus videantur tibi dissuaderi. Neque enim cacodaemon aliter consuevit a bonis deducere mortales, nisi melioribus ostensis.

Quod exacte cum primis nostris fecit parentibus, quos volens felici privare Dei gratia et dominio rerum, promisit illis deitatem, longe praestantio-rem statu in quo tum fuerant collocati¹⁴⁶. Sic solet decipere multos, quorum animum Communionis die solet ad temporalia negotia avocare, ne in expendendo Dei beneficio versentur.

Sed, tu, noli etiam vocatus ad optima, extra te exire cumque Iesu solummodo conversare.

3. “Ita erit adventus Filii hominis” (Mt 24[, 27]).

Nescit homo scilicet neque scire potest, quando fulmen erupturum sit ex nubibus, sed tum primo videtur, cum resonat ac aliquid percutit.

Sic ignoratur ab universis adventus Christi universos [f.92v] iudicaturi. Tunc primo apparebit, cum peccatores gravissima fulminabit sententia.

Quare, cum tibi iudicii illius hora penitus occulta sit, quotidie sic te geras, quasi quotidie sis iudicandus. Sic vive, ut singulis momentis de singulis actionibus, cogitationibus quoque et verbis tuis, sine metu reddere possis Iudici Deo rationem.

¹⁴⁶ Cf. Gen 3, 5: “*Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo [ligno, quod est in medio paradisi], aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*”.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM**[Ante Sanctissimam Communionem]**

[Punctum] 1. “Simile est regnum caelorum grano sinapis” (Mt 13[, 31]).

Granum synapis est salubre, sed mordenti acerbum. Ita Regnum caelorum multae difficultates adeundae, multae molestiae, cruces, afflictiones tolerandae, quaerentibus. Neque id mirere.

Si enim bona mundi huius evanida caducaque haberi sine magnis curis atque laboribus non possunt, quo pacto bona sempiterna, immortalia, caelestia sine iisdem speranda? Ipse Dei filius ad suum hoc Regnum haereditarium, cogita, quantos per cruciatus est reversus! Et tu molli via ac delicata, rosis liliisque conspersa, non spinis consita, confidis te illud aditurum?

Accinge te labori, mortificationi, cruci, caelorum Regnum expugnaturus et Deus tuos conatus secundabit, impertiet in praesenti mensa sua vires, gratias, constantiam.

2. Considera, quomodo granum sinapis in arborem excrescit, primo terrae mandatur, obmoritur; deinde reviviscens, gradatim assurgit. Ita, [f.93r] si in arborem perfecti Dei servi evadere desideras, tibi procedendum est. Latere disce, mori disce, paulatim irrorante te divina gratia exsurge, memor semper illius: qui se exultat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur¹⁴⁷.

Supplica Domino, ut te ipse ad statum huiusmodi perfectionis provehat, quae placeat oculis ipsius.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Volucres caeli veniant, et habitent in ramis eius” [Mt 13, 32].

Utinam tibi reduci a divina mensa id contingat Dei beneficio, ut omnis deinceps tua conversatio, hodie saltem, sit in caelis:

¹⁴⁷ Cf. Mt 23, 12: “*Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur*”.

ut veniant aliqui sancti et tecum habitent;
ut cogitationes piae, devotae, salutare animum tuum occupent;
ut voluntas desiderio patiendi pro Christo et cum Christo accendatur;
ut cor ignibus perfectissimae charitatis inflammetur;
ut illud experiaris, quod dixit aeterna Veritas: [“]Qui manducat me,
[.....] vivet propter me[”] [Io 6, 58]; ut illud suaviter decantes: [”]Vivo ego^a,
iam non ego, vivit vero in me Christus[”][Gal 2, 20].

2. “Eructabo abscondita a constitutione mundi” [Mt 13, 35].

Non potuit in se continere, non occulere Salvator mundi bona sua; effundebat illa copiosissime, docendo exemplis et verbis, sanitatem infirmis, vitam mortuis, consolationem afflictis, veniam peccatoribus, gratiam iustis, omnibus [f.93v] aeternam salutem per suam mortem impertiendo.

Et tu proba, te Christum Dominum et eius virtutem hodie sumpsisse, quae otiosa esse non potest. Alias, si intepescis, luge te indigne Dominum suscepisse et melius ad eum posthac suscipiendum dispone.

[f. 94r-v *est vacuum*]

^a “*autem*” (BSV)

[f.95r]

P A R S II

RECOLLECTIONES

in totius anni solennioribus festis

[*nihil invenitur in f.95v*]

[f.96r]

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Postquam consummatia sunt dies octo” (Lc 2[, 21]).

Audis, quid actum est cum Filio Dei post octiduum? circumcisis est. O te felicem! pro quo iam primo sanguinem suum puer adhuc Salvator fundit.

Et tu vitia tua non circumcidis? ut crescant, vis: passiones propter exiguum laborem non superas; vim tuis inferre consuetudinibus recusas. Tu tanta aetate cerebrum frangi tuum nolis, at Iesus octiduanus saxum cultrum sustinet. Pudeat te ignaviae.

Quin ad benignissimum infantem curris et ab illo vires animumque passionibus resistendi emendicas ac obnixè rogas, ut quidquid in te illi displicet protinus abscindat.

2. “Ut circumcideretur puer” [ibid.].

Conquereris abhinc, te non teneri crucis ad omne iugum subeundum, ad quamvis maiorum tuorum voluntatem adimplendam, cum vides legislatorem Deum legi subiacere.

^a *in ms. erronee:* “confirmati”

Confundere fastuose ac elate anime! si tantopere se Deus sub cultro humiliat, ut, cum sine culpa sit, culpae remedium adhibeat. Numquid etiam grave tibi futurum est mortificationes aliquas subire voluntatis, cum Infans Deus in carne iam vulnera tibi porrigens exemplum parendi et patiendi ferat?

At est quoque aliud quod hic contempleris. Iesus ideo Nativitatis initio suae cruorem fundit, ut tuas illi imperfectiones immergas. Ideo rubet in ortu, ut Solem agnoscas; ideo scaturit, ut fontem esse scias. Perge, igitur, perge, hoc in fonte, quidquid habes noxarum, naevorum sordiumque animae, quantocius ablue. [f.96v]

3. “Vocatum est nomen eius Iesus” [ibid.].

O nomen omni melle suavius! omni dulcius ambrosia! omni nectare iucundius! omni fulmine potentius! omnibus nominibus mortalium et angelorum gloriosius! Habes circa quod occupes tuam mentem, nomen Iesu: quod licet assiduo volvas, nunquam comprehendas. Habes mille in nomine Iesu bona.

Tristaris? Iesum clama, solabitur. Oppugnaris? invoca Iesum, defendet. Salvari cupis? ama Iesum, sequere, cole: Iesus Salvator est. Pauper es? ad Iesum curre, ditabit te. Nudus es? Iesum roga, vestiet te. Aeger es? supplica Iesu, sanabit te. Rudis es? Iesus Magister est. Vitia te circumdant? Iesus Dominus est virtutum. Peccatis es plenus? Iesus venit salvare peccatores.

Tua sit ergo Iesus meditatio, tuus amor, tuum gaudium, tuum refrigerium, tua vita, tuum caelum. Apprehende Iesum, ut te apprehendat; ama Iesum, ut te amet; ne desere Iesum, ut te non deserat.

Nihil est orbe caeloque toto praestantius Iesu, ergo illo nihil tibi sit amabilius. Da te totum Iesu, et erit tuus totus Iesus.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Postquam consum[m]ati sunt dies octo” [ibid.].

Considerabis, Dominum causa legis adimplendae^a voluisse circumcidi. Unde conice, quo studio velit a te satisfieri suis praeceptis, legibus, consti-

tutionibus, quandoquidem communes cum aliis infantibus Hebraeorum pati voluit dolores, licet eorum culpa minime particeps fuerit.

Te miserum, qui parva de causa vel divina vel religiosa statuta transgredieris et aliquando vel levissima ratione motus, contra maximi momenti iura delinquis. Itane aestimas ac sequeris Iesu Christi [f.97r] exemplum custodiendi leges quod in sua circumcissione tibi demonstravit?

Age, nunc saltem propone in regravationem hodiernae Communionis, te deinceps omnia iura divina humanaque ad amussim servaturum.

2. “Quod vocatum est ab angelo” [ibid.]

Si magni faciendum est nomen Domini ex ea causa, quod ex caelo impositum ac denunciatum fuit, quanti a te facienda est haec sacra Communio, ad quam solius instinctu Dei ordinationeque vocatus accessisti. Profecto non flocci penderes, si ab aliquo principe in propria persona invitareris ad convivium.

Atqui hic tibi res non absimilis evenit. Ipse te suam ad mensam Princeps caeli protraxit: ipse perduxit; quid igitur facies, ut et illi grates rependas et hoc Sanctissimum Sacramentum non vilipendas? sumentis ac dantis personam sumptique cibi praestantiam expende sicque pretium vivi panis deprehendes.

3. “Prius quam in utero conciperetur” [ibid.]

Divinae providentiae modum expende, quae ante conceptionem adhuc mundi Servatori nomen assignavit¹.

Atque tibi eodem modo priusquam natus esses certas gratias ad animae salutem fuisse ordinatas: talenta dispensanda et vocationem praecipue status praesentis iam olim ante ortum tuum tibi a Deo destinatam.

O quantopere debeas admirari et suspicere hanc Dei Patris optimi anticipativam nativitatis tuae curam erga te! quibus illam studiis

^a in ms. erronee: “adimplenda”

¹ Cf. Lc 1, 31: “... et vocabis nomen eius Iesum”.

compensare! qua conformitate voluntatis rependere! Utinam saltem in id incumbas, ut nihil sponte deliberateque praetereas quod ad tui salvationem ordinatum est tamque vocationi tuae, quam omnibus divinis gratis sedulo coopereris! [f.97v]

IN FESTO EPIPHANIAE DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum” (Mt 2[, 2]).

Considera, Deum non misisse angelum ad vocandos Magos Christi gratia salutandi, sed astrum novum et inauditum exhibuisse. Id autem factum fuisse propterea intelliges, quod sciret sapientissimum Numen citius per stellam vocatum eos iri, quam si alium caelestem nuntium illis misisset. Erant enim astrorum periti, at quivis facilius trahitur cognitis mediis, quam ignotis.

Hinc tibi per tuos Superiores suam voluntatem Deus aperire consuevit, quod te facilius iis debere credere, quam angelis, sciat ac velit. Quare ut ductum stellae Magi, sic tu maiorum tuorum sequaris oportet, nisi Iesum invenire nolis.

2. “Et procidentes adoraverunt eum” [Mt 2, 11].

Disce modum regibus ab his orandi, qui magni licet essent dynastae, tamen coram infante primum agnito Deo, genua profundissime curvarunt. Nec immerito; si enim regibus mortalibus humillimam quandoque ternam reverentiam facere solent mortales eos accedentes, quis immortalem Regem non cum submississima reverentia accedat?

Apocalipticus Vates testatur a se visos viginti quattuor seniores, qui frontibus inclinati procidebant in facies suas ante Dominum².

O te vel fastuosum, vel pigrum, qui non procidens in genua adoras vel oras!

3. “Obtulerunt ei munera” [ibid.]

Quae tu cum regibus hodie Domino offeres dona? profecto si eodem vultu, quo suspexit Magos suspici velis ab illo, similia ei munera daturus es: aurum probationis, thus orationis, myrrham mortificationis. Quodsi nondum felicis Arabiae, id est Religionis, has pretiosissimas opes collegisti, da operam [f.98r] ut colligas et in patiendo Christum imitari patientem, in orando Sacerdotem summum, in tolerando probatissimum hominem in adversis, studeas.

Iam si libet, audire divum Gregorium, monet hic, ut “nato Domino offeramus aurum, et^a hunc ubique regnare fateamur; offeramus thus, ut credamus quod is, qui in tempore apparuit Deus ante tempora existit; offeramus myrrham, ut eum quem credimus in sua divinitate impassibilem, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem”³.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Videntes autem stellam gavisi sunt” [Mt 2, 10].

Si insolitam Magi laetitiam conceperunt, cum Ierosolymis egressi rursus apparentem sibi conspicerent stellam, tu quanto gaudio affluas necesse est, cum in pectore tuo Sol iustitiae Christus Deus noster illuxit. Atque si reges iidem Sapientes sidus illud contemplantes, quo tendebat sequebantur, ita lumen in te manentis Iesu tibi observandum sequendumque est, ut illius ductu ad ipsum Iesum iam in caelo regnantem pervenias.

Observe hanc lucem, ne tibi dispereat ac tu discedens a via perfectionis, Deum, cuius quaerendi gratia ex Babylone mundi Ierosolymam Religionis appulisti, non reperias.

^a “ut” (PL)

² Cf. *Apoc 4, 10*.

³ GREGORIUS MAGNUS, “*XL Homiliae in Evangelia*”, *Lib. I, hom. X*: PL 76, col. 1113 (n. 1470).

2. “Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos” [Mt 2, 9].

En, qui luce sua Magos ad se traxerat, ut te quoque trahat, anima mea, lucet in te. Ergo post crassam tot peccatorum ac defectuum noctem “Surge”, et “illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est” [Is 60, 1].

Vitium dicunt esse grande mortales, si quis orto sole dormituriat^a[s] et profunde stertat.

Ne, tu, pari somno indulgeas orto Sole in te, Deo, sed expergefacta celeriter [f.98v] illuminare. Eheu quam diu noctem amabis? quanto existes in tenebris spatio! Supplicavit Pharao Moysi, triduanam ut caliginem ex suo regno tolleret⁴. Tu, suapte lumine caelesti tuum cor ingresso somnum non excuties? “surge, illuminare”.

3. “Per aliam viam reversi sunt in regionem suam” [Mt 2, 12].

Considera praevisam fuisse a Deo necem, quam Herodes truculentissimus Infantis Christi visitoribus Magis moliebatur; atque hos per angelum monitos ad tyrannum non redivisse, verum alio itinere sua ad regna fuisse reversos. Praevidit idem Deus perditionem tuam, si a sensibus tuis invitatus iterum ad pristinas imperfectiones^b redieris. Quare monet ipse te conclusus apud te ne eandem viam repetas, siquidem “Quotquot iere, omnes hac periere via”⁵. Ergo per aliam viam revertere in regionem tuam.

Regio tua, sive paradisus, sive caelum est: quo non alia, quam via crucis pervenitur. Sensualitatis itaque relicto tramite, spinosa crucis via incede: nam hac itur ad astra.

^a sec. LLMA : CChrM, “dormiturio” significat: “avoir envie de dormir” (Polonice: “*być śpiącym*”; Italice: “*aver sonno*”), quod solite verbo Latino: “dormito” exprimitur; hic vero videtur quod de vera dormitione agitur.

^b in ms. hic legitur: “perfectiones”, sed ex contextu patet quod hic auctor de imperfectionibus loqui voluit

⁴ Cf. Ex 10, 21-24.

**IN FESTO SANCTORUM
FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Descendens ^aIesus de monte^a” (Lc 6[, 17]).

Considera, turbam non potuisse post Christum in montem ascendisse, hinc illi fuisse causam descensionis; ne, cum per sublimia ambularet, nullus eum ex debilioribus assequeretur et ita salutari doctrina careret. “Quomodo enim turba”, inquit sanctus Ambrosius, “nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia?⁶ Iam vero per “montem” sublimioris arcana scientiae, quae Praeceptor Iesus solis Apostolis secum montem ascendentibus aperiebat, interpretare. Sed ex monte tum idem descendebat, cum faciliora captu factuque rudioribus turbis [f.99r] ad salutem consequendam dogmata proponebat.

Itaque ascendebat montem cum Apostolis, ad altiora capienda per Dei gratiam iam dispositis, descendebat in planiciem ad turbas simplicioribus ingeniis earum sese accomodans in docendo, ut tibi demonstraret exemplum, quatenus et dicta tua et facta ita modereris, ut omnibus aedificationis salutisque fructum adferant: simplicemque in docendo et agendo apud simplices te exhibeas, eruditus apud eruditos apparere non verearis, non ob laudem admirationemve, sed profectum salutis.

Hodie tamen coram Iesu sapientissimo in sacra synaxi permanente tam debilem te constituas, ut omnino sit opus ad te ut descendat. Magis enim tibi conducit, tuam debilitatem fateri, quam te robustum fingere, cum non sis.

2. “Stetit in loco campestri” [ibid.].

Decebat in campestri loco Florem campi stetisse, ubi poterat ab omnibus, etiam infantibus, conspici, omnes suo caelesti odore sive exemplorum, sive

^{a-a} om. “Iesus de monte” (BS)

⁵ Cf. *PAPCZYŃSKI St., “Orator Crucifixus”, Verb. V, ed. FHM 6, p. 47, no. 4.*

⁶ *AMBROSIUS, Commentaria in Evangelium sec. Lucam (Lib. V), in c. VI : Opera III, Romae 1579, 63, C.*

verborum reficere recreareque. In monte si stare perseverasset, non quivis eum adivisset, invenisset, cum solatio et salute intueretur.

Scivit ille se accommodare, scivit prodesse omni hominum statui, naturae, ingeniis, capacitati. Non verebatur ad humilia loca descendere, ut omnes salvaret. Non dedignabatur a maiestatis suae amplitudine deflectere, ut humilibus etiam turbis, imo peccatoribus, occasionem quaerendi Regni caelestis daret. Itaque cum nominis ignominia sui cum peccatoribus manducabat conversabaturque, etsi hoc ipsi vitio maximo duceretur carpereturque ob id a Pharisaeis.

Quid si brevi te quoque unum e publicanis aditurus est? oblitus propriae celsitudinis stabit in campestri loco tuae nihilitatis^a[s], ut te ad altiorem sui amoris gradum elevet.

3. “Beati qui nunc fletis” [Lc 6, 21].

Perpende, caelestem Magistrum sua doctrina voluisse doctrinam mundi totaliter confutasse. Homines huius saeculi, putant se esse infelicissimos cum adversis oppugnantur, at ille: “Cum”, inquit, “in varias tribulationes incideritis, gaudete [f.99v] et exultate”⁷. Cur ita? Quoniam “Beati, qui lugent” [Mt 5, 5], qui mille adversitatibus premuntur, qui velut igne aurum, tribulationibus probantur, purgantur. Itaque tum gaudete, tum vos credite felices esse, cum sic infelices estis.

Tu quoque, si beatus esse velis, luge. Luge, te a caelesti patria exulare; luge, te in lachrymarum valle positum; luge, te in momenta singula labi. Luge, quod ab imperfectionibus tuis aggraveris adeo, ut nequaquam post Iesum in montem altioris perfectionis valeas ascendere. Luge, quod a summo bono tam diu separeris, quamdiu mortali corpore circumdaris. Luge, quod Deum saepius amantissimum tui offendas; luge, quod plura mala quam bona facias. Luge, quod nonnisi ad perditionem natura tua inclines. Luge, quod facilius delecteris sensualitate, quam mortificatione. Luge denique, quod tam male praeparatus ad suavissimum Dei cibum sumendum accedas. Luge

^a in ms. erronee: “nihilestatis”. Sec.LLMA : CChrM, “nihilitas” significat: “neant; fig. humilité, bassesse”

⁷ Cf. Mt 5, 11-12; Lc 6, 22-23.

ultimo, quod fortassis cum mille lugendi causas habeas, lugere non possis, at magis rideas et iucunderis.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei” [Lc 6, 20].

Considera, non conditione pauperes, sed spiritu pauperes a Domino beatos dici. Nam qui nihil habens omnia habere appetit, miser est, non beatus. Ut opibus affluens beatus est, si cor in his non immergat.

Quales Apostolus nominat: “Omnia^a habentes, et nihil^b possidentes”⁸ [2 Cor 6, 10]. Neque putes illum vere pauperem spiritu esse, qui cum Christi amore omnia reliquerit, alicuius rei minimae potiundae, vel proprii honoris nominisve dilatandi, magno desiderio tenetur! O fallacem hunc pauperem! seque ipsum decipientem!

Tu, beatus eris, verus erisque pauper, si solo Iesu in sacra mensa accepto fueris contentus. Roga itaque hunc cum divo Bonaventura, ut sit portio tua, possessio tua, thesaurus tuus, in quo fixa et firma et immobiliter semper [f.100r] sit radicata mens tua et cor tuum⁹.

2. “Beati eritis cum vos oderint homines” [Lc 6, 22].

Expende humana ingenia saepe divinis operibus esse contraria. Hinc non mirum esse, quod ab hominibus odio habeantur illi, qui Deo placere student. Sed certe sunt beati, quos odere homines propter Deum. Ut enim plebs non addicta suo regi, etiam servis regis addicta non est, sic mundus

^a “nihil” (BSV) ^b “omnia” (BSV)

⁸ Notandum est quod S. Paulus Apostolus his verbis, cum inverso ordine “omnia” et “nihil”, revera dictos “opibus affluentes” sed “spiritu pauperes” non “nominat”.

⁹ *Ascribuntur hic divo Bonaventurae verba (ad textum adaptata), quae inveniuntur in oratione adoperata pro “Gratiarum Actione post Missam”, secundum textum Ratisbonae anno 1958 editum, sine tamen indicatione auctoris huius orationis. En initium et finis huius Orationis: “Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amori tui vulnere [...] ut tu sis solus semper spes mea [...], portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.”*

inimicus Deo, Dei quoque servis amicus non est. Quemadmodum deinde magni facit suos servos rex, qui minime ab eo plebis ob odium desciscunt, ita “Beatos” appellat Christus famulos suos, qui ipsi indissolubiliter adhaerent, etsi propterea apud homines favorem amittant odiumve incurrant.

Quare tu operam daturus es, ut odio prosequatur te mundus, si vis acceptus esse Deo ac “beatus”; et quoniam “beati” sunt, quos “oderint homines”, pluris tibi humanum odium aestimandum est, quam favor.

3. “Quaerebant^a eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes” [Lc 6, 19].

Si talis est Domini attactus, ut per eum virtutes acquirantur morbique fugentur, quam felices ergo sunt ii qui saepius, feliciores qui singulis diebus, eum non solum tangunt, sed etiam manducant. Quippe supra alios virtutibus exornantur et si quibus animi laborent morbis, persanantur.

Eiusmod[i] felicitatis hodie te factum participem esse scito proindeque, quas valeas summas Christo Domino grates persolve, quod non tantum se tangi a te permisit, verum et manducari.

^a “quaerebat” (BSV), nempe: turba

**IN FESTO SANCTAE AGNETIS
VIRGINIS ET MARTYRIS**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Non sumpserunt oleum secum” (Mt 25[, 3]).

Profecto iure merito Dominici verbi praeco zelosissimus, divus Matthaeus virgines has fatuarum titulo insignit, quae noctu hymenaeum cum [f.100v] sponso celebraturae nullum lumen praepararunt: non acceperunt oleum secum pro lampadibus.

O quoties te quoque haec fatuitas invadit! quoties haec vesana stultitia occupat! quando sine oleo, sine lumine, in tenebris mentis, mensam agni immaculati, sponsi immortalis nuptias accedis!

Cave, ne nunc tibi idem contingat. Ut, si plenus distractionum, non recollectus sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere velis, dicatur tibi: “Nescio te”¹⁰ et gratia atque virtus, quam caelestis hic cibus causat, denegetur.

2. “Dormitaverunt omnes, et dormiverunt” [Mt 25, 5].

Admirare tuam et deplora desidiam, quod, quando videas alios quiescere, te simul ad quietem componas. Heu! nescis, non omnibus salutare esse otium? ignoras, quosdam necessario debere a laboribus feriari et quibusdam continuos esse labores necessarios. En agmen virginum dormitavit/s/ omne, sed non omnibus quies prodest. Quinque enim earum reprobatae sunt, reiectae a nuptiis. Quamobrem? quia sopori indulgebant cum oleum parandum erat, cum bona opera exercenda. Licuit quievisse sapientibus, quae omnia secum pro nuptiis celebrandis habuerunt parata. Fatuis non licuit, non expediebat.

Ergo tu labores ama, laboribus te dedito, ne bonis carens operibus pro fatuo habitus a caelesti aula excludaris. Ad nihil enim valet infatuatum sal, nisi ut eiciatur foras et conculcetur ab hominibus¹¹. Putas te aliam ob causam caelesti esca refici tam frequenter, quam ut laboribus aptior sis? ne gratis panem hunc angelorum comedas, vide. [f.101r]

¹⁰ Cf. Mt 25, 12: “Nescio vos”.

¹¹ Cf. Mt 5, 13.

3. “Lampades nostrae extinguuntur” [Mt 25, 8].

O lux mea! Sol meus, Deus benignissime! quam recte mihi istud inculcari, dicitque possit! “Lampas tua extinguitur”: deficit tibi lumen, in tenebris plus quam Cimmeriis¹² versaris. Ubi enim profectus meus est? hei mihi! quia in dies pessum eo et labor deterius. Lampas mea extinguitur, Domine. Lumen oculorum meorum non est mecum. Tepesco, languo et peccatis iam, non imperfectionibus, obruor. Expirat totum, quidquid donorum et auxiliorum dederas mihi, ut tenderem ad maiorem perfectionem. Cessat cursus meus.

Age, anima mea; proripe te, quid obrui nocte vis? ne desit lampadi tuae lumen, illum desiderio adeundi sanctissimam Eucharistiam accende. Sic enim lampas tua extinguitur, cum parvo aut nullo Dominici sumendi corporis desiderio flagras.

Post Sanctissimam Communionem

1. “^aVenit Sponsus^a” [Mt 25, 6].

En iam Christus anima cum tua nuptias celebrat, iam illius thalamum ingressus est, iam in amplexibus illius haeret, iam illi suavissimum osculum, pacis et amoris schema libavit. Sed hae nuptiae, haec tecum ipsius coniunctio, fidem, charitatem obedientiamque a te exigunt. Antea figebas gressus ad tuum placitum; nunc in viis mandatorum eius debes ambulare. Antea inspirationibus eius monitisque tam internis, quam externis refragatus es; nunc fideli obsequio teneris ei famulari, ne sis adulterae instar ac meretricis. Ante frigidus otiaris; nunc igne charitatis accensus opus [f.101v] est bonum opereris ad omnes, maxime vero ad domesticos fidei.

a-a “sponsus venit” (BSV)

¹² “Cimmerii - populi Asiae circa Bosphorum Cimmerium, ab ipsis dictum. [...] Aerem crassum habent, et densis exhalationibus nebulosum, quare solem raro aspiciunt. Hinc “tenebrae Cimmeriae”- “pro densissima caligine, et translate de multa obscuritate animi”, “pro obscuritate et caligine multa”. Ita sec. SLL, s.v. “Cimmerii”.

Itaque exue veterem hominem, passionatum, imperfectum et indue Iesum Christum. An te non deceat in eum, quem suscepisti transformari?

2. “Novissime vero venerunt^a” [Mt 25, 11].

Considera dilationem et tarditatem executionis bonorum propositorum valde noxiam esse paeneque illis similem, qui commodissimum habentes ventum [e] portu non solvunt atque sic optima navigandi occasione praetermissa nusquam parem nanciscuntur.

Ita, cave tu feceris, sed quamprimum te divini afflatus inspirant, subito portu move bonumque ad quod stimularis, opus aggredere. Nam nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia: quae desides crastinosque corvos¹³ relinquit, tepidos evomit¹⁴. Si enim saeculares Domini promptos famulos diligunt, contra pigros fastidiunt, multo te promptiorem deceat esse, qui Regis immortalis, testudines abominantis, famulum te iactas. Non procrastinat ille suas gratias; cur, tu, opera bona procrastines?

3. “Vigilate” [Mt 25, 13].

Infensissimum esse somnolentiae hostem Regem caeli, cogita. Hinc ille, cum in horto oliveti vigilaret, adeo moleste discipulorum tulit somnolentiam, ut conquestus, aut magis obiurgans, dixerit: “Non potuistis una hora vigilare mecum?” [Mt 26, 40] Nemo reprehendatur, si dixerit Petro Christi abnegandi causam extitisse gethsemanicam dormitationem. Vocis aeternae monitum est: “Vigilate, et orate, ne^b intretis in tentationem” [Mt 26, 41]. En apertissime patet: somnum patrem tentationis esse; tentationem vero matrem peccati existere.

Quis dubitet te quoque multa Dei dona ob somnolentiam vel amisisse, vel posse amittere, si non vigilaveris? Sapias itaque periculo hodiernarum

^a “veniunt” (BSV)

^b “ut non” (BSV)

¹³ Cf. *Mt 6, 34 et Lc 12, 24.*

¹⁴ Cf. *Apoc 3, 16.*

virginum fatuarum, quae propter somni dulcedinem, amiserunt Sponsi visionem. [f.102r]

IN CONVERSIONE SANCTI PAULI APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Saule, Saule, quid me persequeris?” (Act 9[, 4]).

Considera, solemne esse Deo magnos peccatores vel instinctibus potentibus vel verbis excitare, quae mallei instar cor eorum conterant. Audi etiam, utrum contra te paribus non clamat: “Quid me persequeris?” Ego te amicum meum feci per gratiam; tu inimicum agis per aversionem a me ad res vanas, curiosas oblectationes, mundum, sensualitatem? Ego pro te crucem baiulans in ea pependi; tu propriam complexus voluntatem, spiritualem crucem omnemque mortificationem odio prosequeris. “Quid me persequeris^a?”

2. “Quis es, Domine?” [Act 9, 5]

Sapientis hominis est, volentis converti animae est, super instinctus bonos inquirere eosque amplecti, exequi. Tu vero divinas inspirationes negliges? tu, cum tibi veniet a Domino immissa cogitatio exempli gratia haec vel similis: “Surge, qui dormis” [Eph 5, 14], “qui tot imperfectionum somno oppressus es”, an non expergisceris? an te non propripies? an non dices ingemiscens: “Vere Dominus locutus est?” “Surgam”, itaque, “et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea” [Cant 3, 2]; et tanto instantius inventum tenebo, quanto tardius quaerere incipio.

3. “Domine, quid me vis facere?” [Act 9, 6]

En quam cito Saulus transit in Paulum: abicit suam, divinam inquirat voluntatem; non vult amplius Christum persequi, vult sequi.

^a in ms. per inadvertentiam erronee: “prosequeris”

O te felicissimum! si hodie tam generosa habeas proposita abnegandi te! si ex carnali vertaris in spiritualementem! si Iesum persequi desistas, sequi incipias! si dicas ex corde: “Domine, quid me vis facere?” Dicis? [f.102v] Inquiris? Ergo, “Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere” [ibid.].

Descende, inquam, ad ipsam animam tuam, et ibi ex Deo illam visitante disces, quid facturus sis, quam vitae methodum initurus, qua ratione passiones eradicaturus, virtutes plantaturus: per abnegationem nempe propriae voluntatis.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Surrexit autem Saulus de terra” [Act 9, 8].

Certe de terra surrexit Saulus, non enim amplius terrena desideria sectatus est. Imo alios quoque de terra elevans inquit: “Obsecro [.....] vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta” (Rom 12[, 1-2]). Ecce, quae voces illius sunt, qui de terra vere surrexit, qui ad tertium caelum raptus est.

Age, te quoque de terra proripe; Christus excitat te, surge de terra: [“]quae sursum sunt sapias^a, non quae super terram[”][Col 3, 2].

2. “Erat ibi tribus diebus non videns” [Act 9, 9].

Non mirum est, cito Saulum caligasse, cito factum fuisse caecum; siquidem nimis cito caeleste lumen irretorto mentis radio conabatur inspicere, subitaneum heliotropium¹⁵ agere, solem Iesum illico sequi, cum dicit: “Quid me vis agere?”

^a “sapite” (BSV)

¹⁵ *Est herba solaris, quia solem intuetur semper, cumque eo vertitur, etiam nubilo die. Cf. SLL, s.v. “Heliotropium”.*

Tuam hoc ad cautelam factum esse existima, ne nimis appetas illuminari, priusquam purgeris: ne viam cupias ingredi lucis, antequam te tenebris expedias. Qualis illa foret imago, quae sine fundamento coloribus praestantissimis constaret? Imago Dei est anima tua; ne hanc exoptes ante [f.103r] tempus illustrioribus ornari dotibus, donec in lachrymis poenitentiae bene fuerit lota, bene mundata.

Vide itaque, ne quantocius appetens lumen, fias non videns.

3. “Et non manducavit, neque bibit” [ibid.].

Haec scilicet non fecte conversae mentis opera sunt, abstinere a licitis, cum paulo ante tractaret illicita: non manducare, non bibere, cum olim pro Deo ventrem coleret atque gulam. Veritas ipsa per Prophetam loquitur: “Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et ^a fletu, et ^b planctu” (Ioel [2, 12]). En potus convertentium se ad Deum: fletus et planctus! En refectio salubris, salutaris: ieiunium!

Tibi igitur similiter restringenda est ingluvies ventris, si peroptas vera potiri ad Deum conversione mentis.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATAE VIRGINIS MARIAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Tulerunt Iesum^c in Ierusalem” (Lc 2[, 22]).

Quid portatur, qui ambulat super pennas ventorum? quid fertur in Ierusalem, qui ubique est? quid legi subiacet Legislator?

Omnia haec ad unam spectant humilitatem, omnia ad te instruendum spectant. Exemplum dedit tibi puer Iesus, ut quemadmodum ipse fecit, ita et tu facias. Non pudeat a Puero, sed Puero sapientissimo discere, quia mitis

^a add. “in” (BSV) ^b add. “in” (BSV) ^c “illum” (BSV)

est et humilis corde¹⁶. Audi, audi: nisi efficiaris, sicut hic Parvulus, non intrabis in Regnum caelorum.

Et qua de causa alia illum hodie accedis, nisi, quas ille Matris in purificatione virtutes exercuit, ab illo discas, deinde ipse exerceas?

2. “Homo iste iustus, et timoratus” [Lc 2, 25].

Satis elogiorum est a Sancto Spiritu iustum quempiam et timoratum appellari. Maior haec laus est, quam dici a mundo fortissimum, [f.103v] sapientissimum, illustrissimum, excellentissimum, serenissimum, augustissimum, eminentissimum.

Simeonis ergo iustitiam sectare, ut sicut palma floreas, et sicut cedrus Libani exalteris, multipliceris. Eum in timore Domini sequaris custodiendo, ut tibi bene sit in extremis. Multos habes in hodierno Evangelio virtutum magistros quique exemplis non verbis docent: habes Iesum, habes Mariam, Simeonem habes.

Si Iesum, uti Deum, si Mariam, uti Matrem Dei non audes tuae conscius debilitatis imitari; saltem ergo Simeonem, uti hominem, homo imitare, ut sis illius instar iustus et timoratus.

3. “Expectans consolationem Israel” [ibid.].

Expende Simeonis huius sanctissimi senecionis desiderium, quo ardebat verum Messiam videndi. Certe hoc fuit tantum et tam efficax, tamque Deo placens, ut responsum accipere mereretur a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Hinc collige, tantum nos referre ex sanctissima Communionem fructum, quantum habuerimus sumendi Christi desiderium.

Cur itaque tu tam frigidus es? cur cum tanto tepore et torpore sacramentis mensam? Maiorem in te, maiorem excita suscipiendi corporis Domini ardorem, ut suscepti maius sentias emolumentum.

¹⁶ Cf. Mt 11, 29: “Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde”.

Post Sanctissimam Communionem1. “Accepit eum in ulnas suas” [Lc 2, 28].

O quis plausus! quae laetitia! quae exultatio! quae voces fuere sancti illius senis, cum in gremio suo iam Natum Messiam datumque teneret! “Nunc dimittis”, inquit, “servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum!” [Lc 2, 29-30] Exauctorari cupit, cum libertatis auctorem in ulnis gestat. Iam vult mori, postquam vidit Salvatorem: non desiderat expectare inter mortales redemptionem, sed pergere desiderat ad mortuos Patres nuncium illis redemptionis [f.104r] allaturus.

Hi sunt effectus iacentis in ulnis animae Christi:

cupire^a/s] dissolvi et esse cum Christo¹⁷;

velle mori mundo et vivere caelo;

omne id putare mortem, quod Christus non est;

vana omnia iudicare praeter amorem Dei.

Recte quisvis suscepto Iesu clamet: “Nunc dimittis servum tuum Domine”.

O peccatum! quod mihi dominaberis hactenus, nunc dimittis servum tuum, quando proprium tenet in ulnis animae Dominum! O immunde munde, cui nimis ah! diu et stulte servivi! nunc dimittis servum tuum, cum alteri, meliori, stabiliiori veroque suo Domino cor transcribit, nulli deinceps nisi illi soli famulaturus.

2. “Venit^b in ruinam, et resurrectionem multorum” [Lc 2, 34].

Optime divus Ambrosius inquit: “Ecce et Simeon prophetat: In ruinam et resurrectionem multorum^c venisse^d Iesum Christum, ut iustorum iniquorumque merita discernat et pro nostrorum qualitate factorum, iudex verus et iustus aut supplicia decernat, aut praemia”¹⁸. Nihil Deus mali relinquit impunitum; nihil boni relinquit irremuneratum.

^a apud antiquos “cupio” in quarta coniugatione legitur ^b “positus est hic” (BSV) ^c “plurimorum” (ACE) ^d *add.* “Dominum” (ACE)

¹⁷ Cf. *Phil 1, 23*.

¹⁸ *AMBROSIUS, Commentaria in Evangelium sec. Lucam (ACE), l. II, c. II : Opera III, Romae 1579, 24.*

Quare tu, si tam prudens es, ut malis ab eo praemium referre, quam supplicium, da operam, ut quantum vires tuae possunt, bonis insudes, mala opera devites.

Magna ergo vi resiste passionibus; magna vi da virtutibus operam assiduam, ut iustus ille Iudex ex tuis actionibus sententiam de te ferens, non ruina te involvat, sed constituat in resurrectione.

IN FESTO SANCTI MATTHIAE APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Revelasti ea parvulis” [Mt 11, 25].

Considera, sapientiam prudentiamque caelestem semper esse contrariam sapientiae prudentiaeque mundanae. Hinc non esse aptos, humanae sapientiae qui confidunt et innituntur, ad capiendam sapientiam divinam, prout notatur in Pharisaeis, Scribis Doctoribusque Hebraeorum. Qui [f.104v] cum sapientes sibi prudentesque viderentur, abscondit illis Pater aeternus caelestia secreta et arcana suae sapientiae, revelavit autem parvulis, rudibus, ineruditis piscatoribus. Cum enim humana sapientia tumorem plerumque parit, divina vero non nisi in humili mente potest consistere; adeo invicem convenire nequeunt, ut earum omnino altera sit relinquenda, ut altera quis potiatur.

Nunc itaque caput humilies tuum, exuas tumentem prudentiam, parvulus fias, cum ad fontem diviniore sapientiae accedis, ut fructuose inde haurias proficuum tibi multisque aliis sapientiam.

2. “Venite” [Mt 11, 28].

Considera non aliter animam sanctissima Eucharistia refici, quam corporali cibo membra laborantia, utque haec deficerent suis in laboribus nisi saepius reficerentur, ita spiritus extingueretur in nobis universus, nisi hac caelesti esca sustentaretur. Quare, ut optimus paterfamilias solet ad mensam perfunctos laboribus operarios convocare, sic caelestis ille Dominus ad sacrum fatigatos spiritus invitans convivium: “Venite ad me”, inquit, “omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos” [ibid.].

O quam multi insipientes sunt, qui rarissime Domino huic invitanti parentes atque mensam illius respuentes animas mori suas fame spirituali patiuntur.

Surge tu ocius, propera quo avocaris, ut caelesti refectus alimonia, fortius in vinea Domini labores.

3. “Onus meum leve” [Mt 11, 30].

Rectissime dicit haec Iesus. Portantem enim onus suum ipse portat et gratia sua ita sustentat, ut minimam oneris sentiat gravitatem. Quodsi nobis aliquando hoc onus (puta afflictionem, tribulationem, tentationem omnemque crucem) acerbum reddit ac ponderosum, id maiore nostro bono meritoque fieri, siquidem iuxta pondus oneris ferenti praemium datur.

Tolle itaque onus Christi, tolle crucem; quae licet tibi gravior videbitur, nihilominus alleviabit eam suae consolationis suavitate, remunerabit aeterna sui visione. Neque alia de causa hodierna die te suam ad mensam vocat, quam ut suum onus tibi leve faciat novasque vires ad alia, si quae tibi sit impositurus, ferenda conferat. [f.105r]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus” [Mt 11, 25].

Considera nemini sapientum prudentumque sanctissimae Eucharistiae mysterium patefieri, quoniam plus ii scrutari volunt rationibus, quam fide credere: in hoc vero Sacramento tam occulto et abscondito sensuum defectui fides supplementum praestat¹⁹.

Non credit ille tamen hic verum esse Deum et hominem, qui, eo sumpto, non se gerit ita, prout angeli se gerunt in ipsius conspectu: qui dissolvitur, qui insolescit, qui non mentem suam in tanto beneficio considerando occupat, qui denique in praesentia suscepti a se Numinis, nec calet amoris igne, nec fervore devotionis exardescit, sed persuadet sibi satis esse, si unica oratiuncula pro Communionem gratias agat, deinde se protinus aliis negotiis involvit. Profecto

¹⁹ Cf. *Hymnus: “Pange, lingua...”, v. 5: “Tantum ergo sacramentum [...] praestet fides supplementum sensuum defectui”, in: Liturgia Horarum III, 486 (Sollemnitatis Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, Ad I Vesperas).*

tam sapienti prudentique homini mysterium Dominici corporis est absconditum. O similem sapientiam prudentiamque fuge!

2. “Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde” [Mt 11, 29].

Attentissime audi, discite, exequere facto, quam lectionem tibi nunc caelestis Magister in cordis exedra praelegit.

Esto, inquit, humilis et mansuetus: fuge alta et sublimia, ad infima vero demittere. Non te efferat vel scientia, vel alia singularia talenta praeter alios soli tibi concessa, vel devotionis gratia, vel amicorum multitudo, vel honorum sublimitas, vel humanus favor, vel denique aliud quidpiam, sed humilis esto corde: mihi virtutes, tibi vitia; mihi bona, tibi mala; mihi omnia, tibi nihil adscribe.

Exemplo discite meo in omnibus demitti, contemni, confundi, viliora eligere, nunquam nisi ad abiectissima aspirare: “Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde”.

“^a Non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia^b facere, et mortuos suscitare; sed «quoniam mitis sum, et humilis corde»”²⁰. [f.105v]

IN FESTO SANCTI CASIMIRI CONFESSORIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Sint lumbi vestri praecinctorum” (Lc 1[2, 35]).

Considera, quanti sit pretii angelica virtus, ad quam, tam ferventer Magister caelestis suos discipulos exhortatus est. “Lumbos enim praecingimus”

^a in sermone s. Augustini haec allegatio praeceditur his verbis: “[...] et discite a me:” ^b “miracula” (PL)

²⁰ AUGUSTINUS, *Sermo 69, c. 1, 2*: “*Humilitas fundamentum aedificii spiritualis*”: PL 38, col. 441. In margine haec allegatio citatur: “*Aug[ustinus] ser[mo] 10 De verb[is] D[omi]ni*”. Cf. etiam: IDEM, “*De sancta virginitate*”, lib.I, c. 35: “*non dicit: Discite a me mundum fabricare, aut mortuos suscitare, sed: “Quia mitis sum et humilis corde?”*”: PL 40, col. 416.

(inquit Romanus Doctor) “cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus”²¹.

Vere nihil est pretiosius, nihil praestantius, nihil acceptabilius Deo, castitate. Quam divum Casimirum tanti fecisse scito, quanti nec propriam quidem vitam fecerit. Suadebant ipsi lecto affixo medici, ut licito connubio lethalis morbi remedio praesentissimo uteretur. Ille tam generoso animo abominandam medicinam respuit, ut illud omnibus saeculis admirandum, omnibus castimoniae lege obstrictis imitandum actu dictum ederet: “Malo mori, quam faedari”. Dixit et facto dictum confirmavit²².

O te felicem si tantae virtutis aemulatione cum Divo hoc integerrimo decertes, tum saltem, cum ab impuris geniis impugnaris!

2. “Et lucernae ardentes in manibus vestris” [ibid.].

Meditare, divo Caimiro ad cingulum castitatis non lucernam bonorum operum defuisse. Nam praeter alia, tanto zelo orthodoxam religionem propagabat, tanto studio schismata eruere conabatur, ut a Patre Rege Senatuque Polono decretum petierit ac obtinuerit, quo vetitum severe fuit, ne ullas deinceps Graeci Schismatis in Russia sectatores suae sectae ecclesias ponerent novas, aut veteres restaurarent, quo facto suum brevi finem schisma fuisset habiturum²³.

²¹ GREGORIUS MAGNUS, *Homilia XIII* : PL 76, col. 1123 (n. 1481). Cf. CORNELIUS A LAPIDE, *Commentaria in Quatuor Evangelia, III: In SS. Marcum et Lucam, Comment. in Lucam, c. XII, 35*: “Mystice, lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam (cuius, uti et seminis, origo est in lumbis) per continentiam coarctamus, ait s. Gregorius, hom. 13”.

²² Cf. ANON., “Kazimierz św. (4 Marca), (1458-1484): *Ekość X, 273-274*: “Kiedy młodzieńcowi zagroziła ciężka choroba, lekarzom mniemającym, iż ofiarą swojej czystości zdrowie odzyskać może, odrzekł stanowczo: “wolę umrzeć niż się zmacać”. A chociaż i sami rodzice i inni przyjaciele od lekarzy namówieni usilnie go do tego zachęcali, święty młodzieniec strofował ich, iż ‘śmieli grzech mu doradzać’”. Cf. etiam: FERRERIUS Zacharias, “Vita S. Casimiri” (c.III, n.12): BOLLANDUS Ioannes, *Acta Sanctorum Martii I, Antverpiae 1668, 347ss*: “Quum enim [...] in morbum quemdam chronicum incidisset, cui medela alia nulla occurri posse, quam puellari concubitu medici iudicabant [...]; ille [...] respondit, se temporalem hanc et momentaneam vitam malle amittere, quam aeterna et immarcescibili in caelo carere: obiurgabatque eos omnes quod rem sibi suggerere illicitam non erubescerent.”

²³ Cf. SUŽIEDĖLIS Simas, “San Casimiro (1458-1484)”, Roma 1984, pp. 24-25: “Qualche storico ha scritto che San Casimiro facesse pressione presso il padre perché a Vilnius ed

O utinam tu ad etiam bona opera in sanctissima Eucharistia accendaris, ut luceat illis anima tua coram hominibus et ob id caelestis ille Pater glorificetur.

3. “Vos similes hominibus expectantibus” [Lc 12, 36].

Expende, divum Casimirum iam beatifica perfrui visione et solatiis gloriae patriaeque caelestis inundare: te vero esse adhuc expectantem [f.106r] illum facie ad faciem Deum contemplari, te sub specie panis eundem sumpturum. Atque haec non postrema foret tua felicitas, si te digne ad suscipiendum praeparare studeres.

O si vel minimam [partem] fervoris illius habeas, quo sanctissimus hic princeps erga hoc Sanctissimum Sacramentum aestuabat! O si vel exiguum scintillam amoris possideas, quo ille erga huius Domini, quem sumpturus es, Matrem flagrabat! quem testatus es[t] hymno illo aureo per se scripto, secum tumultato, in pectore denique suo multos post obitum annos integerrimo reperto!²⁴

in altre città della Lituania impedisse agli ortodossi la costruzione di nuove chiese e il restauro di quelle preesistenti. Nulla di più falso. [...] L'unica cosa che sull'argomento San Casimiro chiese al padre, fu di non far costruire chiese nuove nei luoghi dove i Bernardini avevano le loro missioni: né certamente era fra quei luoghi la città di Vilnius, in cui convivevano pacificamente le due religioni”.

Cf. GUSTAW Romuald, “Kazimierz Jagiellończyk (1458-1484), in: “Hagiografia Polska” I, Poznań 1971, 742-743: “Z ostatnim pobytym Kazimierza na Litwie łączy się tradycja o rzekomym wymuszaniu przez niego na ojcu wydania dekretu zabraniającego budowy nowych i odbudowy zniszczonych cerkwi prawosławnych. Bezpodstawność tej tradycji została w sposób ostateczny udowodniona przez nowszą historiografię polską (Fijatek).”

Cf. PAPCZYNSKI Stanislaus a I.M., SP, “Praxis Pro lege D. Casimiro instante lata, de non restaurandis Schismaticorum templis, a Polonis Proceribus reassumenda”, in: “Prodromus Reginae Artium sive Informatio Tyronum Eloquentiae”, ed. 4-ta, Cracoviae [1669/1670 ?], pp. 56-60 (P. I, Num. II, c. V: “De Legislatione”).

²⁴ *RABIKASKAS Paolo, “Casimiro (Kazimieras, Kazimierz), principe..., santo”, in: BS, III, 903: “Taluni attribuiscono a Casimiro il cantico “Omni die”. In favore di questa opinione sembrava venire una rubrica nel libretto di preghiere del fratello di Casimiro, Alessandro, scritto nel 1490 [...], dove il cantico viene introdotto con la nota: “Alia oratio Illustris principis Kazimiri, Serenissimi Poloniae regis nati. Oratio quotidiana”; pareva, inoltre, avvalorare l'ipotesi il fatto che, aprendo il sepolcro del santo nel 1604, si trovò in esso una copia dello stesso cantico. Ora si sa che il cantico ebbe origine nel XIII o nel XIV sec., ma si deve alla grande pietà mariana di Casimiro, se l'inno “Omni die dic Mariae” è ancor oggi*

Pete hunc fervorem et amorem tibi a Deo intercedente divo Casimiro infundi eidemque terrestrem patriam tuendam commenda.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Invenerit vigilantes” [Lc 12, 37].

Sicut paterfamilias desidem operarium, dominus famulum somnolentum, ita Deus odit animam negligentem. Et quomodo illi tales quantocius expediunt domo sua, a servitiis amoveant, sic iste pigros ac segnes rebus in divinis arcet a se, iuxta illud: “Quia ^ate inveni tepidum^a [.....] incipiam te evomere ex ore meo” [Apoc 3, 16].

Contra fervidis, at diligentibus servis certissimam beatitudinem appromittens: “Beati”, inquit, “servi illi, quos cum venerit dominus”, et pulsaverit ianuam²⁵, “invenerit vigilantes” [Lc 12, 37].

Quare tu procurato, ne divinis in obsequiis tepescas, praesertim cum te tanta pietate ad sacratissimam suam mensam tam frequenter admittat.

2. “Et si venerit in secunda vigilia” [Lc 12, 38].

Considera, continuum fervorem et maiorem cum tempore in virtutibus requiri a te progressum. Nam quis esset tam imprudens imperator, qui militem initio tantum militiae bonum, laboriosum, obsequentem, sed deinceps dissolutum praemio cumulet? Deus, volens te aeterna mercede afficere, vult ut perpetuum vigiles, ferveas, labores, proficias. [f.106v]

Neque decorum, non modo non meritorium est, militem Dei principio fervere, tentationes propulsare fortiter, in omni genere mortificationis orationisque, in omnis virtutis actu sese exercere strenue, paulo post deficere et quasi victis vinctisque manibus hosti palmam porrigere²⁶.

conosciuto e cantato dai fedeli.” Cf. etiam: BOLLANDUS Ioannes, *Acta Sanctorum Martii I, Antverpiae 1668*, “De S. Casimiro Poloniae Regis Filio”, “VI: “S. Casimiri Hymnus”, nn. 39-40: “...de B. Virgine, qui sic incipit, Omni die dic Mariae..”

a-a “tepidus es” (BSV)

²⁵ Cf. Lc 12, 36.

²⁶ “Ponitur saepe palma pro victoria” (SLL, s.v. “Palma”, ubi causa datur).

Ad maiores ergo te labores praepara, ad graviore tentationes, ad continuas desolationes: siquidem ad perfectam beatitudinem spectat, ut in prima vigilia, hoc est religioso tyrocinio et in secunda, id est post professionem et demum in tertia vigilia, nempe prope obitum, declinante iam ad occasum aetate, vigilans inveniariis.

3. “Hoc autem scitote”, etc.[Lc 12, 39]

Considera Divinum Verbum, multoties parabolis usum, hanc non parvi momenti protulisse, de fure patreque familias: qua nos docet, ut nunquam non parati simus ad supremam diem obeundam. Cum enim, teste patientissimo sapientissimoque Iobo: “Militia est vita hominis super terram” [Iob 7, 1], semper est nobis manendum in excubiis. Quod caelestis Magister declarat, introducens patremfamilias; qui tota utique nocte somno non sese permetteret obrui, si furis adventum ad fodiendam suam domum non ignoraret.

Proinde, veluti mortales ob amissionem temporalium bonorum diu noctuque vigilare fas est, sic te omni momento attentum esse oportet, ne bona donaque immortalia perdas ac inanis meritorum a morte deprehendaris.

**IN FESTO SANCTI IOSEPH
SPONSI BEATAE VIRGINIS**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Cum esset desponsata mater eius” (Mt 1[, 18]).

Non est tibi tam profundum mysterium coniunctae virginitatis cum maternitate, maternitatis cum virginitate, perscrutandum, sed potius in stuporem eundum, [f.107r] tuae gratia salutis haec facta fuisse.

Quid hoc est? quid est hoc? Virgo manet intemerata, et tamen Mater est; Sponsum habet, Virgo tamen est. Uterque Sponsus virginitatis incorruptum lilium gerit, tamen inter eos medius Filius cernitur, adoratur. O admirabile

mysterium! plenum stupore! dignum veneratione! Virgo virum non cognovit et in utero gestat Deum simul et Hominem, Hominem simul et Deum: Deum ante saecula sine matre ex Patre natum, Hominem in tempore sine Patre, in Matre Spiritus Sancti opera formatum. Profecto nullum est mysterium, quod magis veneremur, admiremur, stupeamus. Nullum ex divinis operibus excellentius.

Tu, pulvis et lutum, vides, tui quid causa Deus fecerit? quo se Natus demiserit? quo Patris omnipotentia extenderit? Et non amabis?

2. “Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto” [ibid.].

Antiquorum ethnicorum mulieres fingebantur ex diis parere²⁷: falsum est, scelus est, gentilis error est. Maria Virgo sanctissima habet in utero Filium Dei ex Spiritu Sancto: mysterium est, gratia est, fidei articulus est. Et recte quidem ex Spiritu Sancto concepisse dicitur, quae plena fuit gratia, plena Spiritu Sancto.

O si id actionibus de tuis asseratur, quod ex Spiritu Sancto procedant, Spiritu Sancto perficiantur! Magna sane felicitas est, habere Spiritum Sanctum; maior, operari secundum Spiritum Sanctum; maxima, conficere dies suos in Spiritu Sancto. Quid dicam, aut quid cogitabo de ea, quae ex Spiritu Sancto conceptum filium virginali utero gestat? O felicissima virginum! o parentum beatissima!

Ex intimo affectu talem praerogativam tibi gratulor, tibi inquam ex universo Divarum Feminarum choro uni solique concessam. Effice, ut secundum Spiritum Sanctum vivamus et moriamur.

3. Voluit occulte dimittere eam” [Mt 1, 19].

Facile et sancti de sanctis suspicari possunt, praesertim externa sese offerente causa. Quid Iosepho sanctius? quid Virgine sanctissima purius? et tamen voluit occulte dimittere eam. Sed istud quam prudenter et sancte! Non publice dimittere eam voluit, ne diffamaret, sed occulte, ut in bono nomine conservaret.

²⁷ PARANDOWSKI Jan, “Mitologia”, p. 173: “Postacie podań greckich nazywamy bohaterami lub herosami. Zazwyczaj byli to synowie bogów urodzeni z kobiety śmiertelnej”.

Disce tu ex sancto iustoque Viro: quod, licet tibi aliorum opera mala esse videantur [f.107v] et imperfecta dicantur, occulte tibi iudicanda sint, non aperte et ita iudicanda, ut neque tua conscientia, neque illorum fama laedatur. Quod si hunc in modum feceris, non defuturum tibi lumen est, ut recte iudices; sicut non defuit iusto sanctissimae Virginis viro, ut agnosceret veritatem, unde illa concepisset.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Ioseph autem vir eius cum esset iustus, noluit^a eam traducere” [Mt 1, 19].

Considera, non politico more, sed summa ex charitate, divum Senecionem^{b28} noluisse Virginem beatissimam traduxisse ac quod esset vir iustus.

Quodsi, tu, inique super alterius inquiris actiones, si impium traducendi alios morem habes, aut certe de aliquo imprudenter ac sine fundamento suspicaris, scito procul te a tramite iustitiae aberrare et titulo hoc praestantissimo iusti viri indignum esse. Imiteris ergo divum Iosephum, ac prius linguam dentibus castiges, quam de alienis moribus aut operibus sententiam feras.

2. “Angelus Domini apparuit in somnis ei” [Mt 1, 20].

Vides, quomodo meruit habere caelestem monitorem, qui noluit agere praeproperum delatorem vel traductorem. Solet enim Divina Bonitas illos instruere veritatem, qui de illa circumspecte dubitant: neque sunt veloces in suspicionibus admittendis.

^a “et nollet” (BSV) ^b “senecio” - est deminutivum a “senex”

²⁸ STANO Gaetano, “Giuseppe, santo. - Sposo di Maria Vergine” : *ECat VI, 791ss. p. 795s*: “... negli Apocrifi... è l’asserita età decrepita di Giuseppe al tempo dello spozalizio con Maria. È una leggenda che devesi rigettare, quantunque abbia fatto presa nella fantasia popolare, fino ad oggi. [...] ... Nelle rappresentanze più antiche (dei primi cinque sec.)... il Santo non è mai rappresentato in sembianze di vecchio, ma di... giovane o di uomo maturo nel pieno vigore degli anni [...]. Solo più tardi, per l’influsso degli Apocrifi, si cominciò a rappresentarlo ... in sembianze senili... Non è possibile tuttavia determinare esattamente l’età di Giuseppe al tempo del matrimonio con Maria: doveva probabilmente oscillare sui 30-40 anni.”

Recte igitur istud monitum Religiosi Doctoris observandum est: “Non est credendum omni verbo nec instinctui: sed caute et longanimiter res est secundum Deum ponderanda”²⁹. “O quam bonum et pacificum, de aliis silere; nec indifferenter omnia credere”³⁰.

3. “Ipse [.....] salvum faciet populum suum a peccatis eorum” [Mt 1, 21].

O plena spei verba! quae lapsorum animos erigunt, debiliū confortant, iustorum beatificant! Si hic ipse Dominus tuus et Salvator est, quem sumptum corporaliter intra tua viscera tenes; si hic cibus et salus tua est, quid aliud ab eo tibi petendum praeter salutem? Hanc, ipse iubet, ut petas, cum inquit: “Petite^a [.....] primo^b regnum Dei” [Mt 6, 33].

Petant igitur alii fluxas mundi divitias, tu pete aeternas caeli opes; rogent [**f.108r**] honores et dignitates, tu per contemptum tui ad astra conte[n]dere studi; efflagitent longam vitam, scientiam, et quidquid eorum cor desiderat, tu fieri tecum divinam voluntatem expostula, felicem aeternitatem appete. Salutem, salutem animae unicum ora: sanctissimum infantis Salvatoris nutritium, tuarum internuncium precum, tuorum desideriorum interpretem habebis.

^a “Quaerite” (BSV) ^b “primum” (BSV)

²⁹ THOMAS à KEMPIS, “*De Imitatione Christi*”, p. 13: Lib. I, c. 4, “1.

³⁰ *Ibid.*, p. 302: Lib. III, c. 45, “ 30.

**IN FESTO
ANNUNCIATIONIS BEATAE VIRGINIS**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Missus est Angelus Gabriel [.....] ad Mariam^a Virginem” (Lc 1[, 26-27]).

Considera, magnum exercitus angelici^b Polemarchum³¹ in sollemnissima ad integerrimam Virginem legatione missum fuisse propter excellentiam divinatorum consiliorum et mysterium incarnandi Verbi atque praestantiam ipsius sanctissimae Virginis Mariae. Sicut enim reges huius mundi ad magnas personas non nisi magnos viros et nomine et re et magnae auctoritatis in republica ablegare solent, ita exigebat cum divinae maiestatis amplitudo, tum beatissimae Virginis interque omnes mortales celsissimae sublimitas, ut praecipuus archangelorum ad eam mitteretur.

Tu vero quos nuntios excellentes et qua in causa ad eandem mittis hodie? Mitte vota ferventissima precesque humillimas excellentium legatorum vice in causa nempe salutis: aut potius ipse eam, fingens te unum e homicidis qui ad civitates refugii se recipiebant³², accede portamque misericordiae pulsans clama solenni formula: “Sancta Maria, Mater Dei ora pro nobis peccatoribus”, etc.

^a *om.* “Mariam” (BSV) ^b *in ms. erronee:* “angeleci”

³¹ PAOLI Ugo Enrico, “Polemarcho”, in: *EI XXVII*, 616: “Era uno dei nove arconti ateniesi. [...] In origine il polemarcho [...] era il comandante dell’esercito e aveva la suprema direzione della guerra.”

³² SZLAGA Jan, “Azyl”, in: *EK 1*, p. 1221: “Ottarz nigdy nie przestał być miejscem azylu, lecz z biegiem czasu, w okresie politycznej stabilizacji Izraela i może również pod wpływem laicyzacji życia religijnego, prawodawca deuteronomiczny wyznaczył dla nieumyślnego zabójcy tzw. miasta ucieczki: Beser, Ramot, Golan, Kadesz, Sychem i Hebron (Pwt 4, 41-43; 19, 1-3; Lb 35, 9-34; Joz 20, 7-9). [...] W mieście ucieczki zabójca zobowiązany był przebywać do śmierci arcykapłana (Lb 35, 25), z którą kończył się pewien okres historii i następowata amnestia.”

2. “Turbata est in sermone eius” [Lc 1, 29].

Binas fuisse causas turbati animi Virginis beatissimae considera. Primo, consternata fuit ideo, quod ab illusionem Stygia sibi metueret caveretque. Secundo, eam ob rem commota erat, quod laudes suas a caelesti nuntio [f.108v] recenseri audiret, quas propter sui vilem aestimationem et seriam submissionem audire nollet.

En quantam doctrinam spiritualem ab ista Virgine sapientissima percipis! Docet, timendo Angelum, cautum te in videndo esse oportere et cuiusvis formae, etiam sanctae fortassis aspectum debere exhorrescere. Docet pestiferum aerem praeconiorum vitare laudesque proprias penitus abominari.

Nam si illa omnes creaturas divinis dotibus excellens suas laudes, etsi meritas timet auscultari, quamvis nihil habuerit in se, quod non angelicis praeconiis celebrandum foret, tu quomodo laudes appetes, qua ratione vanae gloriae vento cupies afflari et vel te ipsum iactabis, vel ab alio gaudebis extolli, si contrario modo nihil in te potest inveniri, quod vel minimo elogio dignum sit.

3. “Cogitabat qualis esset ista salutatio” [ibid.].

Perpende, quomodo Virgo beatissima non statim consentit angelicae salutationi, sed prius illam expendit, ut agnoscat, an illa visio caelestis sit et bona, vel orci tentatio illusioque mala?

Pari ratione tibi in omnes instinctus internos animadvertendum est: examinandi prius, an a Deo proficiscuntur, quam implendi sunt. Cum enim Virgo beatissima non nesciret, angelum tenebrarum saepius in angelum lucis transformari, non confestim credendum illi legationi censebat, ne vel deciperetur, vel temere in tanti momenti rebus agere videretur.

Quamobrem et tu, in quibusvis exequendis suggestionibus immorare: proba spiritus, utrum ex Deo sint, nec facile internum ductum sequaris, habens modo hoc deceptorum infinita exempla. [f.109r]

4. “Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum” [Lc 1, 38].

O sublimem demissionem! o profundam sui vilipensionem! o inexplicabilem humilitatem Virginis istius beatissimae! Mater Dei ab

angelo salutatur et illius se famulam, imo Divinae Matris famulam esse velle profitetur. [“]Gratia plena[”][Lc 1, 28] dicitur et abiectissimam se proclamat. Sancti receptaculum Spiritus declaratur et infra omnia se demittit. Atqui saltem respectu creationis hominum quivis Dei se filium dicere potest; haec tamen Virgo humillima, nonnisi ancillam Domini se esse testatur: “Ecce ancilla Domini”.

Quomodo abhinc fastuosas aut praesumptuosas, tu, cogitationes sustinebis? cum nobilissimam viraginum [s], imo omnium creaturarum praestantissimam tam humiliter sentientem de seipsa audis?

O anima mea! ne amicam divinam posthac, obsecro, iactites; imo neque servam eius te appelles, sed unicum pulvisculum pedibus omnium conculcandum. Nisi forte aliquid a te fieri velit, tum tibi licebit dicere: “Ecce ancilla Domini”.

Neque vero prohiberis iisdem in praesenti sanctissima Communionem verbis uti, sed cum te indignam undequaque tanto Domino suscipiendo videas, ille vero velit, imo urgeat, ut ad eum suscipiendum properes, ex intimo corde dic: “Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum”.

Vis, Domine, tibi ut in corde meo mansionem concedam? atqui impurum et plenum variis sordibus est; urges nihilominus et clamas: “Praebe [.....] ^amihi cor tuum^a” [Prov 23, 26]. “Ecce ancilla Domini”. “Paratum tibi^b cor meum”, “fiat mihi secundum beneplacitum^c tuum”. [f.109v]

Post Sanctissimam Communionem

1. Ne timeas” [Lc 1, 30].

Considera, qualiter hic Archangelus Virginem sanctissimam animet, atque, ne metuat ullum dolum fraudemque, exhortatur. Quamobrem? “Invenisti enim”, inquit, “gratiam apud Deum” [ibid.]. Hinc, illis hominibus, qui in gratia sunt, nec ipsos inferos esse metuendos agnosce.

^{a-a} “cor tuum mihi” (BSV) ^b om. “tibi” (BSV) ^c “verbum” (BSV)

^d om. “enim” (BSV)

[“]Si enim^d Deus[”] (dicere cum Paulo possunt) [“]pro nobis, quis contra nos?[”][Rom 8, 31] Nempe **Satis bene equitat, quem gratia Dei portat**³³.

Gratulatus itaque maximas et singulares gratias Virgini beatissimae, petes ab ea, tibi ut impetret continuum statum gratiae, “ne timeas” mundum, orcum et mortem.

2. “Ecce concipies” [Lc 1, 31].

Perpende, beatissimam Virginem maioribus donis ac favoribus cumulata, maiori sanctitate exornata post conceptum Dei Filium, quam antea fuisse. Et veluti arbores fructibus suis maxime decorantur, sic illa a sanctissimo ventris sui Fructu pulchritudinem, decorem, sanctimoniam accepit inauditam.

Similes quoque, tu, effectus sanctissimae Eucharistiae sumptae sperare debes, nec impedire, ut humili, obediente, forti patienteque Iesu tuis in visceribus hospitante, humilior, obedientior, fortior patientiorque, quam antea fueris, existas.

3. “Regni eius non erit finis” [Lc 1, 33].

Quanto gaudio affici debes, qui te militem, imo filium, eius Imperatoris, qui aeternum regnaturus est, esse vides? Omnes enim Christi fideles, adoptati eius filii et cohaeredes Regni caelestis sunt, **[f.110r]** potiori tamen iure homines religiosi, qui evangelica amplexi consilia, regulam apostolicam professi, exacte Christi Domini vitam imitari contendunt.

Si igitur eum sibi regem maxime gratulantur subditi, sub cuius imperio temporali pace ac felicitate perfruuntur, quomodo tibi non es gratulaturus illum Dominum, qui tibi Regnum aeternum paravit, modo iugum ipsius non excutias? Quodsi demum Regnum caeleste nullum finem habiturum audis, vide, ne verearis illud maxima vi aggredi et violentia rapere, cum pro regnis perituris tot labores, pericula bellaque homines subeant et parent!

³³ *Videtur quod sit hic allegata sententia proverbialis cuius origo est pro nobis ignota.*

IN FESTO SANCTI ADALBERTI ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Quia mercenarius est” (Io 10[, 13]).

Considera, qua intentione Deo in Religione servias; num tanquam filius ex amore filiali, vel instar mercenarii propter mercedem aliquam temporalem, nempe ratione honorum, scientiarum, commoditatum atque similis cuiuspiam transitorii boni ductus.

Mercenarius insuper fueris, si perfunctorie frigideque munia tua obeas pictamque religiosi geras personam. Sin vero praemium laborum tuorum, quos unice crucifixi Numinis amore suscipere debeas illamque solam mercedem statuis, de qua quidem Dominus: “Merces”, inquit, “mea^a magna nimis” [Gen 15, 1]: verum te servum esse Dei, non mercenarium.

Non caruit hac mercede ille, cui scripta sua coram Deo repraesentanti dictum, quid pro illis accuratissime elucidatis ad mentemque Dei elaboratis praemii vellet? Solum Deum poposcit³⁴.

Vide, utrum hoc praemium tu quoque iure extorqueas. Quamvis enim pro Domino omnia facias, si indigna Domino facis, Dominus non erit merces tua. [f.110v]

^a “tua” (BSV)

³⁴ *Agitur de S. Thoma de Aquino. Cf. BOLLANDUS, op. cit. (Vita S. Thomae Aquinatis - VII Martii) I, 670s: “...in conventu Neapolitano de praedicto Doctore Frater Dominicus de Caserta Sacrista... advertens Fr. Thomam semper de camera sui studii ad ecclesiam ante Matutinas descendere, et ne videretur ab aliis ad suam cameram festinus redire, semel ipsum curiosius observavit. Et accedens retro in capella S. Nicolai, ubi fixus in oratione manebat, vidit ipsum quasi duobus cubitis elevatum in aere. De quo diu admirans, subito audivit de loco, d quem praedictus Doctor conversus erat ad orandum cum lacrymis, huiusmodi vocem de imagine Crucifixi: Thoma bene scripsisti de me, quam recipies a me pro tuo labore mercedem” Qui respondit: Domine, non nisi te. Et tunc scribebat tertiam partem Summae de Christi passione et resurrectione.”*

2. “Non pertinet ad eum de ovibus” [ibid.].

Expende, tam mercenarios, quam veros pastores Deum simul in ovili suo pati: sed segregabit illos tandem die illo, quo segregabuntur hirci ab agnis, boni a malis, iusti ab impiis, electi a reprobis.

Ita potest etiam te, si mercenarius sis, inter oves suas, id est religiosos, sustinere; ad praemia tamen et ovile caeleste cum veris religiosis non te admissurus est, nisi omnino mercenarii, tepidi inquam, instabilis, negligentis et imperfectissimi religiosi personam exueris. Magnam tamen etiamnum gratiam tibi praestat, cum te indignum ac paene inimicum suum, una cum amicis suis ad sacram mensam admittat. Sed ne hac liberalitate decipiaris, vide. Multa multis hic Dominus bona donaque confert, multos ad convivium suum vocat, dissimulans eorum perversos malosque mores; at postmodum strictissime eos iudicaturus est.

Cave obsecro et operam diligentem adhibe, ne tibi mercenario, tam religiosus status, quam Sacramentorum frequentissimus usus sit in perditionem.

3. “Cognoscunt me meae” [Io 10, 14].

Contemplare, te veram esse Dei ovem, si tuum Pastorem Iesum cognoscis. Contra, non esse te ex illius ovili, si nullam illius habeas cognitionem. Sed quomodo possis cognoscere Deum, si nondum te ipsum cognoscis? quomodo Sacramenti huius, quod accedis, virtutes, excellentiam dignitatemque intelligere, si vitia cum quibus accedis quaeque tuam mentem summovere a cognitione Dei impediunt, non intelligis, non vides, non reseca?

Nosce itaque primo teipsum, si Deum vis cognoscere: nosce tuas passiones ac imperfectiones, si habes animum divinas virtutes ac perfectiones cognoscendi. Postquam in tui cognitione satis laboraveris, tum facile Deum cognosces; in cassum vero perdis operam, cum absque tui ipsius cognitione, ad divinam vis pervenire notitiam. Quodsi non eniteris, ut noscas te, Deum non cognosces. Et vae tibi si non cognosces tuum pastorem, quia ille etiam te suam^a esse oviculam non agnoscet. [f.111r]

^a in ms. erronee: “suum”, non concordans grammatice cum “oviculam”

Post Sanctissimam Communionem

1. “Animam meam pono pro ovibus meis” [Io 10, 15].

O charitatem! o beneficium! o incredibilem inauditamque gratiam! Audis, anima mea, quid Servator tuus dicat et quidem quid dicat ex corde? “Animam”, inquit, “meam pono pro ovibus meis”. Magnum aliquid et inexplicabile his in verbis latet. Non hic sensus est de corpore crucifigendo, sed de anima Pastoris optimi causa ovium suarum crucianda. Ac si dicat: non solum corporis mei artus ad inauditos cruciatus pro vobis, oves meae, expono, sed etiam omnes animae partes ac potentias.

Sed dices: quomodo anima mortuus erat? Quomodo iussit te, ut animam tuam odio prosequaris, mortificando tuos scilicet affectus malos, passiones, cupiditates, intellectum, iudicium, voluntatem, ita ipse animam suam posuit pro te, cum Iudaeorum Pharisaeorumque linguas, obtrectiones, maledictiones, blasphemias sustineret, quas non corpus, sed anima patiebatur. Quid? solam tantum tristitiam in horto Gethsemani afflictationemque expende: ibi, ibi totam Iesu animam mortuam fuisse invenies.

O igitur quantum debeas tam amanti tui Domino, vide ac redde.

2. “Et alias oves habeo” [Io 10, 16].

Omnium salutem hominum a Salvatore mundi pietissimo curari expende et non tantum iustorum beatitudini eum attendere, sed etiam vel praecipue peccatorum. Quod tum facit ipse, cum eos per Sanctissimi Sacramenti frequentationem, per varias inspirationes perque innumera sua beneficia in eos effusa convertit ad se. Sicque fit, ut illae, quas iam daemon signo suo notaverat oves, rursus ad ovile Christi reducantur et salventur.

O te ipsum quoties abs te per graviore noxas abalienatum revocavit! quoties ex inferni mercenarii ovili retraxit! quoties, tanquam ovem perditam quaesivit; quaesitam summo labore invenit; inventam nutrit, pavit, custodivit. Tu tamen ah! quoties a tam bono Pastore per peccatum recedis! [f.111v]

3. “Propterea me diligit Pater” [Io 10, 17].

Causam amoris erga se paterni dicit Christus Dominus esse hanc, quod pro salute mortalium animam suam tradiderit. Neque tu aliter amantem tui Deum experieris, quam si curam habueris proximi salutis amoreque illius omnia dura, ardua, molesta susceperis et toleraris. Amari enim a Deo indignus est, a quo proximus non amatur: non meretur a Summo Bono amari, qui propter Summum Bonum sibi male facientes non amore persecutus est.

Vis, te ut Deus diligat? dilige tu ob Deum proximum. Quodsi ipse tot bona in dies recipis a divina manu, cur aliis quoque non bene facias? Deus tuae saluti serviens animam suam profudit; tu ob salutem proximi leves fugies labores? Hoc modo, crede, neque tu Deum amabis, neque Deus amabit te. “Maiorem” siquidem “charitatem^a nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis” [Io 15, 13].

IN FESTO SANCTI MARCI EVANGELISTAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ego sum vitis vera” (Io15[, 1]).

Pone tibi ob oculos aliquem patrem familias vitium bonitate suarum gloriantem, vindemiarum exultantem adventu, ubertate botrorum laetantem, sed etiam in eorum collectione operarios ad sumendum (si non avarus fuerit Euclio³⁵) invitantem.

^a “hac dilectionem” (BSV)

³⁵ Cf. PLAUTUS Titus Maccius, “Aulularia”, quae comoedia ita incipit: “Senex avarus vix sibi credens Euclio - Domi suae defossam cum multis opibus - Aulam invenit”, in: “M. Actii Plauti Asinii Comici clarissimi comoediae quinque”, 3, ff. 73-101, [Colophon: Argentorati 1514].

Cf. KOPALIŃSKI W”. , “Słownik mitów i tradycji kultury”, Warszawa 1985, p. 1072: “Za pierwowzór skapca w literaturze europejskiej można by uważać wzbogaconego nagle biedaka Eukliona w “Skarbie” («Aulularia») Plauta”.

Haec, inquam, cogita et simul te ad Christum convertens, eum quasi ex altari tibi perorantem audi: quomodo se Vitem esse veram pronuntiet atque hac ratione, ut eum accedas, tacite suaviterque invitet. Festina itaque, ut bibas de genimine Vitis huius non solum ad delectationem, sed etiam ad satietatem.

2. “Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum” [Io 15, 2].

Considera, enitendum tibi esse, ut maxime fructuosae sint tam frequentes Communiones tuae. Sentis enim, quem interitum palmiti minetur [f.112r] Christus Dominus fructum in se non afferenti. Quodsi non immerito servis pigris et inutilibus domini solent exprobrare, frustra ab iis panem suum comedi, cum nihil penitus laborent. An inique te Iesus arguet, quod panem angelicum, si nullus erit fructus Communionis tuae, gratis sumas?

Ah! cave, ne tibi id contingat, quod illis palmitibus, qui expectati ut facerent uvas, fecerunt labruscas³⁶.

3. “Omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat” [ibid.].

Expende, quam grati illi sunt palmites qui fructum ferunt; quam amabiles illi servi, qui laborant in vinea Domini. Quam accepti Deo illi religiosi, qui saluti cooperantur animarum, adeo, ut, etiamsi aliquas imperfectionis, salutis gratia cum imperfectis conversando per fragilitatem contraxerint maculas, purget illos, ut “fructum plus afferant”. O si tu unus ex iis esse possis! qui quantum possunt pro Domino faciunt, ut fructuosi palmites inveniantur.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Iam ^a mundi estis” [Io 15, 3].

Haec dicta sunt a Christo discipulis: “Iam mundi estis”. Sed cur mundi? “Propter sermonem”, inquit, “quem locutus sum vobis” [ibid.].

^a add. “vos” (BSV)

³⁶ Cf. Is 5, 2. 4.

Numquid, tu, ultra immundus eris, qui totum Christum tua in viscera admisisti? Nam si sermo Domini tam efficax est, ut audientes mundet, quam melius mundare potest ipse Dominus eos, a quibus fuerit sumptus? Picem qui tangit, coinquinatur ab illa; contra qui tangit Agnum immaculatum, qui Panem comedit mundissimum mundabitur omnino. Sed ne tu huic rei ponas obstaculum: ne, inquam, Domino volente mundare te, ultro immunditiis ingeras te, vanis mundanisque rebus affectus et cor tuum consecrando.

2. “Manete in me: et ego in vobis” [Io 15, 4].

Frustra igitur aliquando conquereris aut aegre fers, quod Dominus [f.112v] deserat te, quod suam tibi praesentiam subtrahat, cum tu ipse eum deseras et causam desolationis subministres.

Mane in Deo, et Deus menebit in te: non discede ex corde illius et ille non discedet ex tuo; fixam tene in eo mentem, ille quoque defixos tenebit in te oculos. Gratis murmuras, quod tecum non habitet, cum quo tu habitare non vis. Mansionem pectoris vanitatibus concessisti et desideras ut apud te maneat Christus? Si dicis: “Mane mecum”, dic simul: “et ego ero semper tecum”.

O si vel hodie, dum corporaliter apud te manet, tu maneas apud eum mentaliter!

3. “Sine me nihil potestis facere” [Io 15, 5].

Iacta, iacta te aliquid esse, aliquid posse, aliquid facere: ah! miser, quid es sine Christo? quid potes absque Christo? quid facis non adiutus a Christo? Pudeat te nunc, aliquando de tuis factis gloriatum fuisse, quasi vero per te facias aliquid praeter peccatum.

Ne itaque deinceps alienam gloriam fureris, alterius laudem, nempe Dei omnia bona in te facientis, tibi adscribas; ne vestiariis et triumphis alienis plumis, o cornicula! Scit natura tua, scit mundus, scit caelum, te nihil esse, nihil posse, nihil agere boni; velis et tu scire idem sentireque; nec tibi, sed nomini Dei, bonorum omnium dari gloriam cupias.

^a[f.113r]

**IN FESTO SANCTORUM
PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Non turbetur cor vestrum” (Io 14[, 1]).

Considera, forte fuisse discipulos Domini sollicitos de notitia Patris illius, quam nullam habebant ac simul de Regno caelesti: sed prius illos Dominus dulcissime solatus, ad hilaritatem et deponendum metum hortatur, plura obtenturos et agnituros et facturos, quam desiderarent innuit.

Et tu, cor tuum vanis tribulationibus affligi tumultibusque misceri atque per hos inhabile ad servitium Dei reddi sinis. Quid enim est sub caelo, quod Christi famulum resignatissimum conturbare et sollicitum reddere possit? nulla crux, nullum temporale malum; sola tantum beatitudo aeterna: cuius tibi cura penes optimum maximumque Deum relinquenda potius est, quam penes tuam sollicitudinem et industriam. Non est quippe dubitandum, si ea feceris, ad quae te Deus vocavit quaeve a te fieri exigit, mercedem tibi cum omnibus communem divinae fruitionis dandam fore.

2. “In me credite” [ibid.].

Contemplare, quod magnam fidem Deus a te requirat; maiorem sane quam ab aliis, quos ad religiosum statum non vocavit; sed simul cum fide bona et magna, etiam bona magnaue opera requirit. Dicit, ut credas in illum; sed simul tibi innuit, ut facias quemadmodum ille fecit. Nam, quod

^a *in ms. sequitur:* “IN FESTO S. ADALBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS. Ante Sanctissimam Communionem. 1. Quia mercenarius est (Io 10).” *et annotatio additur:* “Vide sup. f. 3”. *Ignota est nobis ratio talis interpolamenti, quia textus in hoc opere ordinem calendarii liturgici sequitur et nescitur cur hic ad festum S. Adalberti (v. supra, pp. 248-252) revocatio facta est. Forsan in aliquo calendario festum S. Marci festum S. Adalberti praecedebat.*

aliquis probe retulit: “Fides sine operibus mortua est” [Iac 2, 20]. Crediderunt Apostoli, sed non ideo solum salvati sunt, at etiam propter adimpletam legem Dei et voluntatem. Voluit Christus omnes illorum multa operari, multa pati et denique suo pro nomine mortem obire.

Cogita igitur, quorsum te mala tua facinora deductura sunt. Profecto sola fide non salvaberis, si bona non egeris in vita tua. Quid, quod neque bonam fidem sine bonis operibus habere potes? Qui namque is salvandum se confidat, cuius animam vermis damnat conscientiae? [f.113v]

3. “In domo Patris mei mansiones multae sunt” [Io 14, 2].

Ita sane est: innumera domicilia spaciosissimum Regnum caelorum habet; sed ad illa non admittuntur, qui in mundo quaerunt sibi domicilium, qui lata via currunt, qui voluptatem sectantur. Nemo ad caelum, nisi terrenis fuerit mortuus, elevatur. Nam sicut avis implicata visco in aera subvolare non potest, ita animus humanus deliciis inescatus, mundanis illecebris involutus, peccatis immersus in aethera sublevari nequit. Granum fructum non fert, quod caelestis Magister docet, nisi obmortuum fuerit³⁷. Sic homo vitam non habiturus aeternam, qui temporaneam diligit eamque delicatam.

O itaque accedens hodie ad caelestem Dominum, ad aeterni Filium Patris dic: “Misericordissime, clementissime, optime Iesu”, si tot amplissima aedificia, tot perennes mansiones, in domo Patris tui numerantur, precor humillime a Maiestate tua, ne me hac domo excludas.

Et quamvis ob mea peccata infernum meruerim et habitationem inter maledictos spiritus deterrimam, tu tamen ob merita passionis et mortis tuae da mihi caelum et mansionem inter beatissimos illius cives aeternam.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Vado parare vobis locum” [ibid.].

Ne magno maerore discipuli ob magistri discessum afficiantur, docet eos, quo quave de causa vadat: nempe ad paterna Regna, locum illis perpetuo secum mansuris paraturus. “Vado”, inquit, “parare vobis locum”.

³⁷ Cf. Io 12, 24-25.

Quasi dicat: imperator suos milites, post praelia castrensesque labores ad hiberna quiescendi gratia deducit; ita mihi, vos milites mei fortissimi, post egregia pro meo nomine peracta certamina, ad stationem aeternae quietis estis deducendi. Sed quia cum triumpho insigni haec caeremoniae peragenda sunt, caelestis vero capitolii [f.114r] nulli patere poterit aditus, antequam ego triumphans illud ingrediatur, idcirco praecedam vos ad Regna Patris mei, ut vobis post me illuc ascendentibus accessum praeordinem.

At tu: vis Christum, vis milites Christi ad hiberna sequi? sequere ad pugnam. Si legitime certaveris, etiam tu triumphis quietisque mereberis particeps esse.

2. “Ubi sum ego, et vos sitis” [Io 14, 3].

Considera enitendum tibi esse, ut cursum Domini assequaris et cum illo vitae ianuam ingrediaris. Quod futurum est: si operam seriam virtutibus navaveris; si crucis ferendae summo desiderio tenearis et impositam tibi indefesso studio tuleris; si strenue laboraveris in vinea Domini et non contentus quavis simplici perfectione, solidiorem secteris.

Nam si maiora olim a discipulis facienda esse miracula Dominus dixit, quam ipse fecerit³⁸, idem vult omnino te sublimioribus virtutibus operam dare et a vulgari vivendi consuetudine discedere; optatque, ut, si homini fas esset, illum ipsum virtutibus et sancte gestis assequaris: ut ubi ille est, tu quoque propter virtutes ac sancte gesta ibidem sis.

3. “Ego sum via, veritas, et vita” [Io 14, 6].

Recte se Dominus viam nominat, qui universum genus mortalium ad immortalem gloriam pervenire volens, lapsus ad terram e caelo est, ut nobis ad illud viam non modo monstraret, sed etiam sterneret ac securam faceret tot sacramentis consignatam, tot virtutum suarum vestigiis impressam.

Sed cur haec tria simul coniungit: viam, veritatem et vitam? Nempe docere te vult, ut, si vis habere vitam, quaeras veritatem; si vis invenire veritatem, in via Domini ambules. Hinc tibi dicit: “Sequere me” [Mt 8, 22]. “Ego sum via, veritas, et vita”.

³⁸ Cf. *Io 14, 12*.

Sine via non itur; sine veritate non cognoscitur; sine vita non vivitur. Ego sum via, quam sequi debes; veritas, cui credere [f.114v] debes; vita, quam sperare debes. Ego sum via inviolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata.

Si manseris in via cognosces veritatem: et veritas liberabit te et apprehendes vitam aeternam.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTAE CRUCIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Erat [.....] homo ex Pharisaeis” (Io 3[, 1]).

Considera singulari Dei gratia Nicodemum ad Christum fuisse tractum. Quis enim is erat? “homo ex Pharisaeis”. Pharisaeorum genus Christo semper adversissimum, elatum, hipocrisi infectum, dolis fraudeque plenum. Divina tamen Bonitas hunc ex Pharisaeis hominem, velut magnes ferrum durissimum, vi gratiae ad se traxit, docuit, illuminavit.

Idem tecum hodie fieri puta: qui Domino tuo adversarius per peccatum factus, nihil cum eo candide egisti et per summam fraudem olim in Adamo, nunc tua sponte ad hostem ipsius descivisti, cum tibi nihil facilius dulciusque esset, quam praecepta eius transgredi normamque vivendi tibi ab eo propositam postponere.

Nihilominus en te vocat iterum ad se flammisque ardentissimis desiderii sui suscipiendi accendit. Perge ergo, Pharisae Nicodeme, ad Iesum et doctrinae tuum cor illius aperi: quam tibi in praesenti Communionem instillatam, cum ipse observare, tum aliis participare submisce conaberis.

2. “Hic venit ad Iesum nocte” [Io 3, 2].

Expende causam, ob quam noctu Nicodemus ad Dominum venerit: nimirum verebatur odium calumniasque Iudeorum ac praesertim

Pharisaicae societatis; qui si eum advertissent Christi ab ore pendentem, procul dubio, quod aliis fecere, gravissime fuissent persecuti. Sic timor improbus homines quandoque probos percellit, ut nec audire, nec dicere veritatem audeant, cum aliquid inde periculi sibi autumant imminere.

Tu itaque Dominum rogabis, ut ex tuo corde vanum tam audiendae, quam dicendae veritatis metum auferat prorsus et eliminet, postquam illud fuerit ingressus. [f.115r]

3. “Venit ad Iesum nocte” [ibid.].

Duplicem scilicet habuit tum Nicodemus noctem: naturalem et mysticam, sed hanc priore graviorem. Discussit tamen illius animi tenebras “Lux”, [“]quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[”][Io 1, 9].

Precaberis et tu Lucem hanc, ut ab oculis animae tuae noctem in sacra synaxi amoveat et quamcunque caligantis intellectus nubem dissipet. Precaberis inquam cum Rege vate: “Illumina”, Domine, “oculos meos, ne umquam obdormiam in nocte^a: ne quando dicat inimicus meus: praevalui adversus eum” [Ps 12, 4-5].

Sed vitam etiam meliorem a Domino Vitae opportunissima occasione petes; cum scilicet Inventionis eius sancti Ligni dies celebratur, in quo [“]mors mortua tunc est, quando mortua vita fuit[”]³⁹.

Quod ut facilius impetres, sic Iesum olim pro te crucifixum in sanctissima Eucharistia manentem salutabis:

Salve salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis aeterno Patri oblata: salve, gloriose Pelicane, Iesu mi, pullos tuos, filios Adae mortuos proprio sanguine suscitans.

Veni, veni dilecte mi: pasce languentem animam corpore, sitientem refice cruore et ablue: utrumque mihi in salutem, remissionem, emendationem et aeternam amicitiam propina.

^a “morte” (BSV)

³⁹ Cf. *Antiphona 1 ad Psalmum 109, Ad II Vesperas in festo Exaltationis Sanctae Crucis*: “O magnum pietatis opus! Mors mortua tunc est, quando hoc in ligno mortua vita fuit” : *Liturgia Horarum IV, 1129*.

Post Sanctissimam Communionem1. “Nisi quis renatus fuerit” [Io 3, 3].

Quod Servator Nicodemo dixit, hoc tibi dictum, anima mea, existima. Oportet enim te iterum renasci. At quomodo? si iam sacri Baptismatis fonte lota es? Ita intellige. Dominus per Baptismum renasciturum esse Nicodemum asserit et alios mortales sic iterum renasci debuisse. Quia post legem naturae vivere illos volebat secundum legem gratiae, cui non nisi per fidem et Baptismum eos subici oportebat. Adhuc^a contractae animi maculae per hoc etiam lavacrum, ac praesertim culpa originalis, tolluntur in adultis ita, ut omnino renascantur. Debuit ergo hoc modo Nicodemus et alii renasci, si perennis vitae domicilium ingredi voluissent.

Sed tu, anima mea aliter iam regeneraberis. Ad fontem alium, quo naevos omnes abluas, confugies: ad fontem inquam lachrymarum. Oportet iterum te renasci, si velis [f.115v] intrare in gloriam Dei, sed per sacramentum Poenitentiae, non Baptismi. Passa es naufragium virtutum? arripe secundam tabulam, per quam et sanctas opes assequi et salutem perditam invenire poteris. Renascere in spiritu humilitatis et contriti cordis fluentis, et Deus te non despiciet: dabit veniam, impertiet gratiam, gloria non excludet.

2. “In^b aqua, et Spiritu Sancto” [Io 3, 5].

En optimum curandi capitalia duo vitia modum! Iracundia namque praevalente in homine aquae elemento conficitur; hinc iracundi vocantur lymphatici^c, quasi nimiis aquis obruti extra littus rationis exundent similesque mari inquieto ac tempestatibus commoto sint.

Luxuria non solum ab igne generatur, sed ignis est ipsa. Unde recte quidam huic remedium praescribens cecinit: “Subtrahe ligna foco”⁴⁰, focum

^a in ms. ignotum verbum “Adhaec” ita hypothetice mutatur ^b “ex” (BSV) ^c qui aquam timent; pro furiosis (iracundis “) habentur, quia hoc morbo correpti huc atque illuc discurrunt (ita sec. SLL et FLL, s.v. “lymphaticus”).

⁴⁰ Probabiliter est allegatio e quodam opere alicuius poetae antiquitatis.

appellans luxuriam. Quoniam vero contraria contrariis curantur, renascere tu in aqua et Spiritu Sancto, qui in linguis igneis super Apostolos descendit de leque oculorum fonte, quidquid per ignem peccasti; supple charitatis igne quidquid per abundantiam aquae lymphaticus admisisti. Utrumque a Domino apud te diversante expostula. Accendi in visceribus meis, o Iesu, flammam verae charitatis et hac obrue lymphas iracundiae ac furoris.

Excute vero salutare undas e dura cordis mei petra, o Moyses mirifice, virga poenitentiae timorisque tui eam concutiens^a, ut emittat fontem copiosum, quo incendia vesanae libidinis extinguantur.

3. “Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero caelestia, credetis?” [Io 3, 12]

Non erat persuasus Nicodemus de renascendo homine, quamvis solida et clarissima caelestis Magistri ratione; sed nondum intelligens tantum mysterium inquit: “Quomodo possunt haec fieri?” [Io 3, 9] Cuius incredulitatem, an inscitiam Dominus advertens recte exprobrat: “Tu es magister in Israel, et haec ignoras?” [Io 3, 10]

Cave tu, ne tibi dicatur: tu vestem religiosam geris et ignoras, quid sit esse religiosum, quid sit obedire, quid sit castimoniae, paupertati, [f.116r] humilitati, mortificationi sensuum studere? Cupis tamen interea arcana caeli scrutari, profunda mysteria Dei scire, abundantia caelestium deliciarum potiri ac perfrui. At quomodo haec fieri queant, si cum ad terrena despicienda et calcanda quoquomodo stimularis, non credis, non pares?

^a in ms. verbum “concutiens” correctum est in “concutia”, sine tamen evidenti ratione et erronee; propterea lectio prior hic resumpta est.

**IN FESTO SANCTI STANISLAI
EPISCOPI ET MARTYRIS PATRONI POLONIAE**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ego sum pastor bonus” (Io 10[, 11]).

Sicut Redemptor noster imitandum sese Pastoribus proposuit universis, ita tu hodiernum Sanctum Episcopum et Martyrem tibi assume imitandum. Invenies in Episcopo, quod imiteris; in[v]enies in Martyre quod sequaris; invenies in utroque admiranda quae stupeas et praedices. Imitaberis ergo Episcopum in vigilando, docendo, gubernando, proximis succurrendo, humilitatem, modestiam, zelum, religionem aliasque virtutum exercendo.

Sequeris Martyrem in patiendo, perseverando, fortitudinem, constantiam, charitatem idque genus Martyris proprias dotes amplectendo, ut secure possis dicere: “Ego sum pastor bonus”, non tam ovium Christi, quam sensuum meorum; non tam gregem pascendo, quam Pastorem bonum imitando.

2. “Bonus pastor ^adat animam suam^a pro ovibus suis” [ibid.].

Considera haud aliquid magis divinae Maiestati arridere, quam erga proximum charitatem: qua fit, ut omnia incommoda, linguas, manus etiam amore proximi perferamus. Sicut enim maxima virtus Christi fuit haec, quod ex amore nostri mortem in Cruce voluerit obivisse, sic nullus in nobis erit praestantior virtutis actus, quam aliquid proximi causa tolerare. “Maiorem”, inquit aeternum Verbum, “charitatem^b nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis” [Io 15, 13].

O si tu ponas eam pro inimicis, qui utique proximi tui sunt; si effundas illam in conspectu divinae Maiestatis nunc pro iis supplicando. [f.116v]

3. “Bonus pastor” [ibid.].

Omne boni Pastoris officium divus Stanislaus executus est. Reficiebat oves proprias divini verbi pabulo cum ipse id^a concione semper diceret.

^{a-a} “animam suam dat” (BSV) ^b “hac dilectionem” (BSV)

Visitabat saepius caulas, cum totam diaecesim ^bpedes obiret^b [s]: Curabat sedulo morbum gregis nunc exhortationibus faciendis, nunc sacramentis administrandis remedia ulcerosae conscientiae suppeditando. Quas deinde oves adeo infectas videbat, ut omnino nullis medicamentis curari possent metuereturque, ne totum gregem inficerent, has sollerter adeo pellebat ex ovili Christi, ut etiam regem totum ovile corrumpentem inde veritus non fuerit amovisse.

Denique quod ultimum restabat optimi pastoris etiam animam posuit pro ovibus suis, cum sese lupo rapacissimo pro veritate et iustitia animosus obiecisset.

O quot et quantae dotes in uno pastore! laudatu dignissimae, imitatu non difficillimae.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Ego sum Pastor bonus” [ibid].

Considera, quod recte se bonum Pastorem Salvator noster appellet, qui te hodierna die tam opimo pabulo corporis et sanguinis sui refecerit. Ingenti laborabas fame, deficiebant te vires, languebas et ad nullum prorsus exercitium spirituale fueras aptus, sed ille te mensae suae adhibens, corroboravit sacro cibo potuque; et sicut olim Eliam subcinericio⁴¹, ita te pane angelico reffectum in pedes erexit, ut longam tibi restantem viam perfectionis suaviter, fortiter, perseveranter decurras. Exposcebat olim Iacob a Labano mercedem pro cura in alendo pascendoque illius grege suscepta⁴².

Tu, quid optimo Pastori Iesu dabis animae tuae pro cura? – Te.

^a loco “ad”, quod est erronea correctio in ms.

^{b-b} melius esset dicere: “pedibus obiret” (ita sec. SLL, s.v. “obeo”)

⁴¹ Cf. *1 Reg 19*, 5-8.

⁴² Cf. *Gen 30*, 25-43.

2. “Dat animam suam pro ovibus” [ibid.].

Expende, quomodo te sentires obligatum esse illi imperatori, qui [f.117r] te mensae propriae adhibitum lautissime tractaret, tractatum donis copiosissimis cumlaret, cumlatum in regia rheda suo comitatum satellitio ad tuum vile tugurium deduceret: maximum hunc favorem interpretareris. Atqui hoc tibi caelestis Imperator hodie beneficii exhibuit, ad mensam te caelestem invitavit, caelestibus ferculis aluit, magnis muneribus ornavit gratiarum.

Denique loco rhedae amoris tibi pennas adstruens te in cubiculum tuum deduxit manetque tecum, conversatus tecum, deliciis fruiturus esse cupit semper tecum. O favorem! quibus vicissim tractabis hunc hospitem? Appone cor illi tuum.

3. “Cognosco oves^a meas” [Io 10, 14].

Cogito veram esse notam insigneque ovium Christi **obedientiam**. Dicit enim: “Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae” [ibid.] et “vocem meam audiunt” [Io 10, 3. 27]. Quasi dicat: illae sunt verae oves meae, quae parent vocibus meis. Animae rebelles, contumaces, iugum contemntes, propriam sequentes voluntatem, non sunt oves meae. Quae “vocem meam audiunt”, ill[a]e oves meae sunt.

Ita prorsus est: de grege Christi non est, qui Christo, qui Vicariis Christi, hoc est Superioribus qualibuscunque non obsecundat. Saul non paruit voci prophetae, aut potius divinae voci per Samuelem loquenti, ideo reprobatus est⁴³ videturque proscriptus aeternum esse ex ovili Dei.

O quaecunque sanctitatis habes indicia! quaecunque bona opera agis, cogita, non ideo te esse ovem Christi verumque illius insigne gestare, nisi obediens sis, nisi vocem eius per quemcunque tibi intimatam audias, exequaris.

^a om. “oves” (BSV)

⁴³ Cf. 1 Reg 15, 1-28.

**IN APPARITIONE
SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Nisi [.....] efficiamini sicut parvuli, non intrabitis ^a regnum caelorum” (Mt 18[, 3]).

Quid est, anima mea, quod Magistra Veritas discipulos adhortetur, ut parvuli fiant? An, quod stricta sit ianua caelestis, hinc nisi ea parvuli ingredi possint? Ita sane. Si quis enim claves in aliqua camera, cui strictissima sit fenestra occludat, parvulum quaerit puerum [f.117v] et intromittit ad reserandum. Ita caelestem ianuam, quam Servator ipse strictam testatur esse⁴⁴, nonnisi parvuli ingredi possunt.

Quare, o anima mea! deponenda tibi e vestigio est, si quam habes crassitudinem, puta vanae gloriae, iactantiae, fastus, quibus inflati nullo modo et caelicam illam angustam portam et coarctatam perfectionis viam ingredi queunt. Pete simul ab illo caelorum Architecto, ut tibi aliam formam praesenti in Communionem adaptet, atque te per humilitatis ac obedientiae virtutem attenuet ita, ut nullo negotio arctam regiae supernae ianuam subintres.

2. “Sicut parvuli” [ibid.].

Considera parvulorum esse proprium, quod candida simplicitate polleant: cuius credant, omnibus confidant, nemini quidquam mali cogitent aut velint, maioribus obsequantur, nulli scandalum praebent, differentiam inter bonum et malum non sciunt, quia de ligno scientiae boni et mali non comedunt, id est, non peccant; quod denique verbera sibi a parentibus inflata cum gratiarum actione suscipiant et nec verbo, nec facto homines aut Deum laedant.

^a add. “in” (BSV)

⁴⁴ Cf. Mt 7, 13-14; Lc 13, 24.

Te igitur oportere, simplicem, fidelem, pacificum, obedientem, perfectum, innocentem, patientem mansuetumque esse, si caelestem paradysum cupias intrare.

3. “Quia angeli eorum [.....] vident faciem patris mei, qui in caelis est” [Mt 18, 10].

O bonum et clementem Dominum, qui infantiam sic extulit, ita collaudavit! o felicem infantiam, quae talem meruit habere Patronum et Praeconem! Nimirum scire debes, illis semper Deum patrocinari, qui se vel propter simplicitatem nesciunt defendere, vel propter innocentiam nolunt. Quodsi angelos parvulorum semper in caelis videre faciem Patris caelestis attestatur Dominus, cogita, quam graviter delinquant, qui parvulis scandalo sunt; quam vero multum mereantur, qui illos virtutibus, probis moribus, pietate cum literis coniuncta solent imbuere; quandoquidem angeli illorum utrumque repraesentant aeterno Patri, tam scandala, quam bona exempla; simul malam, simul bonam instructionem. Roga tu Dominum, ut per Principis Archangelorum intercessionem gratiam tibi parvulos aedificandi conferat simulque te parvulum efficiat.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Vae! mundo a scandalis!” [Mt 18, 7]

Perpende, quae hic Dominus scandala recenset, vel potius innuit: illa nimirum, quibus alios scandalizamus, quae tam occulte aliquando nobis inhaerent, ut licet per ea sint plurimi scandalizati, nobis tamen ignota sint. Ex quo similes insensibili terrae sumus, quae clavos infixos sibi spinasque insitas occultat, ignorans multos his [f.118r] vulnerari sauciosque reddi.

Alterius generis scandala sunt, quae nobis immanendo nobismetipsis sunt noxia, sicut lapides agris, quorum evellendorum nos Salvator admonens: “Si oculus”, inquit, “tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te”. Nam “bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis” (Mt 18[, 9]).

2. “Quis putas, maior est in regno caelorum?” [Mt 18, 1]

Adverte, quaeso confidentiam Apostolorum, qua factum est, ut Magistrum suum de tam sublimi atque prorsus ardua re interrogarent. Poteras et tu hac fretus vel simili fiducia in sacra mensa ab eodem petere Domino: non quo loco te sit in Regno suo locaturus, sed qui maxime defectus ei displicent in te?

Quod si tam prudenter audax non fuisti, nihilominus scito, superbiam displicere summe Deo ceteris prae defectibus et saluti tuae summopere obstare eandem. Quandoquidem divina vox et edictum est, nonnisi humiles instar parvulorum caelos intrare.

3. “Ne contemnatis unum ex [.....] pusillis” [Mt 18, 10].

Considera, nunquam te habere iustam causam quempiam contemnendi, tametsi ineptissimus sit. Quamvis enim habeas ipse talenta multa, numquid haec tua sunt? num per datorem a te recipi quovis momento non possunt? Saepe fit ut effuso e vasis vino aqua ad eadem infundatur.

Si igitur vasa gloriari non possunt quod praestantissimum vinum ad momentum contineant, paulo post faeces comprehensura; quomodo tu iactaberis et alium contemnes, quod [tu] multis, ille nullis Dei donis affluat? Siquidem bona tibi recepta illi mox conferri possunt.

Vasa sumus; liquor talentorum ac virtutum quem continemus, aut mutari in faeces vitiorum potest, aut effundi Numinis ad arbitrium. Nullis ergo bonis extollamur, nullum aspernemur ex pusillis.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “^aApparuit illis [.....]^a Iesus^b” (Mc 16[, 14]).

Considera saepius a Resurrectione sua Christum Iesum discipulis apparuisse, tum ut rudes adhuc et imperfectos in fide perficeret atque

confirmaret, tum ut eos visionibus et alloquiis suavissimis ad multa suo pro nomine patienda animaret.

Neque tibi alia de causa tam frequenter sanctum convivium instruit [f.118v] seque tibi divinissimo prorsus modo communicat, nisi ut excusso veteri fermento malitiae perfectior in quaque virtute existas et constanti animo quaevis adversa tibi obvenientia perferas: quia per ignem et aquam transitur ad refrigerium⁴⁵.

2. “Exprobravit incredulitatem eorum” [ibid.].

Sicut Praeceptor discipulum, Superior inferiorem merito arguit, quando non videt ab eo fieri illa, quae ipsi saepius inculcavit, ita merito Dominus Apostolos reprehendit, quod cum toties eum post Resurrectionem vidissent, non parvo tempore cum eo ante obitum fuissent conversati, viderent miracula quae fuit operatus, audirent verba, quibus indicavit a mortuis se reditum fuisse templumque sui corporis a Iudaeis dissolutum triduo restauraturum, nihilominus non credebant eis, qui eum surrexisse renunciabant.

O quam te quoque Salvator in hodierna Communione iuste corripiat! quod cum tantum gratiae, luminis, favorum ab eo receperis; cum tot annorum spatio conversationis illuminationisque causa eum accedas; cum tibi praemia bonorum, poenae malorum non sint ignotae; cum tot illius miracula vel legeris vel spectaris; cum graves, quibus se puniturum imperfectos protestatus est, minas audiveris et habeas exploratas, nihilosecius tepidior es omnibus iis, qui vel hodie primum ad Deum sunt conversi; nec te infernalium tormentorum pavor, nec caelestis amor gloriae stertentem in sordido vitiorum, passionum, imperfectionum fimo valet excitare.

Time, ne iam non exprobetur tua incredulitas, sed puniatur.

3. “Et duritiam cordis” [ibid.].

O anima mea! quid audis? cum discipuli capto Iesu fugam raperent, nihil audiverunt exprobrationis; cum vero is ad gloriam, non passionem festinat,

^{a-a} “illis [.....] apparuit” (BSV) ^b om. “Iesus” (BSV)

⁴⁵ Cf. Ps 65, 12.

exprobrat incredulitatem eorum, arguit cordis duritiam. Nimirum habebas tum, Iesu optime, respectum fragilitatis, credo ac pusillanimitatis, cum fugerent invisam et insperatam tragaediam. At nunc pati non potes duritiam, cum visis non credunt.

Ah! quomodo, Salvator mi, meam perfers et perferes, aut quomodo perferebas? cum, licet scirem te peccato infensissimum, tamen innumera, turpissima, gravissima patrabam; licet viderem, cognoscerem, legerem, audirem, propter leviora suppliciis alios addictos aeternis; [f.119r] tamen quasi dormiens et tanquam crapulatus a vino sceleribus e meis non expergiscebar, nec redibam ad te vocatus, illectus, territus? Insuper tua misericordia viam probitatis ingressus, quoties erravi? quoties deviavi? quam stulte! quam turpiter! quam pertinaciter! quam duriter! O duritiam cordis mei! quam cum mihi mea, te stimulante, conscientia exprobrat, confundor et expavescio magnum mihi timorem generantibus peccatis meis. Sed quid tandem cum duro facies?

O Bonitas, o mansuetudo! Agnus immaculatus es, o Iesu! Agnus es ad occisionem sine querimonia ductus; igitur (quod spero, quod confido, quod supplex humilisque peto) auferes duritiam cordis mei, cum illud in hac sancta, admirabili, amore et clementia plena Communionem corpore tuo sanctissimo nutries et refocillabis sanguine. Et sicut durus adamas non nisi haedino sanguine rumpitur⁴⁶, sic tu, agnelle Dei mystice, cruore tuo meum cor aspergens emollies duritiamque ipsius confringes.

Age hoc, Iesu mi, ne mihi duritiam meam in aeternum conscientia mea exprobrat: ne mihi dicat: quod noluerim emendare, cum tempus habuerim. Ac licet indignum me censeam ulla tua gratia tanquam peccator; tu dignus es eam mihi conferre tanquam Salvator. Spero igitur gratiam, spero salutem, quia te, Domine, sumere desidero, qui gratia et salus es; ille inquam es, qui discipulorum duritiam exprobrasti, illos tamen in Regnis caelestibus collocasti.

⁴⁶ *“Adamantem, infragilem omni cetera vi, sanguine hircino rumpente” (FLL, s.v. “Adamas”). Cf. etiam: SLL, s.v. “Adamas”: “lapis... durissimus credatur, et nulla vi domabilis..., hircorum calido sanguine dissolvitur”.*

Post Sanctissimam Communionem

1. “Euntes in mundum universum praedicate Evangelium” [Mc 16, 15].

Considera, quam bono, quam pio servis Domino; qui postquam defectus arguit, modum eos compensandi protinus ostendit. Ecce enim Apostolorum incredulitatem et duritiam cordis increpabat, quid deinde dicit? “Euntes”, inquit, “in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae”. Quasi dicat: peccastis incredulitate; compensate fide peccatum vestrum, toti orbi me meamque doctrinam salutarem praedicando. Deliquistis duritia cordis; ite iam, corda mortalium resolvite et malleo Evangelii duritiam eorum confringite. Hoc est, hoc vitium corripere et mox remedium suggerere: hoc est morbum palpate et pharmacum statim applicare.

Sic tu tecum, sic procede cum aliis, ut cum tuas vel alienas imperfectiones deprehendis et reprehendis, illico modum eas tollendi ac recompensandi virtutibus solidis ostendas et adhibeas. Imitare hac in parte Christum Dominum; imitare bonos medicos: qui gratis demonstrarent infirmitatem, nisi simul praeberent medicinam infirmanti. [f.119v]

2. “Qui vero non crediderit, condemnabitur” [Mc 16, 16].

Felicem te! qui caeli terraeque Dominum hac hora apud te detines. Felicem te tali hospite! felicem tali Domino! Sed quae te res huius felicitatis effecit compotem? Sola fides. “Beati”, (inquit tuus sanctissimus Hospes) “qui non viderunt, et crediderunt” [Io 20, 29].

Quia credidisti, Deum esse, quem oculis non inspexisti, fides haec te felicem reddidit. Verum hanc cum ab ipso Numine habeas, quas ipsi dignas grates persolves, praesertim audiens fore damnandos qui “non crediderint?” Profecto aliter hoc divinum beneficium concinnius non poteris rependere, quam si vel oraveris pro infidelibus, ut illuminentur; vel operam tuam aliquam ad illorum conversionem attuleris. Sicut ille fecit, qui ex publicano factus Apostolus, publicanos gratia conversionis Christo praesentabat, ut hoc pacto suae donum vocationis compensaret, optans aliis, quod sibi fuisse intellexit salutare.

3. “Praedicate Evangelium omni creaturae” [Mc 16, 15].

Quantus erga universum genus humanum Filii Dei affectus! neminem, quamvis vilissimum et nequissimum a caelesti patria vult excludere, cum eis, quos apostolica nobilitaverat dignitate, mandavit, ut omni praedicarent Evangelium creaturae: tam regibus, quam civibus; tam dynastis, quam subditis; tam dominis, quam servis; divitibus una et pauperibus; senibus et simul pueris; omnibus sane mortalibus, omnibus. Unde conice tu, quantum patrares nefas, si data occasione praeponeres magnates plebeiis et pauperes locupletibus in administrando salutis negotio! quantum ab hac doctrina caelestis aberrares Magistri, si tantummodo nobiles exedras appeteres ostentationis gratia, vitares humiliores propter contemptum et si non aequo animo parvis atque magnis inservires!

Decet equidem nos, pro religiosa, qua sumus pares Apostolis, vocatione saltem hoc Deo praestare gratitudinis, ut nullam ipsius creaturam contemptu afficiamus et salutaribus, quantum in nobis est positum, necligamus informare praeceptis et auxiliis instruere.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consum[m]ationem saeculi” (Mt 28[, 20]).

Considera, nullum mnemosynon gratius, dulcius praestantiusque nobis a Redemptore in caelos abeunte relinqui potuisse, quam verissimum suum corpus pro salute nostra passum et terebratum. [f.120r]

Atque sicut in caelo praeter Deum nihil est carius et maius, ita hic in mundo praeter hunc^a pretiosissimum thesaurum in quo Deus homo inclusus latet nihil est dignius et excellentius.

^a in ms. erronee: “hanc” (“thesaurus” est verbum generis masculini)

Gloriatur Ecclesia triumphans beatifica Sanctissimae Triados visione; gloriatur etiam militans donorum Dei, quae^a ex hoc thesauro sanctissimi corporis depromit abunde, participatione. Inde quippe charitas perfecta sumitur, inde patientia reportatur, inde spes roboratur, inde fides elucescit, inde mansuetudo, humilitas, obedientia ceteraeque propriae christianorum virtutes hauriuntur. Ex hoc thesauro peccatorum venia, poenarum indulgentia, vitae emendatio, mentis illuminatio, animae salus accipitur. Et quia nunquam deficit, ad consum[m]ationem saeculi nobiscum futurus est. O hoc solo felicissimam Dei veram Ecclesiam! I, tu, nunc et quidquid animo tuo libuerit ex hoc thesauro deprome.

2. “Probet autem seipsum homo” (1 Cor 11[, 28]).

Expende, praeparationem ad sanctissimam Communionem rem non solum utilem esse, verum de praecepto necessariam idque multis de causis:

1) quod sanctissima Communio sit caeleste convivium, atqui convivium adituri quomodo se non parant?

2) quod ibi sit in Eucharistia sacra verus Deus et Homo; quodsi reges non temere adeundi, multo magis Deus.

3) quod sanctissimum corpus Christi sit quaedam medicina animarum; sed sumpturis medicinam opus est bona praeparatione.

4) quod idem sit cibus delicatissimus, in quo si quis velit caelestem gustum experiri, mente recollecta sumat illum necesse est.

5) quod licet hic “panis” sit “vitae”, non omnes tamen eo [possunt ?] vivificari, si non praeparato animo illo vescantur.

6) quod omne divinum opus magna consideratione et animi praeparatione sit aggrediendum; quid vero sumptione divini corporis divinius?

Ergo temere sacram non accede mensam; cogita quis, quem et cur sumpturus cibum sis.

^a in ms. erronee: “quos” (“dona” est verbum generis neutri, non masculini)

3. “Accipite, et manducate” (1 Cor 11[, 24]).

O amorem! o affectum! o liberalitatem, qua nobis, Iesu, corpus tuum dispensas! Ne miseri mortales nostrae vilitatis conscii vereamur tuae divinitatis participes fieri, ultro nos invitas. Ne viri pollutis labiis trepidemus sanctissimum epulum delibare, ultro animas. Ne maiestate deterriti dubitemus angelorum panem manducare, “Accipite”, inquis, “et manducate”. Quodque maius amoris et liberalitatis est argumentum, ut nullum a sacra tua mensa excludas, omnibus dicitis: “Accipite”.

Victus igitur tanta benevolentia et affectu invitantis, [f.120v] etsi [“]vir pollutus labiis ego sum[”][Is 6, 5], aperio tamen tibi Deus optime os et cor meum, fiat mihi secundum verbum tuum.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Caro ^a mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus” (Io 6[, 56]).

Bene Salvator verum esse cibum corpus suum et verum potum sanguinem suum affirmat. Sicut enim corporales cibi nutriunt corpus, et si ei subtrahantur, maceratur, ita Iesu Christi caro nutrit animas nostras; qua si non reficiantur saepius, languent, deficiunt, extenuantur. O vere verus hic animae cibus est! qui eam vivificat, sustentat et praeservat a morte! Vere potus ille verus est, qui non solum habet extinguendae malarum rerum sitis vim, sed etiam abluendarum macularum, si quae a sacro tribunali confessionis abeunti animae per oblivionem adhaeserint vel negligentiam.

O Servator mi! quid retribuam tibi pro mensa hac lautissima, pro convivio hoc exquisitissimo? Gratias infinitas ago tibi simulque precor humiliter, ut aeternitatis ingressurus viam hoc merear refici, armari sustentarique cibo et potu verissimo, saluberrimo, sanctissimo.

^a add. “enim” (BSV)

2. “Qui manducat meam carnem [.....] habet vitam aeternam” (Io 6[, 55]).

Considera longe salubriorem^a caelestem hunc cibum esse manna illo, quod Hebraeis in eremo caelitus datum fuit: quippe Rex psaltes historiam illam retexens: “Manducaverunt”, inquit, patres nostri manna, “et saturati sunt nimis” etc. Sed “adhuc escae eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit” [Ps 77, 29. 30-31].

Non hic effectus est divini corporis; manna novi testamenti vitam confert se manducantibus, non mortem; salutem, non exitium; caelum, non gehennam. Prorumpere tu hic in amoris actus et gratitudinis, perpendens, quod licet Hebraeos Deus prae ceteris gentibus elegerit atque dilexisset, non tamen illos tam salutari caelesti refocillabat cibo, quam christianos.

3. “Qui ^b manducant^c [.....] indigne, iudicium sibi manducant^d” (1 Cor 11[, 29]).

Expende, quod, quamvis Servator vitam suum corpus et sanguinem sumentibus promiserit, nihilominus iudicium suum incursum, qui sanctissimum Eucharistiae sacramentum (sicuti alia) tractaverint indigne, per Doctorem Gentium inculcavit. Nimirum dare vitam communicantibus illius bonitatis est; [f.121r] sed eligere mortem et interire, malitiae communicantium indigne adscribendum. Videmur hic illi similes aegroto, qui pharmaca salubria vertit in venenum, cum non sumit eo modo, quo debet: ita, licet vitam omnino certissimam habeat caro Christi, tamen eam indigne manducantes, vel statim a sacra mensa ad prophanam ingluviem vitiorum revertentes, iudicii fiunt et mortis rei. Conare, tu, ne te ad vana protinus post Communionem sacram convertens saluberrimam medicinam in dirissimum convertas aconitum. Sed simul hic exores Iesum, te ut ab indigna sui susceptione dignetur praeservare.

^a in ms. erronee, secundum contextum, datur hic superlativus: “saluberrimum” ^b add. “enim” (BSV) ^c “manducat” (BSV) ^d “manducat” (BSV)

IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTISTAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Exaudita est deprecatio tua” (Lc 1[, 13]).

Considera, plurimos conqueri, quod eorum non exaudiantur orationes: verum inexauditae orationis in homine, non in Deo, causa reposita est. Nec alia causa, quam peccatum mortiferum, quam iniquitas. Deus enim peccatores non exaudit: puta obstinatos in impenitentia. Hinc adverte, quanta nobis opus est iustitia, ut orantes exaudiamur. Vox quippe iusti precantis penetrat nubes⁴⁷. Atqui hanc iustitiam in hoc sitam esse puta, ut sine peccato sis graviore, in gratia Dei existas: sicut fuisse divi Ioannis parentes constat. “Erant autem iusti” [Lc 1, 6]. Si enim ab amico irato nihil impetraveris, multo minus ab offenso Deo.

Stude ergo te conservare in gratia, ut orationes tuae semper exaudiantur.

2. “Vinum, et siceram non bibet” [Lc 1, 15].

Expende, quomodo Deus electurus in magnum praeconem filium Zachariae, futuram ipsius temperantiam et abstinentiam praedicat. Unde tu collige: neminem sine hac verum divini verbi posse fieri oratorem.

Siquidem munus hoc requirit sapientiam, sapientia vero sine abstinentia non potest comparari. Quod si concionatoris proprium est, ut homines a vitiis ad virtutes pertrahat, ostendere prius id exemplo vitae suae debet, quod praedicaturus est verbo linguae. Melius quippe facta quam dicta docent, magis movent.

Unde hac docendi suos discipulos methodo caelestis usus Magister: “Exemplum”, inquit, “dedi vobis, ut quemadmodum ego feci^a, ita et vos faciatis” [Io 13, 15]. [f.121v]

^a add. “vobis” (BSV)

⁴⁷ Cf. Eccli 35, 21.

3. “Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum” [Lc 1, 16].

Expende fatue illos agere et nondum vere illuminatos esse, qui amorem et zelum convertendi peccatores et a via perfectionis aberrantes vel flocci aestimant, vel non habent. Cum hoc opus sit inter prima praestantissimum, utpote, in quo tam Dei quam proximi charitas a qua tota perfectio pendet, continetur. Illos vero vere Christo Domino in salute animarum cooperari, qui perditos in semitam revocant aeternae vitae.

Christus enim non alio fine humanam assumpsit carnem, nisi ut salvum faceret, quod perierat. Hinc poenitens Rex iratum Numen placare sibi volens, non aliud adhibet medium, quam peccatores convertendi propositum: “Docebo”, ait, “iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur” [Ps 50, 15].

Excita in te atque in dies augeri cura, hoc perfectissimum lapsos convertendi desiderium, quod dum intendis, ipse prius ex toto corde ad Dominum convertaris.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant” [Lc 1, 20].

Considera, quam vehementer incredulitas, haesitatio dubitatioque in rebus divinis Deo displiceat, quandoquidem propterea Zachariam puniens. Usus ipsi linguae ademit, quod angelicis verbis non aequae ac debuit crediderit.

Proinde tibi in rebus fidei minime haesitandum esse persuade; quin etiam in mandatis maiorum exequendis discursum mentis omnem vita, sed ea simplici fide excipe, simplici adimple obedientia.

2. “Et ipse praecedet ante ipsum^a” [Lc 1, 17].

Considera, quod quemadmodum mareschalli reges anteire soleant, ut amota turba, venientibus iter apertum sit, ita Divus hic anteambulo Christi

^a “illum” (BSV)

mareschalli munus obivit, ut immortalis Regi ad mortales venturo sterneret viam. Unde se Vocem clamantis in deserto appellavit⁴⁸: “Parate viam Domini, rectas facite semitas eius” [Lc 3, 4].

Tu illos instinctus, qui te ad rigorem vitae, ad poenitentiam, ad strictiorem perfectionis viam provocant, mareschallos esse venturae in te divinae gratiae iudica illisque omnino pare. [f.122r]

3. “Et audierunt vicini, et cognati eius quia magnificavit Deus^a misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei” [Lc 1, 58].

Considera concursum amicorum, familiarium vicinorumque ad Elisabetham: laetitiam eorundem, applausus gratulationesque cognatae, amicae ac vicinae suae factas, ideo quod sterilis peperisset.

Ah! quando tu fratres tuos vicinosque, proximos ac denique sanctos caelites pari gaudio recreabis? Ah! quando pulsa sterilitate paries? quando virtutum constanti exercitio, bonorum operum frequentia, copiosa mortificationis ubertate, quasi quodam non sterilis animi faetu solatium communitati caelestique curiae afferes? Vae! si sterilis esse nunquam desinas! vae! si non parias!

IN FESTO SANCTORUM PETRI ET PAULI APOSTOLORUM

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Quem dicunt homines esse Filium hominis?” (Mt 16[, 13]).

Considera, Dominum non fuisse patre homine, sed Deo natum; tamen existimatum fuisse Filium hominis, filium Ioseph⁴⁹. Sic scilicet humanus intellectus caligat, ut quae divina sunt humana putet esse. Verum Petrus ceteris illuminator erroneam sustulit de Iesu opinionem, quando illum vivi

^a “Dominus” (BSV)

⁴⁸ Cf. *Io 1, 23*.

⁴⁹ Cf. *Lc 3, 23; Io 6, 42*.

Dei Filium esse asseruit; pro qua confessione principatum Ecclesiae consecutus est⁵⁰.

Te quoque decet simili cum fide sacram accedere mensam et sub specie panis latentem Christum, verum Deum et Hominem profiteri. Quantum nimirum eo fidei afferes, tantum inde munerum relaturus es.

2. “Quia caro, et sanguis non revelavit tibi” [Mt 16, 17].

Considera ineptos esse ad percipienda caelestia, qui in carne et sanguine volutantur resque divinas non tam diligenti concipi studio, quam ferventi mortificatione. Hinc Sapiens: “In malevolam”, inquit, “animam non introibit ^aspiritus sapientiae^a, nec habitabit in corpore subdito peccatis” [Sap 1, 4]. Quemadmodum igitur amentis est terrenam caelesti praeponere scientiae, ita minime prudentis appetere misteriorum Dei cognitionem, neque tamen propter eam assequendam studere mortificationi.

Cum primo Apostolorum Principi deitatem Christi non caro et sanguis revelavit, alter, ut assequatur caelestia: “Castigo”, ait, “corpus meum, et in servitum redigo” [1 Cor 9, 27]. [f.122v]

3. “Tu es Christus, filius Dei vivi” [Mt 16, 16].

Considera, divi Petri constantiam, qua Christum Dominum profitetur esse Filium Dei vivi, cum illum adversarii filium appellarent fabri⁵¹ et in principe daemoniorum Belzebut eiicere daemonia affirmarent⁵². Videlicet hinc docemur, non esse nobis unquam, etiam cum temporalis vitae periculo, a veritate recedendum; neque timide honorem gloriamque Dei promovendam. Quod enim de dilectione Dei cecinit Salomon⁵³: “Fortis est ut mors dilectio” [Cant 8, 6], hoc de confessione eiusdem sentiendum: nimirum eam debere esse fortem adeo, ut ne morte quidem ab ea deterreamur.

a-a “sapientia” (BSV)

⁵⁰ Cf. Mt 16, 16-19.

⁵¹ Cf. Mt 13, 55.

⁵² Cf. Mt 9, 34; 12, 24.

⁵³ “O autorze Pieśni nad pieśniami (Pnp) nic nie wiemy. Autorstwo Salomona dziś już nie ma zwolenników” (BT, 746: *introductio ad Pnp*)

Quodsi tum maxime Deum homo confitetur, cum gloriam illius curat mandataque implet, vide, quanta tibi in his adhibenda constantia est. Quanquam poteris hunc fortissimum divinae confessionis actum exercere, si Iesu Christi veniens hodie in misterio plenum as pectum cum affectu exclamaveris: “Tu es Christus Filius Dei vivi”.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Tibi dabo claves regni caelorum” [Mt 16, 19].

Considera, magnae fuisse Dei providentiae sapientiaeque, quod peccatorem Petrum, a quo fuit abnegatus, supremum caput Ecclesiae, christianarum cohortium Ducem, Vicarium suum constituerit; non Ioannem innocentem vel Iacobum iustum. Nempe tali fuit opus nobis Pastore, qui sciret errantibus oviculis ignoscere easque ad ovile Christi, cum poenitentiae documenta ostenderint, admittere benignissime. Quandoquidem lapsus olim ipsemet noverat, quanta sit in homine ad delinquendum promptitudo, quae ad labendum facilitas, quae cum surrexerit agendi bene voluntas.

Unde tu disce, condolendum esse peccatoribus magis, quam irascendum, cum divinae providentiae norma sit, etiam iustos perfectionisque cupidissimos viros, etiam aliis praepositos, vel tentari graviter, vel denique cadere permittere, ut resipiscentes alios iuvent et non ignari malorum miseris discant succurrere.

Quin tibi sciendum est, peccata aliquando esse remedia salutis, aut media. “Multis utilius est”, ait quidam, “ut non penitus tentationibus careant, sed saepius impugnentur”; (et quandoque cadant) “ne nimium securi sint, ne forte in superbiam eleventur”⁵⁴. [f.123r]

2. “Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis” [Mt 16, 19].

Considera, maximam potestatem a Domino his verbis tam divo Petro, quam eius legitimis successoribus atque adeo sacerdotum cuivis concessam, potestatem plane divinam.

⁵⁴ THOMAS à KEMPIS, “*De Imitatione Christi*”, p. 58 (Lib. I, Cap. XX, n. 19). Allegatio in margine citatur.

Cum enim solius Dei sit peccata dimittere, quis non putet divinum esse, quod divus Petrus illiusque successores et horum cooperatores eadem remittant? et cum secus illis placuerit, secus faciant? Hac profecto ratione Deus iisdem totum sese paene commisit gubernandum, siquidem, quod illi hic voluerint, ille velit in caelo; quod statuerint in mundo, sit ratum fixumque in Divinae Triados concilio; et e contra.

O quam stolidi et infelices ac miseri sunt illi, qui volupe habent iis oblatrare, eorum vitam moresque infestare ac insectari, eos nihili aestimare, quibus solvendi atque ligandi pontificium a Deo traditum est!

Disce tu illos atque stude instar caelitum, imo amplius venerari.

3. Considera statum hodiernorum Apostolorum, ante eorum vocationem. Nimirum alterum fuisse piscatorem, alterum persecutorem.

Tamen (o Dei bonitatem, sapientiam, consilium!) ex Saulo Paulum, [“]vas electionis[”][Act 9, 15], Doctorem Gentium, magnum Apostolum; ex illo piscatorem hominum⁵⁵, petram Ecclesiae⁵⁶, Principem Senatus Apostolici, caeli Ianitorem⁵⁷ creavit.

Traxit Paulum in vinculis charitatis; firmavit Petrum gratia revocationis; utrique mundi principes potentissimos, amplissimos proceres, maximos peccatores tradidit convertendos; utrumque constituit Principem super omnem terram. Sic scilicet infirma Deus eligit, ut fortia confundat⁵⁸.

Applica, tibi par exhibitum esse beneficium, tam in vocatione religiosa, quam ad hodiernam Communionem admissione.

⁵⁵ Cf. Mt 4, 19; Mc 1, 17.

⁵⁶ Cf. Mt 16, 18.

⁵⁷ Cf. Mt 16, 19: “Et tibi dabo claves regni caelorum”.

⁵⁸ Cf. 1 Cor 1, 27.

**IN FESTO VISITATIONIS
BEATAE MARIAE VIRGINIS**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Exurgens ^a Maria” etc. (Lc 1[, 39]).

Exurgit Maria iter ad Elisabetham/s]^b factura hanc ob causam, ut inferiorem iuuet cognataeque maxima praestet officia charitatis.

Exurge, tu, pariter ad animam tuam iuvandam, qua tibi nihil propinquius, nihil carius esse debet. Itaque visita illam quantocius, lustra, qua re habeat opus, vide et simul provide. Quodsi gravidam bonis desideriis et quasi praegnantem advertis, roga in praesenti Communione venientem ad te Iesum, ut quemadmodum Sanctum Infantem in utero sanctificavit Elisabethae/s], sic tua sanctificet desideria et parta iuuet ac promoveat; imo qua gratia [f.123v] Ioannem ab originali labe, eadem te ab omnibus culpis emundet ac iustificet.

2. “Abiit in montana cum festinatione” [ibid.].

En tibi duos sectandae perfectionis modos invicem sibi cohaerentes Virgo Dei Mater sanctissima suppeditat: alterum, ut contemptis depressis convallibus montana ascendas, id est, altiorem semper gradum perfectionis eligas et attingere contendas; alterum, ut cum festinatione tuam proximique opereris salutem, neque deside mora tibi sinas elabi preciosissimum tempus nonnisi meritoriis actionibus collocandum.

Quodsi aggravant te passionum pondera, nec evolare in summum perfectionis apicem permittunt, orabis Iesum, ut, postquam tuum subiverit pectus, omni te liberet onere, qualiter olim sanctissimam Parentem suam per montana gradientem liberavit, adeo, ut divino onusta pignore nullum sentiens onus iter perageret.

^a add. “autem” (BSV) ^b “Elisabeth” est nomen indeclinabile

3. “Intravit in domum Zachariae”, etc.[Lc 1, 40]

Considera, quo affectu longinqua haec hospes, Virgo Dei Genitrix domum Zachariae ingressa Elisabetham[s] salutaverit, quis denique effectus hanc salutationem secutus sit, nempe Infantis in utero adhuc materno delitescens sanctificatio.

Collige, tu, etiam omnes animae tuae vires et qua potes diligentia, humilitate ac industria te ad Iesum brevi te conventurum salutandum praepara, ut plenam affectuum sublimium copia et verborum suavitate salutationem, animae sanctificatio et ad omnia ardua corroboratio sequatur.

Post Sanctissimam Communionem1. “Exultavit infans in utero” [Lc 1, 41].

Cogita non aliam fuisse laetitiae causam Ioanni materno in utero salienti, quam Christi Domini adventum etiam intra maternum conclusi pectus.

O quantum, tu, laetari debeas, cuius intra viscera moratur is, qui per duos quasi muros, hoc est post binorum pectorum obstaculum latens, Ioannem ita exhilaravit, ut saltus ederet, qui nondum loqui sciebat, nec videbat lumen solis, tamen illum Solem iustitiae sentiebat!

Sed credo spiritualem, tu, laetitiam, pro fluxa ac vana perdidisti laetitia, licet totius mundi gaudia ne minimam caelestis gaudii particulam valeant adaequare. Ah! si iustus es, uti inter iustos religiosos vivens, cur non in solo Domino laeteris? **[f.124r]**

2. “Repleta est Spiritu sancto” [ibid.].

Post laetitiam et exultationem Infantis Spiritu Sancto Mater impletur, eo nimirum spiritu, qui Infantem afflavit, sanctificavit, exhilaravit: quasi comes Sancti Spiritus laetitia sit et ille vicissim comes laetitiae; nec aliter, siquidem fructus Spiritus sancti gaudium est⁵⁹.

⁵⁹ Cf. Gal 5, 22.

Verumtamen considera tu etiam tristitiam non esse vitandam semper, neque semper esse malam: latet nonnunquam^a in tristi corde magnus et verus spiritus, qui illud coarctat tristitia, ne dissolvatur, alias laetitia dissolvendum. Itaque crede non semper esse bonam laetitiam, nec semper esse tristitiam malum: cum et ipse Sapiens melius esse dixerit ingredi luctus domum, quam convivii ac laetitiae⁶⁰.

3. “Benedicta tu inter mulieres” [Lc 1, 42].

Ecce Elisabeth Spiritu Sancto repletur, nec tamen ideo supra Virginem sanctissimam elevatur, sed inferiorem se illa statuit, cum benedictam et sanctissimam inter mulieres praedicat.

Hic nempe Sancti Spiritus effectus est, alios non detractationibus sed laudibus afficere adscribereque illis bona, quibus pleni sunt, non ex invidia denegare. Hoc est possessi a Domino cordis indicium, si in alienas laudes effunditur, suarum oblitum.

Disce tu, (exempta tamen adulationis specie) aliorum celebrare virtutes, abscondere vitia et excusare; sic Spiritu Sancto plenum te esse putaveris.

IN FESTO [SANCTAE] MARGARETHAE^b/s/ VIRGINIS ET MARTYRIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro” (Mt 13[, 44]).

Considera, qualiter te docet Magister caelestis abscondere caelestia dona, quando caelorum Regnum thesauro abscondito in agro comparat.

^a talis est nostra correctio coniecturalis loco “nunquam” in ms., quod uti error (ob calami lapsum?) agnosci debet ^b nomen Sanctae desumptum forsitan a lingua Germanica “Margareta”, sed hodie magis communis lectio huius nominis in lingua Latina est “Margarita”

⁶⁰ Cf. Eccl 7, 3.

Nempe uti inventus thesaurus ab inventore celatur et nemini demonstratur, ut hic eo non privetur, ita divinae munera liberalitatis, quales sunt virtutes, talenta, gratiae sunt occultandae, ne scilicet videns eas ostentari a nobis fur tartareus, iis nos spoliet; vel ipsum Numen, advertens nostram iactantiam in ipsis eas nobis adimat.

Quoties ergo hunc thesaurum inveneris, absconde, cela, non ostenta.
[f.124v]

2. “Inventa autem una pretiosa margarita”, etc.[Mt 13, 46]

Considera pro solenni suo more Iesum parabolice loquentem pulchra similitudine usum religiosam vocationem pretiosae margaritae comparasse. Dicit enim hominem quaerendis insistentem margaritis, una earum inventa pretiosa, omnem suam possessionem vendidisse et hanc emisse.

Quis ille negotiator est, nisi qui Regnum caelorum quaerit instantius christianus? Et reperto modo illud consequendi, nimirum divina vocatione quasi gemma pretiosissima, illico vendit omnia sua et denique seipsum instar mancipii religiosae vitae iugo mancipat, ut hac gemma incomparabilis pretii, vocatione inquam sua gaudeat et secundum eam salvetur.

O te beatum, qui hanc unam pretiosam invenisti margaritam! sed beatiorem futurum, si hanc non perdidideris, aut non maculaveris contrariis tuo statui defectibus.

3. “Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt” [Mt 13, 48].

Considera, nemini Deum causam praebere damnationis, atque adeo unumquemque nostrum suae salutis vel aeternae mortis auctorem esse. Sentis enim quid hic de salvatis, quid de damnatis caelestis Veritas dicat: “Elegerunt”, inquit, “bonos in vasa, malos autem foras miserunt”. Quasi vellet hanc sententiam pronunciare: omnes boni salvabuntur; omnes mali mittentur in ignem aeternum. Quodsi omnis homo per se, non auctore Deo, malus est, – malum enim Deus, qui summa bonitas est, facere non potest, – ipse se malitia sua condemnat.

Fuge, tu, malum, operare bona in vita tua et procul dubio sempiternam salutem amittere non poteris.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Inventa autem una praetiosa margarita, [.....] vendidit omnia [.....], et emit illam^a” [Mt 13, 46].

Considera, per pretiosam margaritam, divinam consolationem intelligi, cuius acquirendae nullus alius modus est, nisi ut vendas tua omnia et emas illam: videlicet, omnibus valedicas aliis delectationibus, omnia solatiola vana respuas necesse est, si caelestibus abundare solatiis cupias.

Atque tibi parendum est mellifluo Doctori monenti: “Pretiosam^b cesse divinae consolationis gemmam, sed non dari omnino^c admittentibus alienam”⁶¹.

Hinc est, quod, licet recenter a sacra mensa rediveris, nullam tamen supernae dulcedinis affluentiam sentias, quia curiosis tuum cor et utinam praecise non malis, oblectationibus implere satagis.

O si bonus rerum aestimator es! vende omnia et eme hanc pretiosam divinae consolationis gemmam; qua habita, omnino ditissimus fueris.

2. “Separabunt malos de medio iustorum” [Mt 13, 49].

Considera, te cum iis divino iudicio adstiturum, quibuscum societatem inter vivos habueris. Unde, si impuris, iracundis, gulosis fastuosisque in horrendo illo tribunali [f.125r] non vis immisceri damnatus, eorum non solum conversationem, at vitia quoque fuge.

Iuвет te potius societas et imitatio iustorum, id est obedientium, mortificationibus deditorum, humilitati, paupertati, modestiae, patientiae, caritati puritatisque animi studentium, ut inter illos iudicandus compareas et sursum in aera, in caelestem Patriam rapiaris.

At hodie, maxime et unice converseris cum Christo, quem suscepisti, ut ille te inter iustos admittat et ad Regni sui hereditatem adsciscat.

^a “eam” (BSV) ^b “Pretiosa” (PL) ^{c-c} “siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur” (PL)

⁶¹ BERNARDUS, *Ganfridi Abbatis Declamationes ex S. Bernardi Sermonibus* : PL 184, col. 472 (n. 309). In margine S. Bernardus citatur.

3. “Mittent eos in caminum ignis” [Mt 13, 50].

Considera, infelicissimas esse vel ex ea solum causa animas damnatorum, quod ob leves, fluxas brevissimasque voluptates, aeterno addicentur igni: quo tantopere cruciabuntur, ut, si daretur uni damnatorum ad vitam redeundi facultas et agendi poenitentiam, utique libentissime eiusmodi poenam subiret, ut corpus illius quotidie scinderetur et concreceret, etiam per mille annos, modo infernales illas flammam tormentaue posset evitare.

Te beatum, qui minima mortificatione cum gaudio suscepta et exercita, queas ab illis cruciatibus aeternis liberari; contra stultum, si nolis hic pati, ut in Styge non patiaris.

IN FESTO SANCTAE MARIAE MAGDALENAE**Ante Sanctissimam Communionem**

1. “Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix” (Lc 7[, 37]).

Perpende divini verbi, simul et amoris in diva Magdalena effectum; quae ubi Iesum praedicantem audivit, tam vehementi amore Dei tacta est, ut acceptis unguentis pretiosissimis ad pedes illius provoluta, lachrymis eos lavaret, delicatis olim crinibus abstergeret, balsamo, sive nardi pistici oleo non minus fragranti, quam pretioso inungeret, in consessu multorum hominum, praesertim inimicorum Christi Pharisaeorum: memor delicti, oblita proprii honoris, nihili faciens sui aestimationem, magni aestimans divinam miserationem et animae a septem spiritibus immundis atque adeo ab ipsa damnatione aeterna, liberationem.

O quam multa habes, quae ab hac publica, sed publice iam poenitentiam agente peccatrice discas! Seriam conversionem, veram submissionem, tui contemptum, Dei reverentiam et amorem, peccati odium, detestationem, confessionem, salutis [f.125v] desiderium, vitae emendationem et non perfunctoriam poenitentiam.

I, ergo, perge ad Iesum prostratusque in terram dic: Salvator clementissime, provolvor ad pedes tuos cum Magdalena et cum publicano percutio pectus meum. Esto propitius mihi infelici peccatori.

2. “Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?” [Lc 7, 49]

Considera, non admiratione correptos, sed invidia repletos Pharisaeos interrogationem de Christo instituisse et quis esset indagasse. Fecit enim hic, quod illi fecisse non potuere: dimisit peccata, quae illis dimittendi defuit autoritas; quinimo ipsi, uti scelestissimi, peccatorum indigebant remissione.

Tu in contrarium statue, omnium admiranda facta laudare, non convellere peccatoribusque compati, iuxta illud divi Pauli: “Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi” [Gal 6, 2]; quandoquidem ipse simul opus habeas divina misericordia, cuius obtinendae gratia Dei hodie sub specie panis latentis accedis Maiestatem.

3. “Remittuntur ei peccata multa, quia^a dilexit multum” [Lc 7, 47].

O diem omnium dierum felicissimam et maximis gaudiis refertissimam! Sive enim caelum inspicias, hoc, vel ipso caelesti Rege teste, maxime laetatur: maius est gaudium, inquit aeterna Veritas, “super uno peccatore poenitentiam agente”, (in caelo scilicet) “quam super nonagintanovem iustis” [Lc 15, 7]. Vix igitur concipias caelitem gaudium, quod ex conversione peccatricis Magdalenae percepere.

Sive iterum suspicias terram, haec quoque non minori laetitia exultat, videns iam sibi missum esse verum Messiam, qui non venit salvare iustos, sed peccatores. Habens inauditum divinae bonitatis exemplum, quae maximam urbis Ierosolymitanae peccatricem, tanta suscepit ad se revertentem miserationis magnitudine, ut non solum illi peccata remitteret universa, sed etiam defenderet illam ab invectivis Pharisaicis.

Quis hic peccatorum desperet, expendens a Iesu non modo facillime vere poenitentibus dimitti scelera, sed etiam peccatorum suscipi defensionem. Profecto merito saepius inclamat Propheta: “Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in aeternum^b misericordia eius” [Ps 105, 1].

^a “quoniam” (BSV)

^b “saeculum” (BSV)

Post Sanctissimam Communionem

1. “Fides tua te salvam fecit” [Lc 7, 50].

Considera, universa delicta Mariae Magdalenae simul cum eorum poenis fuisse [f.126r] remissa eamque continuo ad perfectissimam amoris unionem fuisse admissam. Nihilominus secessit illa post Dei–Homini ad superos ascensum in remotum solitariumque montem, ibique durissimis poenitentiae actibus praeteritae malefacta aetatis compensabat et quotidianis lachrymis maculas anteactae vitae expiabat⁶².

Scilicet tibi dedit exemplum, ne ab arreptis poenitentiae exercitiis et vitae rigore desciskas, quamvis certus sis omnium tibi datam esse veniam scelerum. Quemadmodum fecit ille, qui cingulo castimoniae donatus, nunquam destitit evitare scopulos, ad quos potuisset naufragium assertae virginitatis aliquod subisse⁶³.

2. “Quia^a dilexit multum” [Lc 7, 47].

Perpende, ex dilectionis magnitudine pendere mensuram gratiarum. Inde fieri, ut, qui maiori amore in Summum Bonum fertur, maiores favores et amoris ampliora praemia recipiat. O anima mea! quid audis? quid rei concipis? Erisne ulterius tam stupida et amens, ut te totam divino amori non impendas, ut totum Deum obtineas? Faciesne deinceps tuam potius cum tui perditione voluntatem, quam amantis iussa cum salute? Non relinques omnia, ut invenias omnia? Non abnegabis te, ut lucreris te et eum, qui condidit te?

O vere lucrosa Dei dilectio! qua comparatur is, qui diligitur! O vere bonum est amare Infinitum et amari ab Infinito! O amor inexplebilis, dulcis, constans, benigne, quiete, laudabilis, incircumscripse! Da te experiri, da

^a “quoniam” (BSV)

⁶² SAXER Victor, “*Maria Maddalena, santa*”: BS VIII, 1092: “III. La Leggenda. [...] 2) In Occidente. [...] a) Un testo del sec. IX: Vita eremitica (BHL, II, 805-806, nn. 5453-5456). Vi si narra che Maria Maddalena si sarebbe ritirata in un eremo sconosciuto dopo l’ascensione del Signore e avrebbe vissuto trent’anni di penitenza senza veste e cibo.”

⁶³ Forsitan auctor de seipso hic loquitur, se sub “ille” abscondendo.

gustare, da semper appetere; flagrare tui ardore semper et nunquam comburi; sitire te semper et nunquam satiari!

O Deus! da, ut vere amando te et ex puro amore tibi serviendo, tandem aliquando suavissimum intonem canticum amoris, in beatissima regione Tuae visionis: “Inveni quem diligit anima mea: tenebo^a eum: nec dimittam” [Cant 3, 4] in aeternum.

3. “Vade in pace” [Lc 7, 50].

Considera, quod postquam peccatricem poenitentem Servator noster a pharisaicarum linguarum aculeis propugnasset a septemque daemoniis, quae capitalia septem peccata dicenda sunt, liberasset, in pace tandem dimisit illam et omnem in posterum securitatem ei providit.

Tecum non aliter hodie processum est. Quid enim aliud ad divinam mensam praeter innumera peccata attulisti? Et ecce his, quasi vinculis dirissimis, exsolutus inde redis. Quid, praeter amarorem cor tuum gestavit? et en iam dulcedine repletum est. Tenebris involutus multorum defectuum eo procedebas: inde sole amictus quasi vestimento regrederis. Bello interno agitatus sacram petiisti synaxim; hac sumpta pace dulcissima potitus es.

O quas Deo persolves tanto pro munere grates? Dilige multum, dilige perfecte, dilige constantissime. [f.126v]

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei [.....] adorans et petens” (Mt 20[, 20]).

Vide non sine magna adoratione supplicantem pro filiis matrem, tamen patientem repulsam. Causa est, quod peteret ea, quae cuiusdam excellentiae praeseferebat appetentiam quodque motivum orationis ex mala passione oriretur.

^a “tenui” (BSV)

Ut enim sapiens observat Chrysostomus^a, principatum caelestis Regni intendebant per matrem filii Zebedaei impetrare: “Volebant”, inquit, “ut ego conicio, quoniam super duodecem sedes sessuros ^b audierunt, primatum huius consessus impetrare; et praeponi quidem se ceteris ^c sciebant, Petrum vero sibi praeferri formidantes, dicere ausi sunt: Dic, ut unus a dextris, alter a sinistris sedeat”⁶⁴.

Ambitionis autem istius causam affert; quod nondum suscepissent Spiritum Sanctum⁶⁵.

Itaque, tu, cum Dominum accedis, cautior esto in tuis exponendis postulatis eaque solummodo pete, quae non temporalia commoda, sed aeternam salutem concernunt.

2. “Nescitis, quid petatis” [Mt 20, 22].

Pende magna prudentia a Salvatore petacem hanc cum filiis matrem expeditam esse. Spectabant caeteri discipulorum et expectabant responsum, quod daturus erat ambitiosae consanguineorum postulationi, cum ille, ne ullam in eorum animis moveret suspicionem, nihil in se humani affectus erga fratres manere ostendens, divine plane respondet: “Nescitis, quid petatis”: arguit scilicet ambitiosam petitionem.

Sed te simul vult docere, quo debeas affectu intentioneque aliis benefacere et erga homines affici: nimirum nullam habendo consanguinitatis aut sympathiae rationem, sed iustitiae ac charitatis.

^a in ms. erronee: “Hieronymus”, uti patet ex introductione Cornelii a Lapide ad textum ab eo allegatum: “Occasionem huius petitionis sagaciter dat S. Chrysostomus:” Est textus quasi idem ac infra allegatus Hieronymoque adscriptus. ^b add. “discipulos” (CLCE) ^c add. “praeterquam Petro” (CLCE)

⁶⁴ CHRYSOSTOMUS, textus uti allegatus in: CORNELIUS A LAPIDE, op. cit., t. II: In S. Matthaem, p. 140. Notanda est versio latina sat diversa huius textus S. Chrysostomi in PG 58, 619: “Volebant autem, ut ego arbitror, quia audierunt, «Sedebitis super thronos duodecim (Mt 19, 28)», primum consessum impetrare. Sciebant porro se alios antecedere; timebant vero Petrum, ac dicunt: «Dic ut sedeat unus a dextris tuis, et unus a sinistris»”. N.B.: Commentum s. Hieronymi super Mt 20, 20 est omnino diversum; cf. in: CChrL 77, 177.

⁶⁵ CHRYSOSTOMUS, In Mt hom. 65/66 : PG 58, 619: “At nemo turbetur, apostolos sic imperfectos videns. Nondum enim crux advenerat, nondum Spiritus gratia data est. Si velis autem ipsorum virtutem ediscere, post haec illos considera, videbisque ipsos omni morbo animi superiores. Ideoque enim illorum imperfectiones revelat, ut postea scias quales ex gratia facti sint”.

3. “Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?” [ibid.]

Considera Servatorem his verbis expresse nobis indicasse, Regnum caeleste et omnem honorem eius, in multa patientia situm esse; atque praedestinatorum numerum ex illis componi, “quos”, testante Apostolo, Deus “praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui” [Rom 8, 29].

In quo testimonio hic omnino sensus [f.127r] latet: qui instar filii Dei cum omni resignatione calicem afflictionis et suscipiunt et bibunt; qui pro benefactis mala recipiunt, qui accusantur et condemnantur iniuste, qui gratis odio ludibrioque habentur, qui quoscunque contemptus, adversitates, labores, tribulationes, cruces, persecutiones hilari animo amore Christi, ad imitationem Christi sustinent, hi caelesti gloria potentur et cohaeredes erunt filii Dei.

Ad quietem igitur te non dispone, sed potius ora venturum ad te Dominum, ut animam tuam praeparet ad tentationem.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Quibus paratum est a Patre meo” [Mt 20, 23].

Expende per ipsum Patrem aeternum veris Christi Domini sectatoribus in illo felicissimo Regno domicilia esse parata. Unde adverte quanti aestimet illos caelestis Pater, quos constanter suo Filio adhaesisse noverit.

Simulque considera: quanta felicitas miseros in caelo maneat; quantum gaudium afflictos; quae praemia Christi cooperatores, quos hic sibi cohaeredes Regni caelestis adscivit. Et siquidem socios habet in mundo afflictionum, habebit in caelo consolationum; si hic habet socios laboris, habiturus ibi est quietis; si denique habet socios persecutionis, habebit etiam beatitudinis.

2. “Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus” [Mt 20, 27].

Considera, quod caelestis Magister, contrarium vivendi modum tenere suos doceat et velit, illi, qui in mundo receptus est. Mundi principes nulli amant deservire et contemptui ducunt, si quidpiam suis subditis praestent obsequii.

At aliam longeque diversam ab hac suis aeternus Rex dictat ethicam et legem praefigit: “Qui”, inquit, “voluerit inter vos primus esse, erit vester servus”. Quasi dicat: praelatos servorum meorum, non tam rectores dominosque esse decet, quam ministros et servos. Ego enim ipse non veni “ministrari, sed ministrare” [Mt 20, 28]. Atque hoc idcirco, quod in una libera hac servitute, tres virtutum praestantissimae, subiectio, humilitas charitasque contineantur. [f.127v]

3. “Possumus” [Mt 20, 22].

O felices Apostolos, qui tantum animi habuere, ut generose asseruerint, posse a se calicem Domini exhauriri.

Tu vero, quam debilis in mortificationibus subeundis es! quam nihil mentis habeas aliquid amore Christi patiendi! quam ad minima adversa turpiter contremiscas! licet haud ignores, neminem possessurum bona caelestia, qui non aequo tulerit animo huius mala mundi: neminem ad refrigerium nisi per aquam et ignem perventurum. Verissimumque axioma esse: “Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus eris a numero filiorum”.

Age, ipsam cum fortitudinem intra tuum pectus retines, dic iam: “Omnia possum in eo, qui me confortat” [Phil 4, 13].

IN FESTO SANCTAE ANNAE AVIAE CHRISTI DOMINI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro” (Mt 13[, 44]).

Considera, agrum hunc esse beatae Annae uterum, thesaurum Virginem Sanctissimam, qua nihil in orbe et caelo pretiosius. Unde conice praestantiores angelos custodiendo huic agro fuisse locatos, quemadmodum optima custodia solent illum sepire divites locum, in quo eorum thesauri sunt reconditi.

Disces deinde, tu, qua potes maiori diligentia concessas tibi a Deo dotes et gratias, qui sunt nobilissimi thesauri, custodire, ne scilicet a vana gloria, fure, sublegantur.

2. “Vendit universa quae habet, et emit agrum illum” [ibid.].

Non inepte haec applicaveris sanctae Annae, cuius uterum universis Deus praetulit creaturis, in quo omnium creaturarum praestantissimam reposuit Virginem; atque ut hac deinceps potiretur, suae quoque divinitatis oblitus erat, illam humanitati nostrae copulando. O vere hunc beatum ventrem dixeris, ex quo prodiit illa Virago [s], in cuius utero ipsa requievit Beatitudo. Sane felicior Arabia Felici⁶⁶ fuit hic ager, in cuius meditullio inventa est vena auri purissimi, tanto pretiosior, quanto inaestimabilior et Deo carior.

Sed, tu, iam agrum tuum caelesti [f.128r] appara thesauro recipiendo, quo magis ditescas, si minus divitiarum mundi, id est saecularium cogitationum, sacram accedens mensam habebis.

3. “Vendit universa” [ibid.].

Quemadmodum qui thesauros absconditos in agro possidere gestiunt, agri illius comparandi causa multa amittunt et expendunt et quandoque meliorem pro ditiori mutant. Ita, si velis, anima mea, thesauros in agro sanctissimae Eucharistiae absconditos acquirere, vendere debes omnia, quae habes, iubente sancto Doctore: “Relinque^a omnia, et invenies omnia”⁶⁷.

Exuendus ergo tibi proprius amor, si divino vis inflammari; abicienda propria voluntas, si divinae vis conformis esse. Denique totam te abneges necesse est, si totum possidere cupis Christum, inaestimabilem caeli thesaurum.

^a “Dimitte” (ICK)

⁶⁶ “Arabia Felix – nazwa wprowadzona przez Rzymian; w starożytności i w średniowieczu określano nią żyzną, pd.-zach. część Płw. Arabskiego..., przeciwstawiając ją pozostałej, pustynnej i nieurodzajnej części półwyspu, zwanej Arabia Petrea” (ROŚCISZEWSKI M., “Arabia Felix”, in: WEP I, 325). Arabia - “Felix..., in qua... avis Phoenix reperitur, et thus, et sardonix gemma nascitur” (SLL, s.v. “Arabia”).

⁶⁷ THOMAS à KEMPIS, “De Imitatione Christi”, p. 265 (Lib. III, Cap. 32, n. 5).

Post Sanctissimam Communionem

1. “Inventa autem una pretiosa margarita” [Mt 13, 46].

Inquire ex te, quas gemmas e thesauro hoc, quem tibi Deus hodie in sacra mensa aperuit, decerpisti: an aliquam virtutum, puta devotionem, resignationem, humilitatem acquisivisti? Sunt hae quippe gemmae, quibus animas devote se sumentium condecorat Iesus.

Ac uti mercatores elapsis nundinis tam expensas, quam lucra solent ad calculos revocare, sic tu debes animadvertere, quod lucrum fueris ex sacra Communionem consecutus. Gemmam aliquam ibi reperisti? custodi illam.

2. “Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt” [Mt 13, 48].

Discute profundo iudicio hanc de piscibus paroemiam et memoria repetens electionem piscatoris in Summum Apostolorum Ecclesiaeque Principem, piscibus collatos esse hic a Magistro Veritatis homines contemplare.

Quemadmodum igitur piscatores malos foras eiciunt, bonos in vasa recondunt pisces, ita Supremus ille rerum Arbiter cum omnibus mortalium facturus est, iustos in caelestis domicilia Regni secum recipiendo, impios ad tartara detrudendo.

Tu, quos inter hodie recenseris? profecto si studium virtutum, si emendationis [f.128v] desiderium in te sentis, plaude: non inter reprobos computandus es. Enimvero te iam sibi electum Deus adscivit, ponens signaculum supra cor tuum, seipsum.

**IN FESTO DEDICATIONIS
SANCTAE MARIAE AD NIVES**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “^aLoquente Iesu ad turbas^a” ([cf.]Lc 11[, 27]).

Considera, tanto flagrasse Christum Dominum desiderio animarum lucrandarum, ut nullum conventum hominum praeterierit, quem salutaribus dogmatibus non instruxisset.

Etiam tibi nullam occasionem lucrandi proximi omittendam esse cogita; proindeque quoties cum aliis maxime saecularibus agis, non nisi salutaria agas, ut conversatio tua sancta sit et beneplacens Deo et hominibus.

Sed hac in sacra mensa Dominum orabis, ut tuorum sensuum tumultuantem turbam alloquatur eosque non tam verbis, quam suae potentiae virtute in obsequio sancto cohibeat et, si velint adhuc resistere, mortificet.

2. “Extulit^b vocem una^c mulier” [ibid.].

Vide laudabilem et generosam pietatem istius mulieris, quae in tanta multitudine populi versantem Dominum elogio plane divino cohonestavit, quamvis illi turbae fortassis intererant adversarii Christi.

Tu debes pariter animose Dei laudem pro viribus tuis omni occasione promovere. Et nunc eundem solum ad te solum venientem non magnis affectibus, desideriiis, laudibus excipies? Age, quidquid ingenii, facundiae, pietatis, dexteritatis in te reperiri potest totum id exprome Iesum tuum salutando.

3. “Beatus venter, qui te portavit” [ibid.].

Si non solum istius a Domino illuminatissimae mulieris iudicio, sed etiam pia doctrina christiana comprobatur, maiori sanctitate, pluribus

^{a-a} revera sunt verba auctoris, in Evangelio autem pericope de muliere vocem extollente praeceditur verbis: “cum haec diceret” (BSV)

^b “extollens” (BSV) ^c “quaedam” (BSV)

gratiis ornatam fuisse beatam Virginem post incarnatum Dei Filium, quam ante fuisset ornata, tu, vide, ne obicem aliquem ponas, ut te non^a[?] possit Dominus, ad te delapsurus, magis quam fuisses illuminatus antea illuminare, [f.129r] sanctificare magisque purum, obedientem, disciplinae deditum, humilem, pauperem, mansuetum magisque mortificatum reddere.

Nam licet proprium sit omnis sanctitatis ac praesertim Sanctorum Sancti, ut secum conversantes faciat sanctos, attamen proclamatum est talia quandoque ab ipsis hominibus afferri obstacula et impedimenta, ut licet velit Deus illos facere sanctos et salvos, propter eosmet ipsos non queat.

Utinam, tu, hanc infelicitatem vel hodie non incurras!

Post Sanctissimam Communionem

1. “Beatus venter, qui te portavit” [ibid.].

Considera, beatam quidem fuisse ab ipsa conceptione sua Virginem sanctissimam, imo beate conceptam; sed tamen beator evaserit, ubi auctorem beatitudinis Filium Dei concepit. Hinc recte clamat mulier extollens vocem ex turba: “Beatus venter, qui te portavit!” Quasi dicat: o felix! o beata Mater illa, cuius tu, cum sis tam sanctus, uterum sanctificasti melius, etsi iam sanctus fuerit antequam te gestaret!

Tuum quoque pectus beatum est, Dei Filium hodie continens. At pete, semper ut in eo maneat, quatenus semper esse beatus possis.

2. “Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt [illud]” [Lc 11, 28].

Audi voces Christi Domini perorantis intra te atque sic te alloquentis: beatitudo tua posita est in meorum custodia verborum. Verba vero mea sunt, quae pii tibi libri^b, quae praecepta, evangelica mea consilia, quae tuae

^a est correctio coniecturalis, secundum contextum, verbi “pon” in ms., quod nullum sensum habet et probabiliter ob lapsum calami scriptum est.

^b in ms. erronee: “libir”

regulae loquuntur; quae denique tibi tuis a Maioribus inculcantur. Ut enim olim per Moysen locutus Hebraeis sum et mandata exposui mea, ita nunc populo meo electo, meis famulis, religiosis nempe hominibus per eorum Superiores ducesque spirituales loquor et meam aperio voluntatem. Qui ergo Superiores audit, quasi me audiens beatus est.

O te plus quam beatum! si hoc in fundamento praesentem collocas beatitudinem! si tuos duces uti Deum audias^a, si illis, uti Deo pareas!
[f.129v]

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. Transfiguratus est ante eos” (Mt 17[, 2].

Considera, putasse Christi discipulos, quod cum homine tantum non cum Deo simul fuissent conversati ideoque Christum fuisse ante eos transfiguratum, ut simul hominem et Deum esse illum agnoscerent, agnoscendo profiterentur, profitendo praedicarent.

Sic idem Christus, cum tibi aliquando suae divinitatis notas, hoc est spirituales delicias, in sacra praebet Communionem, propterea id facit, ut libentius pro eo patiaris patiendoque illum confitearis. Siquidem nemo Christum melius confitetur, quam qui per adversa sequitur euntem.

2. “Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix” [ibid.].

Considera, lucem et candorem proprie divinitati convenire, idcirco lucidus facie, candidus habitu Deus-Homo Iesus discipulis apparet. Atque haec duo vera sunt verorum Dei servorum signa: lux et candor. Lux boni operis, candor innocentiae et honestatis.

^a in ms. erronee (sec. contextum): “audeas”

Utinam hodie te Christus in se transformet, ut luce virtutum anima fulgeat, candore intentionis cor albescat et equidem danda tibi opera est, ut vultu habituque Deo similis existas, aequae interne atque externe verus Dei famulus appareas.

3. “Apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes” [Mt 17, 3].

Considera, te, si velis Christum in caelo transfiguratum videre, debere penes evangelicam doctrinam attendere legis observationi et studio contemplationis. Nam non sine causa apparuerunt Christi discipulis Moyses et Elias cum Christo loquentes. Per Christum enim evangelica consilia, per Moysen divina praecepta, per Eliam contemplatio designatur. Unde, tu, doceris: ad obedientiam, paupertatem et castitatem, quae Christus docuit exemplo et verbo, divinarum legum tibi adiciendam esse observationem.

Neque tamen ideo te perfectum fore, nisi his studium contemplationis addideris, activae vitae speculativam iungas. Ubi Christus est, Moyses et Elias debet esse. Dicis te sequi Christum, quod Evangelica consilia sequaris: nihil egregie facis, nisi praecepta Dei simul custodis et non rarae contemplationi^a das operam. [f.130r]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Domine, bonum est nos hic esse” [Mt 17, 4].

Considera, naturam humanam sponte inclinari ad suavia molliaque, dura et amara aversari. Sed ducendam esse, quo ire recusat; compellendam, quod renuit sustinere. Ita Apostolorum Principi mons Thaboreius placuit deliciis caelestibus, visione mirifica plenus, quare cum gustu ait: “Domine, bonum est nos hic esse”. Verum Christo Domino, qui fuit ipsissima Virtus, magis Calvariae mons arrisit, in quo pro generis humani salute fuit illi patiendum.

^a in ms. erronee: “completationi”, evidenter ob calami lapsum

Tu, exemplo Christi, fuge mollia, ama dura; vita quietem, stude labori; contemne delicias, amplectere crucem. Futurae, non praesentis est vitae deliciis affluere. Puri est imitatoris Christi non in prosperis, at in adversis dicere: “Bonum est nos hic esse”.

2. “Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum” [ibid.].

Considera, quam valde sapuit divo Petro solitudo, ut in ea continuo voluerit remansisse. Tibi quoque non debet esse molesta; sed perpende qualem te esse in solitario loco, in cella inquam tua, hoc est terrestri caelo, deceat. Tria debes ibi habere extracta tabernacula: Christo, Moysi et Eliae. Nimirum omni momento attendere obedientiae; nihil possidere non consentaneum paupertati; magna diligentia castimoniae, quae magis in solitudine a malo genio oppugnatur, invigilare: hoc est Christi tabernaculum.

Debes insuper assiduo prae oculis divina mandata intueri, neve quidpiam contra ea mente, ore actioneque patres advertere: hoc Moysis tabernaculum est. Ad extremum piis ibidem debes vacare contemplationibus: nunc caeli praemia, nunc inferni poenas; modo Christi passionem, modo Virginis, Divorum tuamque vitam; aliquando pulchritudinem virtutum, aliquando vitiorum foeditatem mente revolvendo: quod Eliae fuerit tabernaculum. Haec igitur est solitariae vitae consuetudo, hoc est: “Bonum est nos hic esse”.

IN FESTO SANCTI LAURENTII LEVITAE ET MARTYRIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet” (Io 12[, 24]).

Considera, maxime necessarias esse ad aeternae gloriae complementum persecutiones et tribulationes atque sine his impossibile fore, ut quis

imitator discipulusque Christi et verus Catholicus existat ad aeternaeque salutis domicilium perveniat.

Pulchra similitudine hoc declaravit Servator in hodierno Evangelio de obmortui grani fructu et viventis nullo commodo [f.130v] allata: quasi vellet significare, hominem non posse fructu virtutum gaudere, neque Deum fructu hominis, nisi hic obmoriatur; id est, variis prematur afflictionibus et vitam, quae mundi amatorum est, relinquat. Ad rem de se Ignatius Antiochenus: “Frumentum”, inquit, “^aChristi sum^a, dentibus^b bestiarum^c molar, ut ^dpanis mundus^d e inveniar”⁶⁸.

Tu sacram accedens mensam, petes ab occiso pro te Agno, det tibi gratiam viresque pro suo nomine patiendi et quotidianas adversitates animose tolerandi.

2. “Qui amat animam suam, perdet eam” [Io 12, 25].

Animam amare est: sensus suos sequi, voluptatibus et genio indulgere, solam cuticulam curare.

O ego, quam tarde expergisor! qui non dissimili via quamvis extem religiosus, ambulo. Vanum nomen sub laudabili habitu gesto et virtutibus nondum, tot annis in palaestra virtutum exercitatus, religiosus esse incipio!

Cave sis, anima mea, tam amens, ut te ipsam perdas; perdes vero, si amaveris. Quin hodie mortem a Vita Iesu petis et spiritualiter, ut aeternum vivas, mori incipis?

a-a “sum Dei” (PG, LH et al.) b “et per dentes” (ed. Amstelodami; LH)

c “ferarum” (LH)

d-d “mundus panis” (PG; ed. Parisiis; Amstelodami); “purus panis” (LH)

e add. “Dei” (PG; ed. Parisiis); “Christi” (ed. Amstelodami; LH)

⁶⁸ IGNATIUS ANTIOCHENUS, s., ep. et mart., *Epistola ad Romanos, uti allegatum a s. Hieronymo (lib. “De viris illustribus”, cap. 16) : PG 5, col. 15 (S. Ignatius, Prolegomena - Veterum Testimonia, VII). N.B.: Ista pericope invenitur in diversa versione Latina e lingua Graeca in variis editionibus Epistolarum s. Ignatii (e.g. Parisiis 1608; Amstelodami 1646; PG 1857).*

3. “Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam” [ibid.].

Considera, salutare odium animae, non in hoc tantum actu positum esse, ut quis externe vitam pro fide, Religione, aut aliqua virtute ponat; sed etiam ibi consistere, ut quis internas afflictiones, scrupulos, metus, anxietates ac tentationes aequo ferat animo et nulli aperto malo consentiat; ita animam prosequens odio salvabit. Subtrahere denique animae illa, quae ipsi, sed cum damno aut scandalo proximi, cum divina offensa, cum periculo salutis, arrident, hoc est illam odisse prudenter, hoc salvare.

Examina te, num quid aliquando gesseris eiusmodi? Et intuens hunc sanctissimum et fortissimum Martyrem magna tormenta⁶⁹ intus et extra perferentem suffundaris pudore, quod in minoribus fatiscas.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Si quis mihi ministrat, me sequatur” [Io 12, 26].

Perpende, velle Dominum, ut illum omnes religiosi, qui se vere Dei ministerio applicuerunt, sequantur, agendo scilicet atque patiendo. Quantum ad primum, servare debent exacte regulas, quae sunt instar directorii actionibus illorum a Deo praescripti; sicuti David cupiebat a sibi praescripta vivendi norma ne quidem tantillum discedere ideoque orabat Deum: “Viam iustificationum tuarum instrue me: et [f.131r] exercebor in mirabilibus tuis” [Ps 118, 27].

Quantum ad secundum, vult Deus, ut religiosi, qui ipsi ministrant sequantur ipsum patiendo: crucem, quaecunque illis fuerit imposita, non solum fortiter, sed hilariter etiam ferendo. Hoc innuit, cum inquit: “Si quis vult ^avenire post me^a, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et

a-a “post me venire” (BSV)

⁶⁹ Laurentius “post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, fustium, ac plumbatarum et laminarum ardentium, ad ultimum, in craticula ferrea assatus, martyrium complevit” (*Martyrologium Romanum*, 189: 10 Augusti).

sequatur me” (Mt 16[, 24]). Nec immerito: fidelis enim et egregia virtute praediti servi est, ut aequali animo tam in laetis quam in amaris, tam in secundis quam in adversis rebus Domino adhaereat. Turpi vero dignus ignominiae nota, qui sequitur ad mensam euntem Dominum, fugit sub crucis pondere labantem.

2. “Me sequatur” [ibid.].

Considera, quanto desiderio flagrabat patiendi pro Christo fidelissimus Dei famulus Laurentius. Ut enim vidit ad supplicii locum duci Xystum Pontificem suum, cum dolore gemituque clamavit: “Quo proderis sine filio, pater? quo Sacerdos ^a sine Diacono properas?” maeret, et conqueritur, se non esse tormentorum illius socium, cuius erat minister altaris⁷⁰.

O verum animum et animam christianam! Hoc nimirum est Christum sequi, pro eo patiendi nolle occasionem amittere, velle ardentem portare Crucem. Confundere, tu, quod sis tam sensualis, ut minimam fugias mortificationem et verba etiam duriuscula caperata fronte multaque cum murmuratione tam interna, quam externa perferas.

O te egregium Christi sequacem! quid faceres in verberibus? Ignoras scilicet, nonnisi per spinas patere ad astra viam?

3. “Me sequatur” [ibid.].

Considera, maximo impedimento esse Christum secuturis opes, amicos et quidquid praeter Deum amatur. Unde ille iuveni ad perfectionem simulque vitam aeternam aspiranti dixerat: “Vende omnia^b, [.....] et ^c sequere me” [Mt 19, 21]. Quo indicavit, neminem posse Christum vere sequi, nisi vacuus, pauper nudusque sit.

Ut enim sarcinae peregrinantes aggravant velocemque eorum retardant cursum, ita bona temporalia, saeculares nugae, amor mundi, valde onerant Christum sequentes, nec assequi permittunt.

^a add. “sancte” (ADO) ^b “quae habes” (BSV) ^c add. “veni,” (BSV)

⁷⁰ Cf. AMBROSIIUS, “De officiis” (ADO), I, c. 41 : *Opera IV, Romae 1582, 24.*

Quid miraris hilarem per flammam ad aeternitatis gloriam properare Laurentium? Nudus erat, nihil possidebat, omnia distribuit pauperibus, antequam se viae crucis accinxerit⁷¹.

IN FESTA BEATISSIMAE VIRGINIS ASSUMPTIONE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “^aIntravit Iesus^a in quoddam castellum” (Lc 10[, 38]).

Temetipsum considera esse castellum, quod hodie Monarcha summus Iesus est per oris ostium ingressurus, ut in solio cordis tui periucundo sibi quiescat. Si vero tibi nunciaretur, aliquem mundi huius regem vel etiam inferiorem rege principem ad te velle descendere, quomodo eum, in quo tractandus esset mundares locum” quibus ornamentis vestires” Spargeres flores fragrantissimos qui venientis odoratum recrearent; prodires illi obviam, cum omni reverentia et affectu debito susciperes eundem ac in domum tuam introduceres.

En animae tuae castellum regum maximus est subiturus: munda cor, in quo [f.131v] sessurus est per poenitentiam; asperge bonorum desideriorum fragrantia; proripe te ipsi obviam cum summis affectibus et quam grata ipsum salutatione sis excepturus cogita.

^{a-a} “ipse intravit” (BSV)

⁷¹ Cf. AMBROSIIUS, *op. cit.*, lib. II, c. 28 : *ibid.*, pp. 46-47: “*Tale aurum sanctus martyr Laurentium Domino reservavit; a quo cum quaerentur thesauri Ecclesiae, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiae. [...] Hos thesauros demonstravit Laurentius, et vicit, quod eos nec persecutor potuit auferre. [...] Laurentius qui aurum Ecclesiae maluit erogare pauperibus, quam persecutori reservare, pro singulari sua interpretationis vivacitate sacram martyrii accepit coronam.*”

2. “Mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam” [ibid.].

Considera, Martham Magdalenae sororem⁷² bonam quidem et sanctam, sed non aequae contemplationi atque rei domesticae attentam. Unde illi dictum a Salvatore: “Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima” [Lc 10, 41]. Nihilominus haec sollicita materfamilias Dominum saepiuscule in domum suam excipiebat, adeo, ut Marthae mansio Christi videretur esse diversorium.

Datur hinc tibi doctrina saepius communicandi et cum Iesu per frequentem recollectionem conversandi, multis licet occupationibus distentus existas. Ut apud Martham sollicitam, sic apud occupatissimos homines iuvat maxime Deum commorari gaudetque, sibi in turbatorum circa plurima corde non deesse mansionem.

3. “Excepit illum in domum suam” [ibid.].

Et tu, anima mea, quamvis multis distraharis curis et sanctae contemplationi non serio dedita sis, ne vereare Iesum ad te invitare et excipere. Pari ille prosequitur amore contemplativos atque activos, si pari ab utroque intentione colatur servitiis et officiis. Eadem beatitudinis mercede assiduis orationibus vacantes animas atque proximis inservientes donat: eodem suae visionis praemio speculativos eremitas, quo practicos vineae suae cultores beare solet.

Si igitur fasciculum myrrhae dilectionis, si pretiosa orationis unguenta, si lachrymas ad pedes illius abluendos cum Magdalena non habes, offer illi cum Martha domesticos labores, quam proximi saluti impendis curam; dum cares facultate, contentus ille fuerit voluntate.

⁷² Cf. *Martyrologium Romanum*, p. 177 (29 Iulii): “Tarasci, in Gallia Narbonensi, sanctae Marthae Virginis, hospitae Salvatoris nostri ac sororis beatorum Mariae Magdalenae et Lazari”.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima” [Lc 10, 41].

Considera, valde nobis Servatorem condolare, cum ob temporaneas et corporales necessitates cogamur animae commoda et aeternorum bonorum curam intermittere, vel prorsus deserere. Scit enim aeterna Sapientia, quanta subeamus damna, quae detrimenta patiamur spiritualia negligentes exercitia.

Quapropter hodie descendit ad te Magister Veritatis, ut ab illo docearis modum recollectius vivendi teque ab importunis occupationibus abstrahendi et vel huius horae saltem spatium aliquod illius conversationi collocandi. [f.132r]

2. “Maria optimam partem elegit” [Lc 10, 42].

Expende benignum iudicium boni Magistri: dixit, optimam partem elegisse Magdalenam, non tamen simul condemnavit Martham; quamvis illa spiritui solum vacaret, haec multis distraheretur curis.

Nimirum disce hinc, non solum sanctos esse, qui solitudini dediti suae tantum attendunt saluti, verum illos quoque iustos esse, qui sectantes activam vitam Christo cooperantur in salutem animarum. Magdalena quippe contemplativos designat, activos Martha: atqui utramque dilexit Christus, utramque caelo donavit; utramque colit sanctam Ecclesia.

Ne contristeris igitur vehementius, si quando ob salutem proximi et commodum spirituale, tuo non possis plene vacare spiritui.

3. “Porro unum est necessarium” [ibid.].

O unum! quod a raris quaeritur, a paucissimis invenitur, ab infinitis negligitur! Praeceptum Salvatoris est: “Quaerite primo regnum Dei [.....], caetera^a adicientur vobis” [Mt 6, 33]. Sed, heu! mundus, caetera quaerit primo et semper; Regnum Dei nusquam.

Tu, cum extra mundum a Deo vocatus sis, ne cum mundo desipias et primam Regni Dei curam postponas. Ubi, inquis, Regnum Dei quaeram?

^a “haec omnia” (BSV)

Intra te est. Tecum habita semper et Regnum Dei semper habes. Domitis nempe passionibus, quae nascitur in anima quies Regnum Dei est. Hoc unum quaere necessarium.

IN FESTO SANCTI BARTHOLOMAEI APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Exiit in montem orare” (Lc 6[, 12]).

Considera hic Christo in cacumine montis oranti posse illa Regis Vatis applicari verba: “Fundamenta eius in montibus sanctis” (Ps [86, 1]). Christus enim montes sanctificavit diverse diversos: Golgothaeum passione et morte, Thaboreium transfiguratione et hunc hodiernum oratione; in quo fundamenta iecit Ecclesiae, quando Apostolos duodecim eandem sustentaturos hic facta oratione destinavit et elegit.

Ah! dolendum est, quod, tu, credo sequi Iesum ad montem non possis onere passionum aggravatus! non potes, credo, sublimi contemplationi vacare et sursum mente elevari. Saltem ergo illum cum gemitu et desiderio in convallibus expecta, donec misericordia motus ad te descendat et secum in altiora contemplationis fastigia trahat.

2. “Erat pernoctans in oratione Dei” [ibid.].

Considerato loco, quo sit oratio peragenda, considera quoque tempus eiusdem faciendae commodissimum, nimirum noctem. Nox orationis adiumentum perquam eximium: noctu nemo te videt orantem et imples illud: “Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in sinagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus” (Mt 6[, 5]). Nemo impedit et assequeris illud: “Omnia, quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis” (Mc [11, 24]).

Adverte, primum ad magnas res conficiendas esse medium orationem. Quid erat maius negotium, quam fundandi Ecclesiam? hoc Christus ab

oratione orsus est. Unde recte monet Ambrosius: [f.132v] “Species tibi, christiane, datur, forma praescribitur, quam debeas aemulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet; quando pro te Christus in oratione pernoctat? quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri; quando Christus missurus Apostolos, oravit prius, et solus oravit”⁷³, et per noctem oravit?

Atqui et praesens negotium communicandi non sine ferventi oratione tibi aggrediendum est.

3. “Et Bartholomaeum” [Lc 6, 14].

Considera, quam magna fuit gratia collata divo Bartholomaeo, cum ad sacri apostolatus officium vocaretur. Hoc enim nihil aliud erat, quam caelesti haereditate potiri videbaturque simul aeternum ascendisse Regnum, quando apostolicae dignitatis ascendit fastigium.

O beatos religiosos, qui fere ita existimandi sunt Apostolorum successores, ut, qui ad religiosum statum vocatus sit, non aliter factum esse cum illo, quam si ad sacri apostolatus officium vocaretur.

Vide itaque, quanti hoc religiosae vocationis beneficium sis facturus, quam serio illi corresponsurus.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Exiit in montem” [Lc 6, 12].

Iam praesentem habes Salvatorem, iam eum tenes ambabus ulnis. Nec dimitte, sed in montem sequere depositis in sacra mensa passionum et imperfectionum oneribus. “Omnes magni”, Praesul ait Mediolanensis, “omnes sublimes montem ascendunt”⁷⁴.

⁷³ AMBROSIUS, *Commentaria in Evang. secundum Lucam*, l. V, cap. VI : Opera III, 62.

⁷⁴ IDEM, *ibid.* Notandum est quod verbum hic allegatum: “ascendunt” correspondit verbo: “ascendit” (“in montem orare”) in textu editionis *Bibliae Sacrae a S. Ambrosio adhibitae* (loco “exiit” in textu *Vulgatae* editionis).

Quin, tu, magnos et sublimes assumis animos, Christumque in montem sequeris? “Non vestigiis corporalibus, sed factis sublimioribus”⁷⁵. Ah! adhuc te passiones premunt et terrae allidunt!

2. “Omnis turba quaerebat eum tangere” [Lc 6, 19].

Considera, maxime quaesivisse et dedisse operam turbas Iesum sequentes, ut saltem extremitatem vestium illius attingerent; quod pro summae felicitatis dono habebant. Nec mirum: “Virtus” enim “de illo exibat, et sanabat omnes” [ibid.]. O utinam vel hac vice exeat eadem solennique passionum tuarum morbo medeatur!

Quippe, cum haec praecipua fuit hominum sequentium Iesum, ut “sanarentur a languoribus suis” [Lc 6, 18] intentio, tibi quoque nihil aliud intendendum, nihil optandum est, quoties sacram accedis mensam, nisi, ut languores animi cordisque tui persanentur. Et credo, facile id effecturum caelestem medicum, si tu solummodo quaeras, velis et possis eum tangere; tanges omnino, si sequeris.

3. “Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur” [Lc 6, 18].

Quum hodie Servator tuus tot ac tantos mortales ab immundorum vexatione spirituum curaverit, petendus quoque tibi est supplicibus lachrymis, ut a cogitationi[bus] malis et acerbis animum tuum vexantibus ac paene lacerantibus, te dignetur liberare. Vel potius tibi fortitudinem constantiamque has ferendi, quae gratia maior est (nam maioris meriti lucta quam quies), largiatur.

Ac sane consideranti tibi hodierni [f.133r] Apostoli tormenta, quod (o inauditum dolorem!) pro Christo fuerit excoriatus⁷⁶, animus crescere debet fortiter omnes adversitates tolerandi, quae tibi occurrunt currentque plurimae. Nam si istis careres, Regno quoque caelesti deberes carere, quod nemo ingreditur, in quo nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit.

⁷⁵ IDEM, *ibid.* In commentario s. Ambrosii ista verba ita prosequuntur: “in hunc montem ascende, et sequere Christum, ut ipse esse mons possis”.

⁷⁶ S. Bartholomaeus Apost. “in majorem Armeniam profectus, ibi, cum plurimos ad fidem convertisset, vivus a barbaris decoriatus est, atque [...] capitis decollatione martyrium complevit.” (*Martyrologium Rom.*, p. 262: 24 Augusti).

IN FESTA VIRGINIS BEATISSIMAE NATIVITATE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Liber generationis Iesu Christi” (Mt 1[, 1]).

O aeterna Dei Progenies! quale moliris opus? quam admirandum negotium suscipis? Homo, ecce homo amore hominis esse cogitas et divinam tuam maiestatem humana vilitate vestire; dubito, an ut lateat, an ut clarior appareat? Hodie iam Arca illa, in qua, tu, novem mensibus mansurus es, perfecta sub sole comparet. Hodie Sanctuarium, quod magis praesentia tua sanctificabit, constructum stetit in medio Ecclesiae. Hodie opus dexteræ Excelsi, omnium praestantissimum, admiratione, gaudio, caelos, limbum populumque Messiam expectantem implevit.

O anima mea! non video, quo gaudium tuum convertas: an ad futuram Dei Matrem hodie natam? an ad futurum Salvatorem, adhuc expectandum? Prius elige teque cum angelis natae Virginis adiungens cunis pange illi gratum genethliacon; erumpe has in voces: Te saluto, Aurora, aeternae diei prodroma [s] lucidissima! saluto te, Luna candidissima, noctis magnae illuminatrix. Saluto te, caeli et terrarum maximum decus, o Maria! verum Salvatorem paritura. Saluto te, extra alios titulos, titulo Refugii delinquentium; o quantum, tu, cumulum peccatorum, expectata refugii civitas⁷⁷, es a morte perenni praeservatura! inter quos, primus ad^a te confugio, omnium primus.

2. “Abraham genuit Isaac” [Mt 1, 2].

Ab utroque semine, et regali, et sacerdotali uterque, Iesus et Maria procedunt. Haec Filia, ille Filius Abrahami Isaacique[s]^b sunt, obedientissimorum obedientissimi. Ille semper Patris voluntatem secutus; haec nunquam suam, nisi Dei fecit voluntatem; quod vel in ipsa Salvatoris

^a in ms. erronee: “a” ^b nomen “Isaac” est indeclinabile

⁷⁷ Cf. supra, p. 244, no. 32.

incarnandi legatione testata est, dicendo: “Fiat mihi secundum verbum tuum” [Lc 1, 38]. Decuit nimirum eos, qui suam totum orbem per obedientiam restauraturi fuere, obedientissimorum parentum ac maiorum sobolem stirpemque esse.

Renascere, tu, cum nascente Virgine et o solam saltem obedientiam ab ea mutua! Magnae virtutis hoc genus est; illud humiliter a Virgine Maria parvula infante pete: nam haec cunis etiam in ipsis erga mortales liberalis [f.133v] est. Obedientiam si obtinueris, omnes te virtutes obtinuisse puta; quaeris causam? omnium virtutum generatrix est obedientia.

3. “David [.....]genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae” [Mt 1, 6].

Erubescat hic humana claritas; vilescat honor; famae, magni nominis, clari generis ozor[s]^a sileat: ubi Dei Filius, suos Matrisque suae maiores, contribules, propinquos, numerat alicuius labis aspersos nota. David fuit rex, at adulter; Salomon rex, at ex adultera natus et alienorum deorum cultor; Manasses rex, at idem magnus peccator erat. O singularem Dei clementiam! ut viam peccatoribus ad se latissimam praepararet, voluit peccatores in sua genealogia recenseri.

Dedisce, tu, iactare tuos vel tua; neque despice peccantes, sed qua potes mansuetudine ac benevolentia in viam salutis revoca, sumpturus nunc illum, qui voluit fieri omnium reus, ut omnes salvos faceret.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Et in transmigratione Babylonis” [Mt 1, 11].

Considera, nihil obfuisse tam longam captivitatem, quam durum captivitatis Hebraicae iugum promissioni Messiae et Nativitati. Unde poteris discere, nequaquam tibi ea non eventura, quae Deus ad salutem animae tuae

^a est Latinum polonizatum: “ozór” (Pol.) – lingua bovis, sed in lingua populari et iocosa significat usum linguae, i.e. loqui, inconsiderate et nimis.

ordinavit, etiam si te foras efferas et ab aliis domi Deo communiter famulantibus segregeris, modo id non ex propria facias voluntate, sed ex ordinatione Dei, puta ex obedientiae mandato.

Alterum est, quod consideres: Hebraeorum nempe fuisse plurimos, qui nec minis adduci poterant nec blanditiis, ut in gentili terra deos gentium colerent, aut a suis ritibus ac legibus desciscerent; nec defuisse illis divinum ad eam rem perficiendam auxilium fuisseque tres pueros a flamma praeservatos⁷⁸, Danielem a rabie dentibusque leonum defensum⁷⁹, eo quod constanter patriis legibus adhaeserint.

Ita, te spera Dei curam, providentiam tutelamque comitaturam, quoties vel ob communitatis negotium, vel ob salutem proximi extra Religiosa septa Babylonem fueris ingressus, modo ibi divinarum communiumque legum memor sis et statuum Nabuchodonosor non adores⁸⁰ prohibitisque carnibus abstineas.

2. “Et post transmigrationem Babylonis” [Mt 1, 12].

Expende, Hebraeos, quamprimum e Babylonica fuere liberati captivitate in Iudaeamque venire, primum lapidem movisse, ut Dei laus et cultus in omni [f.134r] populo excitaretur templumque Domini restauraretur, quin a fundamentis erigeretur Ierosolymis: “Surrexerunt principes patrum de Iuda, et Benjamin, et Sacerdotes, et Levitae, et omnis, cuius Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad aedificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem” (1 Esd 1[, 5]).

Pariter agendum tibi est, quoties redis Babylone, per quam designatur mundus; renovandus tibi scilicet spiritus et anima resarcienda tot fluctibus mundanarum tempestatum si non lacerata, saltem concussa. Quanquam illud etiam hinc tibi descendum occurrit, ut, omnibus postpositis, in quavis re divinatorum honorem promoveas et si forte ab aliquo impediaris, non desistas; sicut opus Hebraeorum nequaquam disiecit impietas gentilium trans flumen habitantium, cum his illi fortiter resisterent et aedificationem templi non intermitterent.

⁷⁸ Cf. *Dan 3, 19-95*.

⁷⁹ Cf. *Dan 6, 16-23*.

⁸⁰ Cf. *Dan 3, 1-7*.

3. “De qua natus est Iesus” [Mt 1, 16].

Considera, dignitatem Matris, quam ab excellentia Filii sortita est; eo enim ipso, quod Mater Filii Dei, angelorum Domini, Regis universorum facta est, simul Dei Sponsa, simul angelorum Domina, simul universae Regina creaturae facta est. Adeo ab una Maternitate Virginis beatissimae, omnes honores, favores, praerogativae, privilegia, exceptiones dependent.

Sicut omnis tua salus mediaque salutis ab unica Filii eius, quem hodie suscepisti, dependent redemptione.

Itaque Virgini Matri tam excellentem gratulare Maternitatem, at tibi de tam felici, salutari, excellenti gaude redemptione. Gratias age Matri, quod purissimos suos sanguines [s] contulerit ad corpus tui Salvatoris compingendum, fabricandum. At gratias pariter immortales age Filio, quod ex eodem corpore sacratissimo uberrima pro te sanctissimi cruoris effuderit fluenta.

IN FESTO EXALTATIONIS SANCTAE CRUCIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Nunc iudicium est mundi” (Io 12[, 31]).

Considera, tum quidem a Christo Domino iudicium mundi fuisse institutum, cum eius opera venerat destructurus novamque regulam iuxta spiritum non carnem vivendi mortalibus traditurus.

At tui iudicium ipsi adhuc esse reservatum, ideo, ut te ipse iudicando punias, nec illi quidquam puniendum a vitae fine relinquant. Igitur nunc te ipsum iudica, nunc tuae conscientiae insiste examini, ut in conspectu Iudicis altissimi iustificatus appareas. “Iustorum”^a enim (inquit Magnus Gregorius) “mens semper sol[l]icita venturo examini intendit: omne enim, quod agunt metuunt, dum caute considerant^b ante quantum Iudicem stabunt”.⁸¹ [f.134v]

^a “Quorum” (PL)

^b add. “qui” (PL), cum nota: “Omissam in Vulgatis voculam “qui” revocavimus maxime ex Mss. Norm.”

⁸¹ GREGORIUS MAGNUS, “Moralium”, lib. VIII: In cap. VII B. Job : PL 75, col. 820 (n. 256).

2. “Nunc princeps huius mundi eiicietur foras” [ibid.].

Nunc per sacram Synaxim cogita eiectum iri, quidquid in te dominii vel caro, vel daemon, vel mundus habuit, si tamen ad ea fruendum te digne praeparaveris. Non enim meretur ullam gratiam in sacra accipere Communionem, qui nullam in sese ad hanc praeparando adhibet curam. Quam deinde multi pereunt, qui Christi mensam indigne accedunt!

Exemplo tibi sit vel unicus Iudas: cui nihil profuit carnem Domini in ultima sumpsisse caena, cum illum tradere Iudaeis iam decreverat quem sumebat.

Nec tuae medelam feret animae divini corporis pharmacum praestantissimum, si modo vel invidiae, vel rancoris, vel odii laboras aegritudine. Vis ergo principem mundi foras e tuo corde eiici? Foras eiice prius, quidquid felis intus alis.

3. “Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum” [Io 12, 32].

Considera, quam efficaces sint tribulationes et persecutiones ad proximum aedificandum! Homines quippe videntes aliquem in angusto positum, non solum illi compatiuntur, sed etiam optant, ut similibus afflictionibus erudiri possint, animadvertentes magnam in iis salutis esse repositam spem.

Quare Christus Dominus, cum voluit gloriam deitatis in monte Thabor induere, tres tantum discipulos accepit transfigurationis suae spectatores⁸², quia minora sensit inde salutis in homines promanatura emolumenta. Cum vero pati debuit, elevatus est a terra, in altam arborem actus, in excelso monte crucifixus, in metropolitana Iudaeae Urbe, in frequentissimo concursu mortalium passus, quia nimirum passio illius fuit instar cathenae fortissimae, qua totum orbem ad se tracturus erat. Merito ergo dicit: “Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum”.

Desidera, tu, cor ut tuum trahat hodie et sibi coniungat.

⁸² Cf. Mt 17, 1-2.

Post Sanctissimam Communionem1. “Omnia traham ad me ipsum” [ibid.].

Considera, tunc vere omnipotentiam Christi humanitatem acquisivisse et universae creaturae obtinuisse dominium, postquam fuerit in crucis exaltata patibulo et inauditis cruciatibus extincta. Sic etiam Virginem beatissimam Reginam caeli post Filii resurrectionem appellatam; quae tamen hoc titulo non fuit a legato caelesti exornata, cum illi castam maternitatem pollice[re]tur et solum gratiae plenitudinem manifestaret: nimirum per dolores in Christi Domini passione toleratos [f.135r] caelestis Regni sceptrum videtur fuisse consecuta.

Unde, tu, disce: tanto te maiora praemia manere in caelis, quanto graviores cruces toleraveris in terris; ad caeleste quippe Regnum per afflictiones initiamur.

2. “Ambulate dum lucem habetis” [Io 12, 35].

Scilicet cooperaturum te divinis gratiis expende, neque eas suffocaturum; quemadmodum Paulus monens Timotheum: “Admoneo te”, inquit, “ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum” [2 Tim 1, 6].

Hinc, tu, quo plura te a Domino talenta sentis accepisse, eo maiora facere teneris lucra; hoc enim est, gratiam Dei non sinere obmori, talentis respondere concessis.

Alterum cogita: tum esse per viam virtutis ambulandum lato passu, dum nobis divinae gratiae lux deservit; tum quoque poenitentiam agendam, dum lucis usura fruimur et viribus pollemus. Sera namque resipiscentia raro seria est et unus poenitentiae voluntarius actus pro mille poenis alterius vitae valere potest.

Ambula ergo, ambula, dum lucem habes.

3. “Non vos tenebrae comprehendant” [ibid.].

Considera, te solum in culpa esse, quoties lumen animae tuae eripitur tenebraeque suboriuntur. Vix enim a sacra mensa recedis et tot te vanitatibus implicas: vix a Sole pedem unum subtrahis et in abissum noctis voluntarie praeceps laberis, cum divinae praesentiae custodiendae, cum perfectionis ampliandae nullam curam geris. Proinde te recte Iesus iustitiae Sol admonet hodie, ut cautus incedas, ne in tenebras incidas.

Tuum fuerit igitur opus, ne saltem sponte distraharis et nubibus inutilium sollicitudinum obruaris. Tarde redit amissum lumen et quod gratis accepisti, precibus posthac plurimis vix obtinebis ereptum.

Age, anime mi, Solem intuere, ne tenebrae comprehendant te.

IN FESTO SANCTI MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Vidit Iesus^a hominem sedentem in telonio” (Mt 9[, 9]).

Considera, utique per nomen hominis divum Matthaeum suam fragilitatem adnotasse; et cum alii [f.135v] dicerent publicanum, ille tantum hominem se appellavit, quod non ignoraret esse peccatorem, qui esset homo; nec vellet inter eos reputari, quibus dictum est: “Vos^b dii estis, et filii excelsi omnes” [Ps 81, 6].

Porro publicanus ideo tantum vocabatur, quod telonio praesideret ac tributa vectigaliaque reciperet ab Hebraeis, ad quae se teneri non putabant, tanquam populus electus.

Ah! tu, quo nomine peccatoris appellandus esses, si, quae soli tantum Numini patent, toti mundo tua nunc scelera paterent! Roga proinde Iesum, ut, oculis in te suae bonitatis coniectis, ab occultis tuis mundet te.

^a *om.* “Iesus” (*BSV*) ^b *om.* “Vos” (*BSV*)

2. “Ait illi: Sequere me” [ibid.].

Considera, verae conversionis testimonium esse veram Christi Domini sequelam. Iscariotes non erat conversus, quia, licet sequeretur Iesum, fraudulenter sequebatur, ficto animo sequebatur, loculos habebat. Contra divum Matthaeum, hinc verum fuisse Christi sequacem conice, quod surgens, secutus est eum. Unde surrexit? a peccato; quo Christum secutus? ad virtutes.

Ecce tibi recta sequendi Christi proponitur regula: surgere et sequi. Si enim non surrexisti, non sequeris, etiamsi post eum tibi videaris figere gressum. Si loculos habes propriae voluntatis, proprii amoris et similium, non sequeris, non sequeris vere Christum, licet religiosum habitum perferas, licet emisisse te vota obedientiae, castitatis paupertatisque iactites. Surge ergo et sequere: nam nisi surrexeris, nequaquam sequeris.

3. “Multi publicani, et peccatores venientes discumbebant cum Iesu” [Mt 9, 10].

Considera, etiamnum haud paucos publicanos et peccatores venire ad Iesum, quando scilicet poenitentiae adeunt sacramentum; sed postquam iidem cum Iesu discumbunt, mensae caelestis participes redduntur, iam fieri eos iustos, iam desinere publicanos esse et peccatores.

Quid, tu, demireris hominum scelera? et quid ultra modum zelosius carpas? cum quidam hodie sunt peccatores, cras forte futuri sancti; modo peiores daemonibus, at postmodum iustiores angelis erunt. Non magno iis ad hoc labore opus est; tantummodo venient ad Iesum, discumbent cum Iesu, iam purgabuntur a peccatis, virtutibus ornabuntur. Magdalena quoque peccatrix Iesum accessit, iustificata recessit.

O felix accessus ad Iesum per quem a peccato recessus acquiritur! O Sanctum Sacramentum, quod ex peccatore facit amatorem; ex servo mundi, servum Dei; ex filio tenebrarum, filium lucis; ex mancipio diaboli, libertum Christi! [**f.136r**]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Quare cum publicanis, et peccatoribus manducat Magister vester?”
[Mt 9, 11]

Ne nimium admireris, ita contra publicanos assurgere et cristas erigere Phariseorum superbiam. Servi namque fuerunt diaboli; ergo Dominum suum ad unguem imitati, non tantum Filium Dei persequabantur, sed etiam volentes ad eum converti et divina potiri misericordia peccatores. O superbiae vitium gravissimum! Scilicet invident etiam salutem aliis superbi; ideo forsitan, quod eam habere ipsi, quia petere humiliter nolunt, non possunt.

Tu contra, gaude conversione peccatorum eamque procura, veluti fecit divus Matthaeus, qui postquam fuisset a Christo conversus, invitavit pro convivio publicanos, ut Christo convalescentes, pariter converterentur.

2. “Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus” [Mt 9, 12].

En ipse caelestis Magister ad quaestionem Phariseorum respondet, affirmans, se, cum sit medicus animarum, non esse ad sanos, id est sanctos, missum; verum ad infirmos, ad male valentes peccatores.

Utique id expertus es ipse, qui cum alias, tum hodie non sine vulneribus hunc pietissimum medicum accedisti pharmacoque sanguinis illius et corporis longe probatissimo persanatus es.

O tuam felicitatem! qui semper hunc medicum penes te habes, a quo vel singulis momentis frequentissimae animi tui aegritudines curari queant!

3. “Non [.....] veni vocare iustos, sed peccatores” [Mt 9, 13].

Considera maiorem non posse habere Deum maerorem, quam cum videt illos perire sponte, quorum saluti suam vitam impendit. Proinde, ne forte quis in immenso vitiorum pelago fluctuans et divina metuens iudicia salutis incidat in desperationem, aperte vult testatum esse mundi Servator, se non venisse gratia vocandi iustos, sed peccatores. Nam cum iusti salutis certi sunt, peccatores vero supplicii, profitetur se specialiter operari peccatorum salutem et curare, utpote qui velit omnes fieri salvos. Non est ergo ulli praeclusa ad

caelos via, modo illam velit ingredi et infernale voluptatis iter tandem aliquando relinquere. Gratulari possunt hic sibi peccatores, quod ad illos vocandos et salvandos veniens thronum gloriae Dei Filius deseruit et ignominiae subivit ergastulum.

At te miserrimum futurum, si quam venit inventurus ovem caelestis pastor, tu malitiose perdes. [f.136v]

IN TRANSLATIONE SANCTI STANISLAI EPISCOPI ET MARTYRIS⁸³

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ego sum pastor bonus” Io 10[, 11]).

Considera, divinam bonitatem in hoc multum elucere, quod humano generi mundum struxerit et dederit inhabitandum: quod eidem plurima pascua, nimirum tot creatas res, providerit: quod omnes mortales Divino suo Spiritu regat et gubernet et pascat veluti Pastor optimus oviculas.

Tibi vero perditae ovi, quot suae bonitatis exhibuit specialia testimonia! Imprimis aberrantem te per invia mundi ad ovile Religionis per sanctam vocationem introduxit: deinde, quam leniter, suaviter ac secure te partim per Constitutionum iura, partim per imperia Superiorum, partim per suas inspirationes hoc in ovili regit! Postremo, pascua tibi optima (illis, quae ad corpus videntur pertinere sepositis) providet.

Quod an hodie quoque non experiris? quando te ad mensam suam invitat et ne verearis accedere vocat utque progrediaris animosius: “Ego”, inquit, “sum pastor bonus”.

⁸³ Cf. NARUSZEWICZ P., “Stanislao, vesc. di Cracovia, santo, martire” : BS XI, 1365: “La traslazione della sua salma dal cimitero presso la chiesa di S. Michele (luogo del martirio) alla chiesa cattedrale di Wawel, a Cracovia (1088)”.

2. “Bonus Pastor” [ibid.].

O, anima mea! quomodo dubitabis aut metues propter enormia tua patrata adire Iesum tuum! Siquidem audis, quam se bonum Pastorem esse clare profiteatur; nec te fugit, dedisse illum animam suam pro te, ovicula perdita.

Curre, curre ad bonum hunc Pastorem, qui tuae conscientiae sanabit aegritudinem. Cunctos internos morbos sive imperfectionum, sive sollicitudinum, seu quarundam calamitatum auferet.

Nam si, tu, maesta es ob tuas infirmitates, multo magis ille sollicitus est: qua ratione et medio quamque cito eas curet maioremque tuae sanandae gerit sollicitudinem, quam expectare possis aut cogitare. Ocius itaque cum clamore et gemitu ipsi noto ad Pastorem tuum festina: quoniam cum desiderio expectans expectavit te.

3. “^aDat animam suam^a pro ovibus suis” [ibid.].

Pro te Salvator tuus, Pastor optimus, animam suam dedit, effudit. At specialiter eo motivo, ut tu redemptus, illius et proximi gratia tuam quoque non renuas animam profundere. Hoc enim a te extorquet, cum inquit: “Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est” [Ex 25, 40]. In quo monte? Golgothaeo. Quid monstratum? Christus, Filius Dei, pro te et universo mortalium genere crucifixus. Hunc inspicias, hunc imiteris decet et necesse est, ob proximi salutem tibi non parcendo, clementer omnes tractando, pro inimicis orando, teipsum pro peccatoribus divinae iustitiae opponendo, in afflictionibus ad Deum [f.137r] confugiendo, in bonis operibus perseverando. Hoc tibi exemplar et prototypum in monte monstratum est; quod, si recusas imitari, apage a cogitatu sumendi Christi. Indignus enim est, ut nutriatur a Christo, qui se abscondit, ut non operetur cum Christo et pro Christo.

a-a “animam suam dat” (BSV)

Post Sanctissimam Communionem1. “Mercenarius autem” [Io 10, 12].

Explicatissime tetigit et verissime depinxit mercenarios ille Magnus Antistes orbis: “Mercenarius”, inquit, “vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ob^a temporales mercedes pascit”⁸⁴.

Cave, tu, alia intentione Domino servias, praeterquam ex illius amore puro, ne mercenarii nomen acquiras et mercedis perditionem. Quid est enim esse mercenarium Dei servum? Est gloriolam bonis e factis aucupari; iactare se; non vere abnegare; non constanter abiecisse mundum; sperare pro suis operibus mercedis loco honorem; non totaliter exinaniri; retro aspicere.

Mercenarius est vafer, qui postquam admovit aratro manum, vel melioris commoditatis spe ductus, vel magnitudine laboris territus, vel otii dulcedine allectus, vel antiquorum vitiorum suavitate delinitus, terga vertit, religiosam crucem deserit, fugit atque sic perdit, non salvat animam suam, non alienam.

Vide sis igitur constans in quovis opere tuo, ut non solum nomen boni pastoris aut operarii, sed etiam mercedem laborum tuorum, ipsum Deum, et cum hoc omnia, recipias.

2. “Videt^b lupum venientem, et dimittit oves, et fugit” [ibid.].

Considera, lupos esse cacodaemones, qui nostris animabus diu noctuque inhiant: et non solum per insidias capere, sed vi quoque rapere eas nituntur et devorare. Oportet itaque te, pastorem animae tuae esse vigilantissimum et longe praevisis mali genii technis, sese ad illi resistendum fortiter accingere, nec illum intra maenia cordis admittere, sed extra muros profligare, prout monens ille ait: “Vigilandum est [...] praecipue circa initium tentationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur”⁸⁵.

^a “ad” (PL) ^b *in ms. erronee: “Vidit”*

⁸⁴ GREGORIUS MAGNUS, *homilia XIV in Io X, 12* : PL 76, col. 1128 (n. 1485).

⁸⁵ THOMAS à KEMPIS, “*De Imitatione Christi*”, p. 34 (Lib. I, cap. XIII, n. 20).

Mercenarius ergo ne sis, lupum venientem procul excipe, generose certa, fortiter vince. Cave dimittas ovem et fugias.

3. “Cuius non sunt oves propriae” [ibid.].

Certum est: non esse ovem tuam, tuam animam. Emit enim illam sibi Christus inaestimabili pretio sanguinis. At tanto magis illam tuae custodiae traditam curare debes, quanto melius agnoscis non esse tuam. Vestis aliena si tibi esset, quam caute illa uteris, ut proprio domino munda et nitida restitueretur. Nitidam quoque animam Deus a te requiret.

Vide, qualem tibi hodie tradidit, quam venustam, formosam, quam exacte suo sanguine ab omnibus imperfectionum naevis emundatam, talem repositet. Quodsi infeceris, ut mercenarium tractabit; si puram conserva[ve]ris, ut optimum pastorem, custodem, servum, ad aeterna gaudia intromittet. [f.137v]

In Festo Sancti Venceslai: Ante et post Sanctissimam Communionem Recollectio habetur in Communi Martyris, infra, ff.[153r154r; pp. 379-381].

In Festo Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli: Recollectio habetur supra, f. [117r; pp. 266ss], in eiusdem Apparitione.

In Festo Sanctae Hedvigis Viduae: Recollectio supra, fol. 124r [p. 287], uti in festo Sanctae Margarethae.

In Festo Translationis Sancti Adalberti: Recollectio habetur in Communi Martyris, infra, ff.[153r-154r; pp.379-381].

In Festo Sancti Lucae: uti in Communi Evangelistae, [infra, ff. 152v-153r; pp. 377-379].

**IN FESTO SANCTORUM
SIMONIS ET IUDAE APOSTOLORUM**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Haec mando vobis, ut diligatis invicem” (Io 15[, 17]).

Considera, duplici te praecepto Dei obligari ad diligendum proximum. Nam in vetere testamento Pater aeternus diligendi proximi legem tulit; in nova lege aeternus Filius eiusdem mutui amoris mandato te obstrinxit.

Aude nunc oblatrare famae alienae; carpere alterius vitam, gesta, mores; ulcisci iniurias; odio in fratrem ferri, cum Christus omnium Iudex mandat contraria, cum immutabile Verbum clamat: “Haec mando vobis, ut diligatis invicem”.

2. “Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit” [Io 15, 18].

Considera, quod per mundum Christus Dominus intelligat hic homines malos, mundo deditos, vanae gloriae cupidos, invidos et similibus obnoxios vitiis, quibus illius caelestis vita displicebat; quibus illius divinae actiones bilem movebant adeo, ut post maledicta, probra, tot hostilitates, denique mortem illi intulerint.

Quare cum ipse prius tales inimicos sustinuerit, recte te admonet, ut, si velis esse verus imitator Christi, scias fore mundum tibi inimicum et sectatores eius; ac proinde ad eos superandos, aut saltem patienter ad normam Christi tolerandos semper paratus existas.

3. “Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus” [Io 15, 19].

En causa, en crimen, en malum ob quod servi mundi servos Dei odio prosequuntur! quod scilicet mundana non tractent, quod eorum vitent consortia, quod pie vivere velint in Christo, ideo persecutionem patiuntur. Sed illud est maximo solatio Dei servis: “Si me persecuti sunt, et vos

persequentur” [Io 15, 20]. Illud horrore eorum persecutoribus: quod tam suas quam suorum servorum iniurias tandem aliquando Deus vindicabit.

Tu tamen pro persequentibus te praesenti in sacra Communione Dominum ora. Nunquam melius illos vindicaveris, quam si Deum illis reconciliaveris. Nunquam te melius ad ferendas [f.138r] persecutiones apparebis, quam tum, cum ad normam Iesu aeternum Patrem oraveris: “Ignosce^a illis: ^bquia nesciunt^b quid faciunt” [Lc 23, 34]. Et vero decet ut parcas suis debitoribus, si vis, ut tua debita tibi parcat Deus⁸⁶.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent” [Io 15, 22].

Considera, magis inde aggravari conscientiam Hebraeorum, quod viderunt et audiverunt Iesum, non tamen in eum crediderunt.

Sic te gravius delinquere, cum saepius admittens in tua viscera Christum Dominum, non magis perfectus es: non te illius tam frequens conversatio meliorem fecit, non obedientiorem, humiliorem, ferventiorum. O te miserum! quantam redditurus es rationem tot sacrarum Communionum^c, nisi iam melior existas?

2. “Nunc autem excusationem non habent de peccato suo” [ibid.].

Considera non paucis ignorantiam profuturam, tibi vero magis illuminato, magis divinarum legum perito, quae poterit excusatio servire, cum de tuis delictis iudicaberis? Quamobrem vide, ne temere Dei mandata, praecepta Ecclesiae religiosasque Constitutiones violes, cum non sis potis in iudicio dicere: ignorans haec feci.

Maxime vero hodierna die ab imperfectionibus tibi cavendum esse puta, quod ipsam perfectionem, Iesum, visceribus tuis susceperis et continueris.

a “*dimitte*” (BSV) b-b “*non enim sciunt*” (BSV) c *in ms. erronee: “Communionem”*

⁸⁶ Cf. Mt 6, 12.

3. “Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt” [Io 15, 20].

Perpende, indicium esse certissimum, quod quis Dei voluntatem non negligat, cum admonitiones Dei servorum, praesertim Maiorum non contemnit.

Contra minime aptum esse divinis adimplendis praeceptis, qui fraternam spernit admonitionem eamque non solum surda aure praeterit, sed insuper obmurmurat et oggan[n]it admonenti se.

Frustra igitur clamabis tu et orabis: “^aDomine, loquere^a; quia audit servus tuus” [1 Reg 3, 9], quando renuis aliorum habere gratas admonitiones. Frustra petes: “Fiat voluntas tua mecum”⁸⁷, quando, tam penosus es, ut unicum verbum ob tui prolatum a quopiam emendationem non valeas granter audire, vel saltem patienter.

At, quid inde futurum sit, tempus ostendet. [f.138v]

IN FESTA OMNIUM SANCTORUM SOLENNITATE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum” (Mt 5[, 3]).

Expende, quod primo hanc beatitudinem caelestis Sapiaentia loco posuerit, non aliam fuisse causam, quam, ut ostenderet, eam sibi prae reliquis maxime placere.

Voluit enim, ut Sanctus Basilius loquitur: “e paupere Matre in vili stabulo nasci, et vilibus pannis involutus in praesepe reclinari”⁸⁸.

a-a “Loquere Domine” (BSV)

⁸⁷ Cf. Mt 6, 10; 28, 42; Lc 22, 2.

⁸⁸ Cf. Lc 2, 7. *Non potui invenire hoc dictum, nec sub “paupertas”, in operibus S. Basilii Magni secundum indicem generalem verborum (in PG et in eius “Opera omnia”, ed. Parisiis 1637-38), et non indicatur aliquod eius commentum ad Lc 2, 7; ad Mt 5, 3 autem leguntur commenta diversa.*

Ut autem declararet, paupertatem non in hoc sitam esse, ut aliquis nihil teneat, dixit esse “Pauperes spiritu” beatos; innuens, etiam illum pauperem esse gaudereque beatitudine paupertatis, qui multa possidens, nullum ad ea gerat affectum, sed tanquam transitoria despiciat; tanquam sibi ad distribuendum data, in egentiores liberalissime elargiatur.

Tu tamen Apostolorum vestigiis insiste, qui mundi provincias obeuntes baculo etiam peraque iussi fuerunt abstinere. Nec metue ullum rerum in summa paupertate defectum, siquidem, ut ait ille, “^aMonachus nudus totius mundi dominus^a”⁸⁹.

2. “Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram” [Mt 5, 4] .

Considera, et verbis et exemplis docuisse Christum mansuetudinem. Verbis docebat, cum dicebat: “Discite a me, quia mitis sum” [Mt 11, 29]. Exemplo docuit, quando tanquam Agnus ad occisionem ductus est et coram tondentibus se obmutuit⁹⁰.

Exigitur itaque abs te mansuetudo in tolerandis iniuriis et calumniis, ut potius eas cum silentio dissimules, quam furore augeas. Exigitur in dandis responsis et imperiis; in admonitionibus et correptionibus ingerendis; nisi forte necessitas ostendat loco mansuetudinis zelum esse adhibendum. Siquidem Magister ille caelestis peccatores publicanosque benigne convertebat; sed aliquando etiam, praesertim Pharisaeos dure perstringebat^b. Quod enim molli non conteritur ligno, duro malleo conterendum est.

Similem ideam in sua homilia de humilitate expressit: “[...] imitantes Dominum, qui de coelo in extremam humilitatem descendit [...]. Infans cum esset, statim in spelunca, et ne in lecto quidem, sed in praesepi iacuit” : PG 31, col. 535 (n. 161).

^{a-a} “Nudus monachus mundi totius est dominus” (CSP) ^b *in ms. erronee: “perstringebant”*

⁸⁹ *In margine indicatur uti auctor huius dicti “Cassianus”. Attamen non potui invenire tale dictum in operibus Ioannis Cassiani (in eorum editione “Opera omnia”, Duaci 1616). Videtur itaque quod est allegatio (cum diverso tamen ordine verborum; cf. annotationem textualem: a-a) desumpta e: CLIMACUS Ioannes, “Scala Paradisi” (CSP), Coloniae Agrippinae 1601, p. 181 (Gradus XVI: De Avaritia). Ibi adiungitur huius affirmationis sequens explanatio: “Deo enim curam sui credidit, et per fidem omnes possidet servos”.*

⁹⁰ *Cf. Is 53, 7.*

3. “Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur” [Mt 5, 5].

Considera, non esse malam rem luctum. In valle quippe lachrymarum degimus, hinc debemus aliquando lachrymis madere, sive has pietas, sive tribulatio eliciat. Imo optandum esse tibi, ut lugeas. Si enim praecesserit luctus, sequetur beatitudo: si habebitur afflictio, non deerit consolatio.

Quodsi dulcissima solatii caelestis voluptas non alio pretio comparatur, nisi luctu, quid te putes infelicem lugendo, cum tum [f. 139r] beatus es? Acerbum est lugere, sed suavissimum consolari et non ab homine, non ex mundo, sed ex caelo, a Deo consolationem accipere. Extrema gaudii luctus occupat, sed luctus extrema gaudium tenet.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam” [Mt 5, 6].

Quid est hoc, esurire sitireque iustitiam? certe nihil aliud, quam toto animo, toto desiderio, tota voluntate ad perfectionem vitae aspirare. Quodsi famuli novo habitu a dominis accepto; milites, novis ab imperatore stypendiis aucti, ad maiora sese obligant obsequia, sic, tu, veteri consuetudinum non bonarum sago exutus et recenti ornamento virtutum ac sanctorum habituum in sacra decoratus Communionem, ferventius quam antea Deo famuleris^a necesse est; sollertior, diligentior, laboriosior in castris exercituum Domini perseveres.

Quid appetas quietem? Vitae, quam vivis, otium venenosissima pestis est. In palaestra Christi qui desudant, quiescunt tum quando sudant. Sequere tuum Imperatorem, qui in laboribus a iuventute sua exercens sese inter laborem salutis maximum vitae cursum terminavit.

2. “Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur” [Mt 5, 7].

Considera, pridem hunc mundum peritulum fuisse, nisi benigna misericordia severum divinae iustitiae rigorem attemperaret. Cum enim

^a in ms., ob lapsum calami, erronee: “fumaleris”

Deus homines videt hominum misereri, mutat severa decreta, et peccata eorum, qui suis proximis exhibent misericordiam dissimulat: miseretur miserentibus, quin etiam propter miserentes aliis miseretur; sicque humana misericordia divinam conciliante hominibus misericordiam iustitiae rigor languescit et paena transit in veniam.

Tu, si non habes cuius miserearis, animae tuae miserere; ne perditum illam eas, quam redemit Charitas: perdes autem nisi perdidieris. Nam Veritatis immutabile effatum est: “Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam” (Mt 10[, 39]).

3. “Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt” [Mt 5, 8].

Digna est haec Christi Domini caelestis Praeceptoris summa consideratione gradatio. A paupertate, mansuetudine, luctu, misericordia, tandem venit ad cordis munditiam. Pauperibus, Regnum caelorum; mitibus, terrarum possessionem; lugentibus, aeternam consolationem; esurientibus et sitiensibus iustitiam, saturitatem; misericordibus, misericordiam promisit; at mundis corde quid? beatificam visionem destinavit.

Tu igitur, quanto vides puritati maiora praemia esse constituta, tanto diligentius cordis invigila custodiae. Siquidem maculare cor, [f.139v] est visione Dei privari: mundum conservare idem, est divinae visionis certum esse.

IN FESTO SANCTI MARTINI EPISCOPI TURONENSIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Nemo lucernam accendit, et ^aponit in abscondito^a” (Lc 11[, 33]).

Considera, non esse tibi ius eos arguendi, qui se publicae luci committunt, quasi id ostentationis gratia agant; sed potius illos apud te excuses, quod

^{a-a} “in abscondito ponit” (BSV)

talenta a Domino accepta nolint abscondere infodereque, sed [velint] proximis communicare atque lucrum facere Domino talentorum.

Quibusdam enim prodest latere; at quosdam Deus in omnium facie proponit, ut eorum ab omnibus opera videantur et Pater caelestis, in quo et per quem et propter quem universa operantur⁹¹, glorificetur.

2. “Qui ingrediuntur, ^avideant lumen^a” [ibid.].

Infelicissimum esse malum caecitatem expende. Quanta enim calamitas est in luce versari, et lucem non intueri! esse in mundo, et mundum^b non videre! colloqui hominibus et eos (si humano licet modo discurrere) non cernere! Sed optanda talis caecitas est aliquando, utpote salutaris.

Tibi potius Deus orandus est, ne te illa caecitate puniat, ut, accedens increatum Solem, eum non cognoscas; sumens Deum-Hominem, illum non videas; intra tua viscera panem vitae recipiens, illius et gustum et suavitatem et saporem non sentias. Talis enim caecitas mentis omnem superat gravitatem ac infelicitatem corporalis caecitatis.

3. “Nemo lucernam accendit” [ibid.].

Perpende, quam graviter sponsus ille et merito succensere famulis suis deberet, si nullus eorum nuptias celebranti cum taedis^c adesset; vel, quam iure sponsa illa diceret, quae veniente ad eam sponso sederet in tenebris: “Nemo lucernam accendit”.

An et tu miser non potes hoc tempore, quo ad te caelestis descensus est Sponsus, dicere sensibus tuis: “Nemo lucernam accendit?” Visus obcaecatus est, tactus coinquinatus, auditus multis nugis ac vanitatibus oneratus, gustus obtusus mundi felle, debellatus est variis illecebris odoratus et subactus. Heu me miserum! Nemo lucernam accendit Domino, sponsam suam animam meam adeunti, nemo. Tu saltem promptissima voluntas ei cum lumine occur-

⁹¹ Cf. *Prov 16, 4*.

a-a “lumen videant” (BSV) ^b in ms., ob insciam suggestionem verbi praecedentis, erronee: “mundo” ^c in ms. erronee: “taedos”, forsitan ob lapsum calami

re; facem bonorum desideriorum praeferens eum in [f.140r] thalamum penetraleque cordis introduc, quod illustrabit ipse melius, ut ingrediatur.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Nemo ^aaccendit lucernam, et ponit in abscondito^a” [ibid.].

Lucerna tua est Christus, qui hodie cordis in tui domo illuxit. Vide ergo, ne lucernam hanc ponas in abscondito; hoc est, tenebris imperfectionum, vanorum discursuum, evagatione sensuum, negotiorum importunitate, contentionum, multiloquii aliorumque defectuum sive excessuum nebula obumbres et involvas; sicque omni luce destitutus a vera via perfectionis aberres et in caliginosam tot errorum devolvaris abyssum.

Fiatque tecum id, quod cum iis fieri solet, qui noctu cum lumine incedentes, hoc aliquo casu extincto, quo se vertant, ignorant.

2. “Si oculus tuus ^bsimplex fuerit^b, totum corpus ^c lucidum erit” [Lc 11, 34].

Considera hoc loco per oculum intentionem rectam intelligi, secundum quam nostras omnes actiones dirigere et alienas debemus interpretari. Atque hanc intentionem tanti esse momenti, ut plane omnis nostra perfectio, omne meritum, omnis merces ab ea dependeat.

Vide itaque quanto fructu meriti defraudaris, cum non rectam tuis actionibus praefigis intentionem. Recta vero ibi est intentio, ubi non proprium sed alienum commodum spectatur Deique solius laus et beneplacitum.

Quod exemplo suo divus Martinus docet; qui rogatus a discipulis, ut vitae peteret prolongationem, sic oravit: “Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem”⁹².

^{a-a} “lucernam accendit, et in abscondito ponit” (BSV) ^{b-b} “fuerit simplex” (BSV) ^c add. “tuum” (BSV)

⁹² *Ex Epistolis Sulpicii Severi : Liturgia Horarum IV, p. 1262 (Memoria S. Martini, ep., Die 11 novembris, Ad Officium lectionis, Lectio altera).*

3. “Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint” [Lc 11, 35].

Tibi haec dici puta, cuius pectori Sol increatus est inclusus: Lux illa, [“]quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[”][Io 1, 9]: Lumen illud, quod est missum de Caelo ad revelationem gentium⁹³. “Vide ergo ne lumen” hoc, “quod in te est, tenebrae sint”. Ne post magnam illuminationem, quam a Sole iustitiae hodierna luce mutuasti in sanctissima Communionem, Pharia te nox obruat, qualis olim regis Pharaonis scelera punivit ac maxime incredulitatem⁹⁴. Si enim profundis immergere imperfectionibus; si Moysen, hoc est internum non audieris instinctum, deficiet tibi caeleste lumen et tenebris circumdaberis. [f.140v]

In Festo Sanctae Elisabeth Viduae Poloniae Patronae, vide supra, fol. 124r [p. 287], in festo Sanctae Margarethae.

IN FESTA BEATAE VIRGINIS MARIAE PRAESENTATIONE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Liber generationis” (Mt 1[, 1])⁹⁵.

Hactenus, anima mea, libris inhaesisti variam doctrinam complectentibus. Hodie novum, recentem, invisum librum, sanctissimam Dei Genitricem, librum inquam ab ipso Deo conditum, conscriptum, exornatum, inspice. Quid alicubi possis invenire, quod in Maria non habeas? quid eorum, quae Maria complectitur, quispiam tibi suppeditabit? Liber hic, virtutum et omnium perfectionum est: in tot capita distinctus, quot virtutibus refertus.

⁹³ Cf. Lc 2, 32.

⁹⁴ Cf. Ex 10, 21-23. “Pharius, a, um, adject. a Pharo, ponitur pro Aegyptio” (SLL).

⁹⁵ In margine hic legitur sequens annotatio (in parte destructa): “Recollectionem de proprio Evangelio vide in festo ad S. Luc., fol. 137 [p. 329].”

O igitur huic volvendo libro te totum applica flosculosque tuo statui pernecessarios ex hoc decerpe.

2. “Liber generationis Iesu Christi” [ibid.].

Considerabis etiam Christum Dominum in sua genealogia quasdam peccatrices personas, faeminas virosque numerari voluisse, propterea fortassis, ut eum vere poenitentium nullus adire vereretur.

Proinde cum fiducia, tu, illum hodie accede; veniam tuarum imperfectionum tibi concessum iri sperans. Si tuae causae diffidis, Patronam, Refugium peccatorum, accipe. Quodsi necdum securus es, adhibe sanctas e familia Christi peccatrices et peccatores: hi tuae causae patrocinantur. Non ignari malorum, non expertes lapsuum, misero succurrent, lapsuum erigere allaborabunt.

Sanctissimus ex his David suppetias promittens: “Docebo”, inquit, “iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur” [Ps 50, 15].

3. “Filii David” [ibid.].

Expende ideo hic praepositum esse Davidem Abrahamo, peccatorem iusto, ut tu cognosceres, peccatores si egeri[n]t dignam poenitentiam, non modo in gratiam recipi, sed non in postremo deinceps honore haberi et in altis caeli solis collocari. Nam quemadmodum obstinata in scelere superbiorum angelorum voluntas, non nisi profundissimo barathro meruit ac debuit immergi, sic e diverso contritorum peccatorum humilis confessio, eos in sublimes gloriae caelestis thronos evehit.

Quod [f.141r] idcirco fieri puta, ne tu sceleribus aggravatus poenitentiae contempnas auxilium, quasi nimis rigidum esse Iudicem Deum existimans: cum is clementer omnes vocat ad se; nemini vult auctor esse damnationis, unumquemque salvari desiderat; aspirantes ad perfectionem tendere iuvat et revertentibus ad cor fit magis propitius.

Post Sanctissimam Communionem**1. “Abraham genuit Isaac” [Mt 1, 2].**

Considera tum Abrahamum, quam Isaacum/[s] fuisse virtuti obedientiae addictissimos: alter a Deo vocatus e patrio solo relictis amicis, consanguineis, propinquis discessit⁹⁶; alter a parente in montem Moria eductus sese victimam obtulit mactandam, ut tam Deo, quam parenti pareret⁹⁷. Uterque Servatoris optimi typus erat.

Abrahamus divinae parens voluntati egressus est de Haran, ut iret in terram Chanaan: Iesus eandem Patris voluntatem aeterni secutus e caelo ad sublunarem hunc descendit globum, ut humanum corpus sumeret ex Virgine. Isaacus/[s] resignatissimus iam verticem paterno gladio in vertice Moria submiserat decollandum: Iesus meliori effectu totum se excarnificandum et in monte Golgothaeo crucifigendum pro generis humani salute tradidit.

Tu, crucem amplectendo et a tua recedendo voluntate, simul Abrahamum cum Isaaco/[s], simul Iesum imitaberis.

2. “Isaac [.....] genuit Iacob” [ibid.].

Considera, quod, sicut Isacides/[s] Iacobus/[s] fugiebat Esau fratrem suum⁹⁸, sic tibi fugiendum tentationis administratorem esse, quem superare nequeas, tibi persuadere debeas. Et quemadmodum Rebecca Mater serio iuvit in paterna benedictione percipienda Iacobum⁹⁹, ita tibi, non per alium petendam esse Dei benedictionem et procurandam, quam per novi testamenti Rebeccam Matrem Dei Virginem sanctissimam, exemplo illius, qui alicubi orat: “Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Inventrix Vitae, Mater salutis! ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis”¹⁰⁰. [f. 141v]

⁹⁶ Cf. *Gen 12, 1-5*.

⁹⁷ Cf. *Gen. 22, 1-19*.

⁹⁸ Cf. *Gen 27, 41-45. 28, 10ss.*

⁹⁹ Cf. *Gen 27, 1-29*.

¹⁰⁰ *Non potui textum hic allegatum invenire, quia nullo modo (nec in margine) indicatur auctor huius orationis vel liber e quo haec oratio desumpta est.*

3. “De qua natus est Iesus” [Mt 1, 16].

Gratulaberis hanc praerogativam Virgini beatissimae, quod nimirum Dei Salvatoris Mater sit facta minime tacto virginitatis flore.

Omnes eidem tuas necessitates cum perfecto submissionis et fiduciae sensu committes, non dubitans finem eas optimum sortituras. Disces etiam tuis in dubiis, anxietatibus, difficultatibus ad eandem refugere Dominoque grates continuas persolvere, quod illam elegerit et fecerit sibi Matrem, nobis advocatam.

Illud autem inter praecipua desiderabis, ut eius ope et auxilio praesentissimo, in illo difficili, periculoso et ultimo conflictu, quo migraturus ex hac vita es, perfruaris.

IN FESTO SANCTAE CATHARINAE VIRGINIS [ET] MARTYRIS

Ante Sanctissimam Communionem

1. “^aQuarum quinque^a erant fatuae” (Mt 25[, 2]).

Considera fatuum esse, qui vanam ex operibus suis gloriam captat. Dum namque propriae laudis auram sectamur, oleum negligimus divinae charitatis, propter quam omnia debemus operari. Non leviter obscurat actuum sanctorum pulchritudinem vanae glorie fumus.

Si Deo servire te dicis, in omnibus tibi Dei gloria quaerenda, non tua; si tuam quaeris, iniuriam Domino facis, tibi salutis detrimentum. Sint exemplo tibi fatuae virgines, quae (sanctus inquit Gregorius) “dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt”¹⁰¹; et oleo deficiente non meruerunt ingredi cum Sponso ad nuptias.

a-a “Quinque autem ex eis” (BSV)

¹⁰¹ GREGORIUS MAGNUS, *Homilia 12 in Evangelium.* : PL 76, col. 1118 (n. 1476).

Itaque disce, satius esse, rubore ob imperfectiones confundi, quam vana iactantia ob virtutes elevari. Salutaris est confusio ex peccatorum promanans cognitione; damnosa gloria ex virtutum oriens iactantia.

2. “Et quinque prudentes” [ibid.].

Expende priores virgines fatuarum nomen et sortem accepisse, quod suas virtutes laudari cuperent: has e contrario prudentes fuisse dictas et ad nuptias agni intromissas, quod omnimodae laudis appetentiam mortificaverint et contemni amarint.

Hinc disce, quanti fiat mundana aestimatio apud Deum, quanti contemptus aestimetur. [f.142r] Ordinarie contemnuntur a Deo, quos magni facit mundus; et magni fiunt e contra, quos parvi mundus aestimat. Odit Deus illos, quos amat mundus; contemnit illos, quos mundus veneratur.

Cogita itaque, quid velis potius habere: an contemni a mundo et a Deo aestimari, an a Deo contemni et a mundo aestimari? Conducibilius est displicere mundo, quam Deo: creaturae, quam Creatori.

Post Sanctissimam Communionem

1. “^aEt ingressae sunt^a cum eo ad nuptias” [Mt 25, 10].

Felicitatem esse maximam prudentium virginum expendes, quod sit iis concessum nuptias cum immortalis Agno celebrare, participem te quoque talis felicitatis esse considerans. Nam quas potiores nuptias habere velis praeter sanctissimam Communionem? Ubi cibus divinus, potus caelestis, gaudiorum plena mensura, gratiarum favorumque cumulus sufficiens. Quapropter est cur tibi gratuleris et applaudas; siquidem non paucae imprudentes animae hoc beneficii, sive ob negligentiam, sive ob reprobationem consequi nequiverint hodie, quod tu consecutus es.

At curabis ne post has mysticas nuptias infatuveris, non ignorans sal infatuatum ad nihil valere, nisi ut eiciatur foras et conculcetur¹⁰²; propter

a-a “intraerunt” (BSV)

¹⁰² Cf. Mt 5, 13.

quam igitur prudentiam fuisti ad convivium Dei admissus, cave ne post convivium eam amittas.

2. “Et clausa est ianua” [ibid.].

Cum de clausa ianua nuptialis triclinii verba Servatoris audis, oportet ut de clausura quoque tui cordis cogites. Nuptias enim cum filii huius mundi celebrant, portas obserari domus curant, ne vel aliquis [non] invitatus introeat, vel quidpiam in illo tumultu depereat.

Ergo praecludendus etiam tibi pectoris aditus, ut quiete nuptias cum animae tuae Sponso, Iesu, celebres spirituales, et impertinens aliquis ex orco hospes, si patens invenerit cor, eo se non intromittat; aut certe ne tibi ex hodierna die collatis nuptialibus donis aliquod pereat, si non tuos sensus custodiveris. Cautus itaque sis circa externa, ne in internis detrimentum patiaris. [f.142v]

IN FESTO SANCTI ANDREAE APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Vidit duos fratres” (Mt 4[, 18]).

Considera, felicem esse animam, quam Deus fixis oculis intuetur; nec frustra Davidem clamare: “Non avertas faciem tuam a me” [Ps 101, 3]. “Aspice in me, et miserere mei” [Ps 118, 132]. Nimirum finge tibi abyssum illam, ex qua omnia condita sunt, tenebris undique circumfusam; talem deinde animam divini oculi luce carentem esse dices. Ubi vero Sol ille increatus lumen gratiae suae in aliquem intorserit, mox discussis tenebris informem materiam informat illaque duo, a quibus omnes promanant virtutes principia, fidem et charitatem, in ea constituit.

Exemplo sit hodiernus Apostolus: qui quamprimum ab Incarnato Deo conspectus fuit, extemplo, relictis omnibus, secutus est eum¹⁰³. Credidit simul et dilexit.

¹⁰³ Cf. Mt 4, 20.

Quin imo, si tui ipsius praesentem statum cum praeterito conferes, divino id oculo adscribes, quod Babylone Ierosolymas: ex confusionis abyssu, id est mundo, ad dilecta Dei tabernacula protractus sis.

2. “Erant enim piscatores” [ibid.].

Adverte divinam providentiam, sapientiam, consilium. Ad arduum subiugandi sibi mundi opus non eligit principes, non vocat dynastas, non mittit invictos imperatores, sed piscatores.

1) Fecit hoc ideo, ut vocati agnoscerent, quam vili e statu ad sublimissimum fastigium essent evecti atque tantae vocationis beneficium agnoscentes, magis amarent beneficium Dominum constantiusque omnia pericula voluntatem huius adimplendo perfringerent.

2) Propterea hoc fecit, ut magis eius potentia inclaresceret, ubi per tam viles et rudes homines, tot reges, imperatores et philosophos, imo totum mundum debellasset.

[3] Demum idcirco fecit hoc, ut nobis ostenderet: tam non esse nobis vilioris conditionis homines contemnendos et ab heroicis laboribus, quos gratia Dei subeunt avellendos, neque, si nos aliquorum monuerint, spernendos, neque si quidpiam rogarint dimittendos vacue, quam nullam apud se acceptionem personarum esse: verum conferre gratiam suam, cui placuerit; evehere, quem destinavit; destinare, quem voluerit.

Disce, tu, non natales hominum sed virtutes aestimare; non verba Dei praeconum, sed rem magni facere et exequi. Deinde tuae vilitatis et malitiae conscius, gratias age Deo, quod te praeter alios meliores ad religiosum statum, quasi apostolicum vocaverit et modo suae mensae adhibiturus est, quem iuste pridem tormentis infernalibus addixisse debebat. [f.143r]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Continuo relictis retibus secuti sunt eum” [Mt 4, 20].

Attenta mentis consideratione trutina, qua celeritate vocanti Domino obsecuti fuere, qua sui abnegatione illum secuti sunt praesentes discipuli

Petrus Andreasque, germana pectora. Continuo voci illius paruerunt; omnibus, quaecumque hoc in mundo possidebant, non solum retribus relictis ac maxime propria voluntate postposita, post vestigia eius abiverunt.

Poterant ei vocanti se respondisse: facere nos hominum piscatores vis, atqui beatus qui tenet praesentia: certa pro incertis nolumus dimittere. Contenti sumus piscium captura, hominum capturam non appetimus. Nihil horum sancti piscatores: at “continuo relictis retribus secuti sunt eum”.

Tu quamdiu tergiversaberis tuis passionibus relictis Christi premere vestigia? An surdis auribus Christi vocem tuo in corde perorantis transibis? Audi, quid Verbum loquatur tibi: relinque te et inuenies me; relinque cupidinem et inuenies requiem; relinque omnia et habebis omnia; exinani te et plenus eris.

2. “Salve crux [.....]; suscipe discipulum eius, qui pependit in te, magister meus Christus”¹⁰⁴.

Has voces promebat sanctus Apostolus, haec spicula sagittasque ardentis amoris vibrabat in caelum cruci affigendus. Tanto gaudio tendebat ad suspendium, quanto alii properant ad regale fastigium: quin maiori ignominiosam suscepit alacritate mortem, quam alii mundanos honores suscipiunt.

Scilicet exemplo suo voluit te docuisse, ut quamvis imminentem tibi crucem laetus expectes, cum gaudio suscipias, portes cum gratiarum actione. Siquidem, proclamante Africano Doctore, “Nihil est hac lingua beatus^a quae in adversis Deo gratias agit”¹⁰⁵. b

^a “sanctius” (Drexelius) ^b Hoc in loco, in margine, legitur sequens annotatio (in parte solummodo visibilis): “In Fes[to] S. Bar[ba]rae reco[ll]ectio, ut in [Fe]sto S. Cat[har]inae. sup[ra], [f. 141v]”, in nostra editione: p. 342.

¹⁰⁴ Antiphona ad Benedictus (Ad Laudes matutinas), in festo S. Andreae, Apostoli (die 30 novembris) : Liturgia Horarum IV, 1293.

¹⁰⁵ Indubitanter uti “Africanus Doctor” denotatur S. Augustinus. Attamen verba hic allegata erronee ei tribuuntur. Evidenter P. Papezyński ea desumit ex opere H. Drexelii “Prodromus Aeternitatis Mortis Nuntius”, c. II, “ 47 : Opera omnia, Antverpiae 1643, I, 61, ubi clare dicitur quod hoc “inquit Chrysostomus”, immediate tamen antea allegatur id quod “verissime dixit Augustinus”. Verba S. Chrysostomi hic allegata leguntur in eius hom. 8 in Epistolam ad Colossenses (PG 62, col. 357); in hac editione tamen datur sequens versio latina: “Nihil est lingua illa sanctius, quae in malis Deo agit gratias”.

IN FESTO SANCTI NICOLAI PONTIFICIS

Ante Sanctissimam Communionem1. “Et vos similes hominibus” (Lc 12[, 36])^a.

Expende, quando nos decet esse homines, quando nocet esse homines.

Primo namque certum est, fieri nos homines tunc, cum naturae passionumque ductum sequentes in varios impingimus scopulos imperfectionum, imo peccatorum, non obediendo, murmurando, impatientiae signa demonstrando, mortificationes respuendo, caelestia negligendo, terrena, uti opes, honores, gloriam et similia, uti delicias, consolationes vanas, quietem superfluum appetendo et quodammodo saecularium adiuvando culpas.

Altero modo fieri homines consuevimus, cum per discretionis [f.143v] regulas alienos defectus excusamus, fatentes fore, ut peiora committamus, nisi a Deo fuerimus adiuti; cum nobis illatas iniurias facile toleramus, cogitantes pluribus nos iniuriis Deum affecisse; cum lapsibus aliorum condolemus, expendentem humanum esse labi; cum pro peccatoribus oramus, illud apostolicum observantes: “Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis [legem] Christi” [Gal 6, 2].

Tu, vide, quo modo sis homo? Si priori, exue quamprimum et indue hominem secundo modo efformatum, vere christianum, vere pium Religiosum.

2. “Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes” [Lc 12, 37].

Considera, Dei servi beatitudinem consistere in ieiuniis, vigiliis et orationibus, si haec omnia eo tendant, ut voluntas Domini adimpleatur. Nec esse beatiorem illa animam, quae vigilat ad fores cordis quotidie, expectans Domini sui voluntatem, sive per instinctus supernos, sive per alia signa exprimendam, ut continuo eam exequatur.

^a *Iuxta invenitur talis posterior annotatio: “Vide proprium Evangelium in communi Confessorum Pontificum”.*

Vult, exempli gratia, Deus, ut haec aliquid patiat, cum gaudio suscipit afflictionem; vult ille, ut laboret, subit haec laborem cum laetitia; vult ille, ut infirmetur, laeta haec amplectitur infirmitatem; vult ille, ut aliquantum contemnatur, contemptus haec alacriter ambit; vult ille, ut mortificetur, mortificationes haec exosculatur: quidquid ille denique mandat, haec facit; quidquid ille prohibet, haec respuit.

O sane beata est talis anima; beatus est Dei servus, qui sic vigilat et omnino securus praedestinationis; quoddam^a dum e contrario signum videtur esse reprobationis negligere divinam agere voluntatem, quod Sauli docemur exemplo, cui a Samuele Vate dictum est: “Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus” (1 Sam 15[, 23]).

Tu, itaque beatus eris, cum te semper ac praesertim hodie, Dominus invenerit vigilantem.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Facies illos discumbere, et transiens ministrabit illis” [ibid.].

En, quae praemia capit anima servi ad voces Domini vigilantis: nempe quietem ipsi pabulumque internum Dominus ipse ministrat. Id autem tali modo fieri contemplare. Quod obediens inspirationibus Dei, quae plerumque per directionem aliorum sunt exequendae, summam cordis tranquillitatem acquirant. Hoc enim istius acquirendae medium religiosus ille Christi Imitator dat, cum personam

Christi sumens ita loquitur: “Si me audieris et vocem meam secutus fueris: poteris multa pace frui”¹⁰⁶. Idem alibi inculcans: “Stude”, inquit, “alterius potius facere voluntatem quam tuam”¹⁰⁷.

“Opta semper, et ora: ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis et quietis”¹⁰⁸: talem facit Dominus discumbere servum. Iam vero ministrat ei, cum pluribus [f.144r] inspirationibus accumulatur

^a in ms. erronee: “quemdam” (debet esse: “quoddam... signum”)

¹⁰⁶ THOMAS à KEMPIS, “De Imitatione Christi”, p. 241 (l. III, c. XXV, n. 5).

¹⁰⁷ IDEM, *ibid.*, p. 235 (Lib. III, cap. XXIII, n. 3).

¹⁰⁸ IDEM, *ibid.*, (nn. 6-7).

uti^a obedientem sicque veluti pertransiens saepius visitat eum, instruit, illuminat, solatur, corroborat, inflammat.

O, Domine benignissime! “Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua” [Ps 118, 19].

2. “Estote parati” [Lc 12, 40].

Considera, moneri te a Christo Domino, ut omni momento sis paratus illi in tuis obedire Superioribus tangique hic simul eos, qui, cum iis quidpiam iniungitur, murmurant, excusant se, tergiversantur, putantes, satis se fecisse voto, quod semel aliquando simplicem fecerint obedientiam; imo iam sanctos sese iudicantes, si forte unum simplicis obedientiae dederint aliis exemplum.

Cum Dominus illos beatos pronunciaverit, quos non solum in prima (hoc est religioso tyrocinio) sed in secunda et tertia vigilia veniens invenerit vigilantes¹⁰⁹, id est, tota vita obedientes.

Tu itaque paratus esto, quovis puncto, ad obediendum. Et vero illum nunc Magistrum obedientiae corde tenes, qui lictoribus etiam carnificibusque promptissime fuerit obsecutus.

IN FESTO IMMACULATAE CONCEPTIONIS VIRGINIS MARIAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Quasi cedrus exaltata sum in Libano” (Eccli 24[, 17]).

Considera non immerito Virginem Beatissimam cedro comparari. Sicut enim cedrus inter alias arbores praestantissima, sic inter omnes creaturas Virgo Beatissima. Insuper non te latet, quo in pretio fuerunt apud Salomonem aequae ditissimum omnium atque sapientissimum ligna cedrina, quibus etiam interiorem templi illius in terris primi atque celeberrimi partem voluit ornari.

^a ita correctum est coniecturaliter, secundum contextum, verbum “uni”, quod - secundum contextum - uti error (ob calami lapsum?) agnosci debet.

¹⁰⁹ Cf. Lc 12, 38.

Cur ergo hinc Virgo Beatissima cedrus non vocetur, cum illa eadem sit templum? Quo nomine illam devotissimus quidam clientum salutans: “Salve”, inquit, “o puerpera! templum Trinitatis”¹¹⁰.

Perge, tu, ad hoc templum hodie, cum magna festinatione, utique obtenturus, quidquid petieris.

2. “Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae” (Eccli 24[, 22]).

Quis trepidet accedere hodie clementissimam caeli Reginam vel peccatorum pressus onere, vel tribulationum confectus multitudine? En extendit suas manus et vocat: “Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis” [Mt 11, 28].

Terebintho se comparat extendenti ramos et quidem ramos honoris et gratiae, ut ad eam cum fiducia maxima festines et omnigenam gratiam Dei et honorem beatitudinis aeternae tibi obtenturam. Quid enim illa non impetret mortalibus a Filio hac praesertim die, qua singulari privilegio [f.144v] a communi omnium mortalium sorte exempta est; qua sine labe originali concepta; qua infinitis charismatibus [s] exornata, cumulata et penitus supra omnes creaturas evecta est?

3. “Spiritus [.....] meus super mel dulcis” (Eccli 24[, 27]).

Fatetur id orthodoxa Ecclesia, cum post clementem, piam, etiam dulcem Virginem Sanctissimam compellans appellat¹¹¹.

O vere dulcis es, Virgo Maria! quis enim plenus amaritudinum ad te unquam confugit et sine consolatione recessit suavissima? quis plenus maeroris te accessit et non illico recreatus est? quis felle tentationum maceratus, in sinu tuo non sensit dulcedinem? Afflictos, gementes, tentatos, oppressos, tu, consolaris, reficis, adiuvas, elevas. Omnibus suavis, omnibus dulcis es.

¹¹⁰ Haec verba non sunt verificata quia nescitur quis sit ille “devotissimus quidam clientum” et e quo opere eius verba hic allegata sunt desumpta.

¹¹¹ Cf. antiphona “Salve Regina”, in fine: “O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria” : Liturgia Horarum I, p. 540 (Ordinarium ad Completorium).

Utinam sic possim exprimere quam sis dulcis, uti concipio, quod sis dulcis! Experitur tuam dulcedinem totus orbis christianus, gustat, haurit, sed exprimere non potest. O igitur clemens et pia et dulcis Virgo! Iesum nobis tui ventris benedictum fructum et hodie reconciliatum et in mortis hora ostende propitium.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Ego ex ore Altissimi prodivi” (Eccli 24[, 5]).

Considera Virginem Beatam ex ore Altissimi prodivisse, id est oraculo Dei promissam fuisse adhuc primis illis parentibus nostris, quando culpam, cuius erat mulier auctor, auctore alia sed meliore muliere delendam fore praedixit. Dixit enim serpenti: “Inimicitias ponam inter te et mulierem [.....]: ipsa conteret caput tuum” [Gen 3, 15]. Ab illo enim tempore, quo divinum in paradiso mandatum fuit perfractum omnes mortales infernalis serpentis amici facti fuere, inimici vero Dei: sola Virgo Beatissima in ortu statim suo inimica esse apparuit diabolo, cum sine primaeva labe fuit concepta. Contrivit ergo caput serpentis et in ortu suo et tum, cum peperit mundi Salvatorem.

Cave, tu, ne peiores originali macula maculas contrahas, si tibi serpentem feceris familiarem; si inquam tentatori animae tuae colloquium non denegaveris immorando peccaminosis cogitationibus.

2. “Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens” (Eccli 24[, 6]).

Considera et pie perpende, non parum Virginem Beatissimam contulisse auxilii, ut ille Sol increatus oriretur et populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam¹¹². Nimirum orabat illa Deum, ut quantocius promissum daret Messiam et [“]Lumen ad revelationem gentium[”][Lc 2, 32] mitteret.

O si tibi istud hodie suis obtineat precibus, ut in [f.145r] te oriatur lumen indeficiens, ut scilicet admissio in tua viscera Sole iustitiae nunquam te obruant iniquitatis tenebrae, sed perpetuum luceant opera tua bona coram hominibus et glorificent Patrem tuum, qui in caelis est¹¹³!

¹¹² Cf. *Is* 9, 2.

¹¹³ Cf. *Mt* 5, 16.

3. “Sicut nebula texi omnem terram” [ibid.].

O salutarem nebulam, per quam Ros optatissimus delapsus est in terram. Protegit haec nebula omnem mundum et irrigat mirifice, cum divinae irae tela ab eo avertit, cum multa bona ei comparat.

Ostendit enim ubera Filio, Filius Patri vulnera: sic Pater ignoscit peccantibus, sic ingratos donis accumulatur, sic nostram propter Filii merita et Matris eius preces expectans emendationem mutat in veniam paenam. O quot in rogo damnatorum arderent, si hos ista nebula iucundissima non protegeret!

Ergo, tu, post susceptum Filium ora Matrem, ut quandoquidem illa tegit omnem terram, sub umbra alarum suarum te quoque velit protegere et immunem sempiterni aestus conservare.

IN FESTO SANCTI THOMAE APOSTOLI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Unus ex duodecim [.....] non erat cum eis quando venit Iesus” (Io 20[, 24]).

Expendere potes, infelicem aliquomodo fuisse ex eo sanctum Thomam, quod una cum caeteris Apostolis non fuerit Domino apparente. Unde fortasse illius cunctationis, dubitationis ac incredulitatis erat causa haec absentia, qua se a communi sociorum subduxerat congregatione.

Tu, quantum commodi spiritualis amittis, cum te aliquando communibus exercitiis, puta orationi, collationi, culparum manifestationi¹¹⁴, subtrahis aut ex negligentia, aut ex imprudentia. Hinc tibi mentis ariditas, hinc ignorantiae nebulae, hinc impertinentium cogitationum fluctus oriuntur.

Quare ne tali obruaris tempestate et in desperationem penitus recuperandae gratiae devotionis incidas atque tuarum imperfectionum tollendarum, defectum corrige, adesse communibus [exercitiis] stude et hodie Dominum cum Rege psalte ora: “Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me” [Ps 50, 14].

¹¹⁴ “Culparum manifestatio” *locum habuit in sic dicto “Capitulo culparum” tum pro Marianis (cf. NV, c. IX, 3), tum pro Piaristis (cf. Const.S.P., P. I, c. XI, I-II).*

2. “Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum” [Io 20, 25].

Considera, divina providentia factum esse, docente Magno Gregorio, ut “ille [f.145v] discipulus”, nempe divus Thomas, “tunc deesset: post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet”. Etenim tali medio nobis omnis incredulitatis occasio sublata est. “Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur”¹¹⁵.

Tu ne vereare dubia tua aliis exponere et in iis vel ipsum Deum, vel prudentiores te, consulere. Nam sic non tantum saluti tuae prodes et consulis experientiae, sed aliis quandoque magnum fructum dubitando ac veritatem explorando potes afferre.

3. “Non credam” [ibid.].

Perpende displicuisse aliquantum Domino audacem illum loquendi modum in Apostolo: “Non credam” ac proinde illud obtrusisse deinde, cum videns credidisset: “Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt” [Io 20, 29].

Tu itaque studebis ex adverso inspirationibus Dei Maiorumque monitis et exhortationibus illico aperire cor. Cave idem dixeris: “Non credam”; cave intra te submurmures: “non obediam”, praesertim in hac sancta Communionem, ubi forte Dominus multa te volet.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Venit Iesus” [Io 20, 26].

Considera Apostolos tanto gaudio apparente illis Domino perfusos fuisse, quanto eum desiderio videre expectarunt; sed simul gratitudinem expende, qua abundabant, cum eum dubitanti sancto Thomae per ostensionem sacri lateris intuerentur succurrisset.

¹¹⁵ GREGORIUS MAGNUS, homilia 26 in Evang. : PL 76, 1201, uti allegatum in Liturgia Horarum III, pp. 1253-1254 (Die 3 iulii, S. Thomae Ap., Festum).

Tu, non gaudebis, qui eundem Dominum in corde habes? non gratus existes, cui omnes tenebras impertinentium cogitationum ex animo pepulit, malaciam animi restituit, gratiam devotionis impertivit et totum se intra te effudit?

Age, fac Deo grates atque eum cum divo Thoma toto corde apprehendens exclama: “Dominus meus, et Deus meus” [Io 20, 28]. Misertus animae meae venit ad me: tenebo, nec dimittam eum.

2. “Beati qui non viderunt, et crediderunt” [Io 20, 29].

Te tum respexisse Filium Dei considera, qui licet illum corporeis oculis inter mortales versantem non usurpaveris, tamen hodie praesentem esse [f.146r] in altari et realiter sub specie panis latentem credidisti, adorasti et in hospitium tui cordis admisisti.

Lauda hac pro illuminatione et summe celebra Dominum; sicque te deinceps gere, ne tibi paucis immutatis dicatur: beati, qui me non sumpserunt, nec ullo hodie favore a me sunt aucti, tamen plus quam tu amant, magis mihi, quam tu, placere student, maiora pro me, quam tu, patiuntur et operantur, studios[i]us denique perfectioni suae, quam tu, attendunt.

3. “Accipite Spiritum Sanctum” [Io 20, 22].

Si forsitan hactenus a malo spiritu seducebare proprias sequens passiones, iam hodie alium hominem sumpto Deo-Homine induere debes. Nam si ille per afflatum discipulis dedit suum Spiritum, tibi profecto eundem non subtrahet, cum quodammodo sese tibi incorporavit.

Spiritum itaque malum esse cogita repugnare Maiorum voluntati; bonum, obedire vel infimis quibusque. Spiritus a Religione alienus est: altiora sapere, appetere, eligere. Spiritus Dei est: humilia cogitare, velle, amplecti. Spiritus Stygius est: velle aliis imperare, sublimia comprehendere, omnibus praeponi, maximam inter omnes laudem habere.

Spiritus sanctus et divinus est: iugum Crucifixi suaviter portare, scrutatorem Maiestatis non esse, quibuslibet cupere postponi et maximis inter omnes contemptibus se dignissimum reputare.

Talis tibi deinceps est spiritus sequendus, si verus esse Christi discipulus cupias. Quid enim prodest extra mentiri religiosum, se intus peior quam saecularium pessimus quisque sis?

IN SOLENNISSIMA CHRISTI DOMINI NATIVITATE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis” (Lc 2[, 1]).

Considera, quod sicut Augusti tempore nascituro Christo in toto orbe summa vigeat pax et hinc universi eius incolae conscribebantur, ita tibi sunt omnes [f.146v] potentiae animae sensuumque componendae hodie paxque summa cordis procuranda et omnes defectus, imperfectiones naevique animi conscribendi, cum in Natali veri Dei-Hominis te ad excipiendum illum accingis.

Examina itaque conscientiam tuam, ut omnibus maculis eius per sacramentum Poenitentiae deteris in novum hominem regenereris et denuo cum Iesu nascente renasceris in omni virtutum et meliorum perfectionum exercitio.

2. “Videamus hoc verbum, quod factum est” (Lc 2[, 15]).

Si magno desiderio videndi Iesu nati pastores tenebantur, adeo, ut se invicem exhortarentur ad viam Bethle[he]m versus arripiendam, quanto, tu, affectu teneris hodie, eundem, ad quem illi salutandum sese mutuo animavere, suscipere? Pudeat te magnae tepiditatis, quod oscitanter quasi ad caelestem Regem accessurus te disponas. An quidpiam sub sole pane hoc quem sumpturus es, potes gustare suavius, sumere salubrius, obsonari lautius?

Age, soporem spiritualem excute, proripe te, ne te pastores ad Iesum, hoc est homines saeculares, quos maior hodie suscipiendi Christi movere potest devotio, praecedant. Corripe gressum, eleva mentem, anima cor et omnes alloquere sic sensus tuos: “Videamus hoc verbum, quod factum est”.

3. “Omnia per ipsum facta sunt” (Io 1[, 3]).

Ne dubites aliquid ab hodierno Infante, tamquam parvulo et paupere, postulare, en sanctus Evangelista dicit: omnia per ipsum facta esse. Cum petitis igitur eum accede. Et arridet quidem infantilis facilitas, pandit beatus Pusio suas manus, ut plurimos ad se petitores alliciat.

Sed tu fortasse times ipse perorare pro te. Accede nihilominus; optimos interpellatores: Mariam sive gratiarum, sive misericordiarum Matrem ac Mediatricem clementissimam; Iosephum sanctiorem caelestium donorum oeconomum et administratorem, ad Regis Infantis cunas reperies; per hos obtinebis, quod per te non poteris.

Suadeo vero, ut non pauca quaedam, sed omnia a puero Iesu petas: illum, inquam, ipsum petas, ut se tibi donet; quandoquidem eo habito, quid tibi potest deficere? Ergo cum illum e manibus sacerdotis accipies, finge, te illum e manibus Iosephi de gremio Matris sublatum accipere cumque illo omnia tibi venire. [f.147r]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Pax hominibus bonae voluntatis” (Lc 2[, 14]).

Expende, illos animi semper quiete perfrui, qui alienam non suam faciunt voluntatem. Namque bonae voluntatis homines ii sunt, qui suam cane peius et angue fugiunt¹¹⁶ voluntatem. Atque talibus hodie caelestis pax dispensatur. Superbis, iracundis, gulosis, rebellibus, contentiosis, pertinacibus nulla requies est. Humiles, obedientes, mansueti, laboriosi, mites, pacifici, temperantes, resignati summa quiete perfruuntur.

Talis hodie tu in conspectu Domini, bona inquam voluntate plenus appare, si pacis osculum suavissimum a “Principe pacis”¹¹⁷ tibi velis propinari.

¹¹⁶ De proverbio: “cane ac angue peius aliquid evitare”, v. p. 65, no. 55.

¹¹⁷ Cf. Is 9, 6.

2. “Verbum caro factum est” (Io 1[, 14]).

Quas virtutes in cunabulis totum mundum docuit puer Iesus, easdem nunc virum indutus et in tui cathedra cordis locatus, ut te doceat, petas. Quem enim apud te Magistrum habes? illum, qui cum esset incomprehensibilis, stricto praesepti continebatur: illum, qui cum Deus esset, universorum et Conditor et Possessor; factus Homo, non habuit in oppido Bethlemitico locum recubandi: illum, qui fascium loco fascias manu gerebat, Imperator invictissimus: illum, qui post conversationem cum Patre Spirituque aeterno inter angelos habitam, iacebat inter bovem et asinum, simul existens in caelo, simul in stabulo.

Disce a nudo Infante, summam colere paupertatem; a caelesti Rege in praesepti recumbente, veram humilitatem; ab obsequentissimo Dei Filio, dignam corona obedientiam.

Disce a tacente Verbo custodire silentium; ab ardente media sub hyeme magnis desideriiis redimendorum hominum Salvatore, divinam charitatem et proximi amorem imbibere; a tolerante frigora, famem, sitim faectoresque stabuli summo orbis Monarcha, tolerantiam laete ferendi res adversas mutua; denique veram sapientiam ab aeterna Sapientia in orbem delapsa disce.

3. “Reclinavit eum in praeseptio” (Lc 2[, 7]).

Considera admirandum fuisse spectaculum, quod universi totius Dominus, in stabulo natus recubaret; ast maius est istud, quod idem hodie tuo in pectore manet.

In stabulo foetores erant sordium; in tuo pectore sordes peccatorum. Ibi durum faenum pro Infante; hic durum cor pro Redemptore. Ibi bos et asinus non expertes gratitudinis assistebant; hic tepiditas, oscitatio, dissolutio, vagantur. Ibi concentus aderat [f.147v] angelorum laudes psallentium; hic nullus auditur linguae sonus grates peragentis. Ibi Maria osculabatur, Iosephus venerabatur; hic nulla adfectus, nulla reverentiae signa comparent.

O vere, tu, stabulum foetidum es! Ah miser! pete cum lachrymis Deum, ut, qui hodie hominis assumpsit effigiem, det tibi formam Dei.

IN EADEM FESTIVITATE RECOLLECTIO II

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Erunt prava in directa, et aspera in vias planas” (Is 40[, 4]).

Considera, quod, qua ratione malae viae, regibus dynastisque per eas transituris apparantur, ea tibi viam cordis reparandam adornandamque esse, cum ad te parvulus quidem recens natus, sed super cuius humerum Principatus factus est; cuius nomen admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis; cum, inquam, ad [te] Regum Rex advenit.

Fac ergo prava in directa, et aspera in vias planas. Quodsi hoc propriis viribus nequis efficere, roga eundem ipsummet Regum Regem, ut, siquidem est admirabilis, admirabilem metamorphosim viarum tuarum faciat; siquidem est consiliarius, non solum consilio ad omne malum fugiendum et bonum amplectendum, ad perditionem evitandam, salutem consequendam, sed etiam vi, tanquam Deus fortis, impellat et cogat.

Iam si Patris futuri saeculi gaudet nomine, petes ab eo humillimis precibus, ut te in album filiorum suorum dignetur inscribere, quemadmodum ipse hodierno die pro filio Iosephi computatus est et Iosephos [s] inter filios David adscriptus.

Pacem denique precaberis a Pacis Principe, non, quae adversitate prorsus omni careat, sed quae bello indefesso comparetur: quoniam ipse quoque ipsis in cunis hostium insidias, brumae frigora, hominum inurbanitatem, vel potius impietatem maximam experitur, reclinatus in praesepio idcirco, quod non haberet locum in diversorio.

2. “Omnis mons et collis humiliabitur” (ibid.).

Utinam tibi hanc gratiam conferat hic, qui hodie in cunis adhuc positus iam perorat: “Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde” [Mt 11, 29]: ut factum omnem tuum, qui instar collis, vel potius montis alicuius gravissimi, animae tuae, ut Aethna Gigantheo pectori¹¹⁸, incubat, conterat, humiliet, auferat!

¹¹⁸ “*Typhoeus - unus e Gigantibus, filius Titani et Terrae, quem illa Jovi irata ad perniciem coelestium fertur edidisse. Hic, cum in ingentem corporis molem adolevisset, eo vecordiae provectus est, ut Jovem ad certamen de Regno provocaret eumque de coeli possessione deiicere conaretur. Quapropter a Jove fulmine ictus est. Aliqui, ut Pindarus, et eum secuti Ovidius [...] fabulantur, in Sicilia sub monte Aetna sepultum fuisse.*” (FLL, s.v. “Typhoeus”).

Et revera, quis hominum audeat amplius superbire, caeli terraeque Dominum ita sui causa humiliatum videns, ut e solio caelestis Regni, ad angulum stabuli; ab angelis ad pecora demiserit sese; immortalisque semper existens mortali carne voluerit vestiri? An te isthaec eius inaudita humilitas, non penetrabit; non ad amorem sui et imitationem alliciet? [f.148r]

3. “Transeamus usque Bethlehem”, etc. (Lc 2[, 15]).

En, qua prudentia sancti illi pollebant opiliones; qui audita voce angeli, qua ad visendum recens natum Messiam excitabantur, minime rem neglexerunt aut distulerunt, quin potius mutuo se exhortantes aiebant: “Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit^a Dominus et^b ostendit nobis” [ibid.].

O si, tu, tanta prudentia utereris in bonis instinctibus exequendis; si tanta alacritate, in suscipiendis mortificationibus! Sed forte fame spirituali confectus es, debilis, ad omnia ineptus, infirmus.

Perge ergo Bethlehem, hoc est ad Domum Panis, ad aram Dei inibique Panem vivum, qui de caelo pro te, velut olim manna pro Hebraeis, delapsus est et primo hodie visus in orbe, summo desiderio, amore, aviditate, reverentia, honestate fiduciaque sume. Et procul dubio reficiet ille tuam interna satietate mentem, qui ibi sub externa specie panis te cupidissime praestolatur.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam” (Is 9[, 2]).

De te haec dici posse, de te non absurde explicari advertet. Quid enim fueras antequam Sol iustitiae tui cordis intraret cubiculum? mera nox, Cimmeriae, vel Aegyptiae tenebrae¹¹⁹. Nunc vero circumfusus es lucis aeternae lumine sicut vestimento: anima tua resplenduit sicut sol, a Sole

^a om. “fecit” (BSV) ^b om. “et” (BSV)

¹¹⁹ Cf. *supra*, p. 225, no. 12.

increatedo, qui hac nocte orbi illuxit, illuminata. O te felicem, qui tanti luminis particeps redditus es!

Utinam tibi sempiternam diem pariat.

2. “Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester” (Is 40[, 1]).

Ita sane est, novam amoenitatem assumpturus es: novo et insolito gaudio perfundendus; cuius unicam habes causam, quod scilicet Deus hospes mundi hodiernus ad te quoque inter plurimos diverterit. Quis enim in adventu regis sui ad suam domum non gaudio exultaret?

Tu, Regem tuum apud te habes. Quis a magno quodam praestantique hospite visitatus non esset hilaris? Te hospes, Iesus veniens ab alto, maximus dignissimusque visitavit. Quis in nocte ambulans et per densas opacasque sylvas discurrens errabundus alicubi proximo lumine viso non totum se dedat laetitiae?

Hoc tibi contigit; cui non de nocte vaganti, non per tenebrosarum sylvarum latebras erranti cum tremore et conturbatione, sed plane habitanti in regione umbrae mortis, tot nimirum tantarumque imperfectionum ac passionum caligine circumvento Lux orta est; quae te, non ut Helice¹²⁰ nautas ad portum, sed quasi tres illos Dynastas insuetum Astrum, ad ipsum Puerum Deum, non iam in Bethlemitico stabulo cubantem et vagientem, sed in immortalis gloriae throno [f.148v] sedentem ac dominantem est deductura.

Consolare igitur, consolare et consurge; sequere hanc Lucem: induere fortitudine tua, induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, anima pia; civitas, mansio, domicilium sanctorum Sancti. Quia si consurrexeris et secuta fueris lucem hanc, nempe Dei voluntatem, non adiciet ultra Salvator tuus, ut pertranseat per te incircumcisis spiritus nequitiae et immundus appetitus tibi dominetur.

¹²⁰ *Apud Graecos est Ursa major, quae et Cynosura, signum caeleste (volvitur circa polum); hinc et pro septemtrione ponitur (FLL, s.v. “Helice”).*

**IN FESTO
SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS**

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occiditis, et crucifigetis” (Mt 23[, 34]).

Considera, “prophetas” esse divinos instinctus et inspirationes, quos tibi Dominus interdum mittit, ut te a peccatis excitent, ad poenitentiam stimulent, a malis ad opera bona revocent; “sapientes” esse Patrum Spiritualium consilia ducumque tuorum in via mandatorum Dei praecepta; “scribas” esse librorum sacrorum lectionem, quae te instruit, ut perfectius vivas, docet, quomodo Deum agnoscas, ames, venereris, quomodo relicto mundo aspices ad caelum et tendas et tandem aliquando eo pervenias.

Ne praesumas ergo hos Dei legatos interficere, hoc est flocci pendere, negligere, non exequi: sed eos libenti animo excipito, eis obtempera in minimis. Quinimo en ipse Deus homo in sua persona te adit, iam prae foribus est.

I, perge, illum invita, suscipe, sed non animo interficiendi, non intentione crucifigendi.

2. “Ut veniat super vos omnis sanguis iustus” [Mt 23, 35].

Adverte bene quam actionem aggredieris, cui te operi accingis. Corpus Domini sumere sanguinemque simul in eo simul bibere vis? Vide [qui] sis; ita te disponas, ne veniat super te sanguis iustus et sit tibi, sicut Iudae in perditionem, non in salutem: sic te ad suscipiendum Iesum praepara, ut lucrum ingens ex illius referas Communionem, lucrum scilicet emendationis, profectus, aeternae vitae.

Cave, ne te similis illi querela tangat, qua Christus de Iudaeis questus est, quod multos iustos e vivis tollerent: ne simili torqueare poena atque illi, qui sanguinem eius super se et super filios suos acceperunt. Da potius operam, ut sis ex eorum numero, de quibus dictum est: “Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion” [Ps 83, 8].

3. “Quem occidistis inter templum et altare” [ibid.].

O quoties inter templum et aras, non tantum inter pocula et mensas, ab indigne [f.149r] suscipientibus innocens Agnus, Iesus, mactatur rursusque crucifigitur! Cave, cave tu quidquam istiusmodi committere. Zachariam, filium Ioiadae impius Ioas Rex Iudaeae, non recordatus, quae sibi pater eius fecisset bona, in templo occidi curavit¹²¹.

Fuge, tu, et evita similem ingratitudinem tamque grande scelus, ne immemor salutis, quam tibi Dei, quem accedis, Filius copiosissime fuso sanguine comparavit; oblitus beneficiorum multorum, quae toties a sacra illius mensa reportasti, nunc, per indignissimam praeparationem et susceptionem, Prolem aeterni Patris, a quo conditus es et omnibus mundi creaturis praepositus, in crucem hodie tollas inter templum et altare.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Sanguis iustus, qui effusus est super terram” [ibid.].

Perpende, si Dominus effusionem sanguinis iustorum ab Hebraeis occisorum sic exaggerat eundemque se e manibus eorum alicubi requisitum dicit. Quo putas rigore iustitiae suum sanguinem a te requisitum est, quem hodie tibi in sancta mensa propinavit, quove animam tuam ab omnibus penitus imperfectionum maculis abluit?

Tu tamen forsitan eam rursus non paucis culparum sordibus infecisti. O quam tibi iustissime intra cor tuum possit non sine minis dicere: non metuis, ne veniat super te sanguis iustus, qui effusus est super terram, super te nimirum, qui terra et pulvis es? non vereris, eum tibi damnationi fore, nisi illico poeniteas, poenitendo emendes, emendendo in virtutibus proficias et perseveres?

2. “Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta” [Mt 23, 38].

Desolationem Christus Dominus Ierosolymitanis promittit et praedicat, eam ob causam, quod ab illo recessissent, nec sub illius legibus vivere voluissent.

¹²¹ Cf. 2 Par 24, 20-22.

Tu quoque magnam desolationem animae senties, nec evitabis, nisi prius evites id, quod spiritum dissipat, non unit cum Deo, quodve sensus sub illius voluntatis pennis, tanquam sub alis gallinae pullos, continuo quiescere non sinit; nisi colloquia vana fugias, omnem tam superflui^a sermonis, quam inutilis lectionis, tam visus, quam auditus, et gressus curiositatem detesteris; nisi rumoribus exquirendis et vendendis, qui summam pariunt distractionem, distractio vero desolationem, nuntium remittas; nisi denique omne id, quod impedire devotionem et a Deo mentem alienare tuam potest ac solet, non a te removeas.

3. “Quoties volui congregare filios tuos” [Mt 23, 37].

Sicut Dominus Hebraeos ad unionem semper et sui charitatem componere satagebat tum per legislatores, tum per prophetas, et cum illi recalcitrarent, [f.149v] atque per mutua odia rempublicam perderent, deserti ab eo perierunt.

Hoc pariter tecum facit, cum per tam frequentem sacrae synaxeos usum sensus tuos in solo amore sui defigere nititur, a rerum mundanarum et proprio amore abstrahere et ad devotionem colligere.

Tu, contra resistis et causam desolationis internae ipsemet tibi cudis. Sed vide ne forte propter hanc contumaciorem negligentiam, sic tandem te derelinquat Dominus, ut nunquam, aut sane tardissime ad te redeat.

IN FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus” (Io 21[, 20]).

Causas dilectionis, qua complectebatur sanctum Evangelistam Filius Dei, plurimas eius virtutes fuisse considera.

^a in ms., ob inadvertentiam, erronee: “superfluri”

Prima assignari potest, quod cum iunior aetate fuerit secutus tamen est Iesum promptissime etiam ab ipso piscationis actu et nunquam deinceps recedere ab ipsius sacro latere voluit.

Secunda est, quod magno constantique animo sese ad patiendum cum Christo et pro Christo ad omnemque ferendam crucem obtulerit: cum enim suo cum Fratre interrogatus a Salvatore fuisset: “Potestisne^a bibere calicem, quem ego bibiturus sum?” animose respondit: “Possumus” [Mt 20, 22].

Tertia causa, quod fuerit castissimus et hinc illi tanquam virgini Virginem Matrem e cruce pendulus Dominus commendavit.

Quarta: quia summo amore prosequeretur Magistrum suum, non amore carnis, quod suus esset frater, sed amore spiritus, quod eum Dei Filium agnosceret et uti verum Messiam veneraretur. Probavit autem tunc amorem suum, quando omnibus discipulis fuga dilapsis, solus ipse ad Pontificem, ad Iudicem, ad crucem Iesum secutus erat, nec ab eo divulsus est, nisi iustis sanctissimo corpori persolutis.

Tu, si velis a Iesu diligi, virtutes, quas Ioannes exercuit dilige et exerce.

2. “Recubuit in caena Domini super pectus eius” [ibid.].

Omnium Evangelistarum doctrina sublimiorem divus Ioannes mundo tradidit, quam non aliunde profecto hausit, quam ex illo, super quod recubuit pectore divinissimo.

Tu itaque cogita: quanta illa dona, talenta, gratias, quam sublimem scientiam acquirunt, qui sese digne ad introducendum **[f.150r]** in suum pectus Dominum praeparant. O si haurire vis caelestis sapientiae liquores hodie e pectore Salvatoris, proscribe ex tuo mundanam scientiam, ut vacuum ille veniens inveniat et quasi in tabula rasa, quidquid velit, imprimat!

3. “Quid ad te?” [Io 21, 22].

Considera summopere displicere divinae Maiestati humanam curiositatem. Hinc, etsi divus Petrus iam fuisset pro summo capite Ecclesiae constitutus, tamen illi curiosius de Ioannis obitu inquirenti responsum est: “Quid ad te?”

^a “Potestis” (BSV)

Ergo tui solius vita, mores, actiones tibi sunt inspiciendae. Tui solius examinanda conscientia dum sacra mysteria sumpturus accedis. Propriae tantum praeparationi insiste; alii, qualiter se praeparent ad sacram mensam, ne inquiras. Denique de te solo cogita: an conformis divinae voluntati sis? an tua munia rite obeas? an satisfacias officiis? vocationi? functioni?

Vivant alii iuxta divinam ordinationem; tu, eadem ordinatione contentus esto. Fruantur quiete, pace, solatiis et mollius tractentur; tu, impositam humeris tuis crucem porta. Nam Dominus scit, quid agat tecum, qua te via ad se ducat; quam si contemnas, ab aeterna felicitate deviabis.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Domine, quis est qui tradet te?” [Io 21, 20].

Quanta sollicitudine divus Petrus quaerebat traditorem Christi, tanta, tu, sedulitate debes invigilare, ne tradas Christum, quem hodie suscepisti, si minus religiosis occupationibus deditus et ad externa fueris effusus. In duodecemviratu apostolico dubitabatur, quis ille foret, qui Magistram veritatem proditurus esset.

Hic tu solus Iesu^a eris proditor, si quidpiam egeris, quod hunc diem^b; hunc, quem suscepisti, caelestem Hospitem, dedecet. Tuae sit itaque curae, non recedere a corde tuo, non ab Hospitis cordis alloquio: pie suaviterque cum eo conversari, in quem angeli prospicere desiderant.

2. “^cDixit Iesus Petro: Sequere me” [Io 21, 19].

Suis cum Dominus iubet Petrum vestigiis insistere, te simul admonet, ut non sensus tuos, non tua desideria, non propriam voluntatem, non mundi delicias, non carnis illecebras, non denique illud omne, quod fluxum, vanum, instabile, transitorium est, sed illum ipsum sequaris aeternum, immortalem, sapientem, iustum, summe bonum. [f.150v]

^a in ms. erronee: “Iesus” ^b in sensu: “lucem”, “lumen”, ita Iesum denotans ^{c-c} “Dixit ei” (BSV)

Mandat, ut ipsius incedas via: tribulationes, calamitates, adversa, detracti-ones, irrisiones, opprobria, calumnias et incommoda quaeque vitae praesentis aequo animo feras.

Cuius igitur hodie praesentia recreatus es, illum ad Golgothaei montis culmina crucem baiulantem ne verearis comitari, comitando iuvare.

3. “Scimus, quia verum est testimonium eius” [Io 21, 24].

Admirandam sancti Evangelistae modestiam expende. Non se aperte dicit Christi Domini fuisse dilectum, secretarium, amatorem; sed, cum non posset occulere veritatem, sic illam aperit, ut seipsum, de quo veritas est, occulat. Et suae consulit modestiae et Christi nihilominus gloriam manifestat.

Ex quo tu disces, nihil ambitiose de tuis operibus sentire, multo minus loqui. Sic divinas gratias enarrare, ut in operantem gloria redundet, non in cooperantem.

IN FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum” (Mt 2[, 13]).

Considera, velle Deum, ut non solum devotus eius Filii servus sis, verum etiam Divinae Matris. Tanti aestimat hic Matrem, ut eam nolit esse absque Filio, nec Filium absque Matre. Unde mandat Iosepho ut simul Matrem cum Filio tollat utrumque periculo subducat et in securam Aegypti stationem deducat.

Quare cum hodie pro tua devotione Filium intra tua viscera sis admissurus, debes etiam Matris meminisse, gratias ipsi persolvendo, quod istum Dominum et Redemptorem tuum suis nutriverit uberibus, qui te suis nutriet vulneribus, pascet carne, sanguine potabit.

2. “Et esto ibi” [ibid.].

Admirari forte voles, quod Iesu Christi parentes angelus in Canopaeas regiones¹²² expedit; nihil tamen iisdem viatici promittat, nullam curam spondeat, sed manere diutius iubeat pauperes, inopes, omni humana ope et auxilio destitutos et quidem inter homines ido[lo]latros. At illi, nihil divino iussui repugnantes, non intra se quidquam murmurantes, non inopiam suam praetendentes et angelo exponentes, pergunt, quo amandantur pleni fiducia, quia pleni obedientia.

Disce, tu, semper ordinationem divinam studiosius amplecti eaque contentissimus esse, quamvis forte debilem te fore sentias et ineptum ad ea, quae tibi per suos vicarios, puta Superiores, iniungit; nihilominus iactans super Dominum curam tuam¹²³, confide tibi illum auxilio futurum. Cave unquam ordinationem postponas illius, a qua tuam pro certo salutem pendere scito. [f.151r]

3. “Accepit puerum, et matrem eius” [Mt 2, 14].

Expende sanctum Iosephum gravissimas itineris aerumnas, difficultates, aestus, labores suavissime tolerasse, divinissimi tantummodo pueri Iesu aspectu recreatum. Quare, ut tu quoque duras huius vitae molestias, cruces, angustias, calamitates delectanter feras, en idem Iesus tibi sese in Sacramento reliquit, ut eius fruitione solareris, conspectu recreareris, sumptione reficeris atque roborareris. Habes itaque magnum itineris tui, quod carpis ad aeternitatem solatium: praesentem in sacro altari Dei Filium.

O te beatum! si non bibas Aegypti aquam turbidam, sed illius tantum appetas refrigerium! si non quaeras consolationem mundi, sed solummodo sis contentus consolatione Dei. Et si hanc, quoniam sapiens et iustus est, aliquando negaverit, etiam tum beatus es futurus, si tuam ipsius voluntati conformabis voluntatem.

¹²² *Canopus* - “a city in Lower Egypt, [...]; hence meton., Lower Egypt: Verg., and Egypt generally: Luc. Adj. *Canopeus*, -a, -um, of or belonging to Canopus”. Ita in “*Cassel’s Latin Dictionary*” (CLD), ed.1979, s.v. “*Canopus*”.

¹²³ Cf. *Ps* 54, 23.

Post Sanctissimam Communionem

1. “Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph” [Mt 2, 13].

Si divus Iosephus angelicae statim ce[n]suit esse parendum admonitioni, licet eam reiecisse cum iusta excusatione, utpote dormienti sibi oblatam, quo tempore plurimis mortalibus stygia phantasmata solent illudere, potuisset, tu visibilem vocem Domini, imo personam ipsam num parvi aestimabis? Quae inclusa tuo pectori te monet, ut fugias in Aegyptum, hoc est a voluptatibus te avellens ad crucem applices.

Aegyptus enim, nihil aliud quam angustias et tribulationes significat. Unde cum te Dominus vult in Aegyptum fugere, docet, tibi ad suam normam contemnendas esse fallaces illecebras huius mundi et perpetuam crucem amandam baiulandamque, a qua deinde sis revocandus in aeternam regionem gaudiorum.

Itaque, elige semper aliquid pati potius, quam consolationibus abundare. Siquidem sapientis ipsius iudicio semper luctus potior est laetitia¹²⁴, imo utilior.

2. “Occidit omnes pueros” [Mt 2, 16].

Pudore, tu, debes affici et confundi, quod nihil hactenus pro nomine Iesu fueris passus. En infantes bimuli et infra, a matrum rapti uberibus Messiam profitentur sanguine; quem nondum noverant, nec poterant invocare, pro eo iam crudelem oppetunt mortem: quid te virum deceat facere?

Nondum fortificatas habentes manus puelli vi caelum expugnant, rapiunt, ingrediuntur: tu, desidem ages vitam, neque te talibus athletic adiunges?

Age, inflammare sancta invidia et quo illi pervenere per gratiam, tu cures pervenire per victoriam. Vince mundum, vince daemonem, vince teipsum. Ex triplici hoste potes auxilio Dei, si velis, triplicem referre palmam, triplicem coronam.

Anima te ad pugnam: dic tibi: potuerunt isti, ego non possim? vicerunt infantes, ego non vincam vir? coronantur puelli, ego non coronabor?

¹²⁴ Cf. *Eccle* 7, 3.

[f.151v - *est vacuum*]

[f.152r]

PARS III

RECOLLECTIONES IN COMMUNI

DIEBUS FESTIS APOSTOLORUM

EXTRA TEMPUS PASCHALE ET TEMPORE PASCHALI

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem” (Io 15[, 12]).

Considera, sine charitate nullum coetum posse consistere: quare non monito solum suo, sed etiam praecepto voluit Apostolos Iesus ad mutuam amorem obligasse. Sicut enim humana^a membra corporis talem habent secum sympathiam, ut invicem iuvent se continuo mutuoque sibi deserviant, ita Ecclesiae Dei et cuiusvis Religionis, Congregationis Societatisque homines, ex quibus illa^b, quasi corpus quoddam ex membris, compacta est, mutuam sibi omnino debent praestare charitatem et deferre obsequium. Unde tibi tantum puta inesse perfectionis, quantum habes charitatis.

2. Considera, non abundare illum dilectione Dei, qui non abundat dilectione proximi. Pendet enim quodammodo divina dilectio ab humana: quia si hominem, quem prae oculis habemus et videmus ad imaginem nobis consimilem formatum, non amamus, quomodo possumus amare Deum,

^a in ms. erronea correctio in: “humani”

^b sub “illa”, secundum contextum, evidenter intelligitur: Ecclesia Dei

quem nec vidimus qualis sit¹, nec scimus, quid sit? Unde merito quidam monet: “Omnes personae amore amentur vero: nec unquam ob verba quaequam in te effusa haustasque displicentias odium in alium fove”², quia

In quo corde non est amor proximi, in eo etiam Deus non est.

Post Sanctissimam Communionem

1. Considera, non absimilem esse divinae amicitiae comparandae modum atque is est, quo hominum solet amicitia comparari. Homines universi, illos vere sibi amicos esse censent, quos habent non solum precibus suis, verum etiam nutibus obsequentes. Ita Deus vocat amicos illos, quorum voluntatem suae videt in omnibus conformem, uti patet ex monito Apostolis dato: “Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis” (Io 15[14]).

Quam multi multos quaerunt modos, quibus in [f.152v] amicitiam principum et variorum hominum sese possint insinuare. Tu, facile potes esse Regis immortalis amicus, si feceris tantum illius voluntatem. Et profecto quid nolis facere, ut Dei sis amicus, ut illius favorem habeas, quando quidem vides mirabilia et quandoque vilissima servos officia exercere, ut gratiam possint habere dominorum?

Cave, ne te, qui filius lucis es, prudentiores sint filii tenebrarum³.

2. Perpende, tibi Deum benefacere ex puro amore tui. Unde id, quod te in saeculo perire non reliquerit, quod ad Religionem vocaverit, quod hic peccantem non merito puni[v]erit ut solet multos, quod emendationem tuam patientissime expectet, quoties laberis et a perfectionis via devias; quod te quotidianis gratis, imo momentaneis locupletet, ex amore tui pure facit.

¹ Cf. 1 Io 4, 20: “[...] Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?”.

² Textus hic allegatus, secundum annotationem marginalem, tribuitur S. Philippo Nerio. Attamen non potui invenire hunc textum in operibus eius vitam et dicta praesentantibus. Aliud simile dictum inveni, cf. GASBARRI Carlo, “Filippo Neri nella testimonianza dei contemporanei”, Roma 1974, p. 66: “Quanto alla tolleranza verso i prossimi, Filippo ebbe a dire: “Quanta patientia hebbe Christo Re e Signore del cielo e della terra con gli Apostoli, soffrendo da essi molte inciviltà et male creanze [...] quanto maggiormente dobbiamo noi sopportare il prossimo se usa con noi inciviltà””.

³ Cf. Lc 16, 8.

Quare te quoque fas est, ex puro amore Dei omnia bona operari, omnia dura sustinere; sicut fecit hodiernus Apostolus, cuius immensos labores, tormenta mortemque divinus amor unicus et promovebat et condiebat.

IN COMMUNI EVANGELISTAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Messis quidem multa, operarii autem pauci” (Lc 10[, 2]).

Considera, vehementer Deum negligentibus operariis irasci, propterea quod cum videant multam messem, non admoveant illi manum; quod nimirum oscitanter curent animarum salutem et patiantur sibi eripi a daemonibus ^a frumentum electorum.

Ergo tu persuadeas tibi, idcirco te hodie ad mensam Dominicam admitti, ut sedulo diligenterque labores in agro Domini, neque ullam succurrendi saluti proximi occasionem praetermittas.

2. “Nolite portare saccum, neque peram” (Lc 10[, 4]).

Considera, saccum tuum peramque esse propriam voluntatem propriumque amorem. Sicut enim in sacco et pera multae diversaeque res contineri possunt, sic in propria voluntate proprioque amore infinita sunt vitia comprehensa, quin omnia; adeo, ut nulla imperfectio, nullus defectus, nulla culpa, nullum denique peccatum aliunde, quam a voluntate propria et amore proficiscantur.

Cum igitur vadis ad mensam Iesu Christi, noli tecum portare saccum hunc et peram, sed depone haec per generosum propositum sic, ut amplius non resumas. [f.153r]

^a in ms. hic, per inadvertentiam, sine necessitate repetitur verbum: “eripi”

Post Sanctissimam Communionem**1. “Neminem per viam salutaveritis” (ibid.).**

Considera, velle Dominum, ut consuetae aliquando urbanitates^a obliviscamur, ne ex urbanis fiamus mundani. Propterea prohibet discipulos, ne circumeundo universum orbem cum sancto Evangelio, saluent per viam homines. Quod tametsi bonum sit, possit nihilominus ex hoc bono ingens oriri malum. Cum praesertim experientia discamus, a salutatiunculis descendere homines ad confabulatiunculas, ab his ad detractiones et postea ad rixas, iurgia, contentiones, maledictiones, blasphemias.

Demus autem haec non inveniri in Dei servis; tamen prohibuit Dominus discipulos salutare per viam homines, ne in opere sibi commisso ad exequendum moram vel minimam, etiam honestis salutationibus occupati, facerent.

Hinc collige, quanta tibi a mensa Domini recedenti cautela^b adhibenda est, ne otiosis collocutionibus diffluas, ne vanis negotiis te occupes, ne per inutilia animum distrahi sinas. Neminem per viam salutaveris, sed agenda age.

2. “Primum dicite: pax huic domui” [Lc 10, 5].

Tibi hoc a Domino dictum esse puta: ut inter omnia tranquillita tem animi procures, nec te spontaneis turbationibus involvas. Decet enim, ut, habendo in corde tuo Principem pacis, interna pace vel maxime perfruaris. At simul opera tibi danda est, ut Domus, nempe communitatis, in qua degis nullo pacto quietem perturbes.

Quin potius inter primos labores hunc assume praecipuum, ut hominum corda invicem sibi concilies. “Beati”, enim, “pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur” (Mt 5[, 9]).

^a *in ms. erronee: “urbanitatis”*

^b *in ms. erronee: “cautella”*

IN COMMUNI MARTYRIS⁴**Ante Sanctissimam Communionem**

1. “Qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus” (Lc 14[, 27]). [f.153v]

Clara sunt amantissimi salutis tuae Servatoris verba; quibus tibi declarat, neminem posse fieri suum discipulum, nisi patienter sit fortis et fortiter patiens. Et sane prope fatuus videri potest, qui volens in schola crucis Magistro Iesu profectum facere, nolit sibi occurrere aliquid adversi, duri, acerbi, tolerandum. Profecto nemo hic sapiens, nisi patiens.

Tu igitur, in praesenti Communionem non tam caelestes delicias et mellifluas suavitates appete, quam, ut cor tuum animusque firmetur ad patiendum, pete.

2. “Quis [.....] volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus?” [Lc 14, 28]

Considera, te debere prius ad assequendam religiosae vitae perfectionem media quaerere, quam perfectionis apicem conscendere incipias. Ut enim sine sumptibus nullum aedificium, sic sine mediis nulla virtus. Vis autem scire, quibus mediis ad perfectionem utendum? Non aliis, quam Regulis tibi a Deo propositis ad servandum. Maior enim nulla est perfectio, quam pura observatio Regularum. Hinc, qui extra Regulam graditur, extra viam perfectionis est propiorque sit inferno, quam caelo.

Tuum ergo erit, nihil sanctius in vita, quam religiosas cum Dei praeceptis regulas custodire, ut tantum in amore Dei proficias, quantum in observatione regularum.

⁴ In libris liturgicis hodiernis dicitur: “In communi martyrum - Pro uno martyre”.

Post Sanctissimam Communionem**1.** “Sedens prius cogitat” [Lc 14, 31].

Ut ante negotium inchoandum quiete opus est animi, quatenus illius conficiendi melius expendatur ratio, sic post confectum ad eandem redeundum est quietem, ut, quid illi desit, vel optimum appositum [f.154r] sit, advertatur.

O anima! sentisne, a quo redis negotio? Negotium scilicet tuum erat cum Deo, quem incorporatum sumpsisti. Consiste igitur tantisper et sensus tuos recolligens quiesce aliquantum expendeque, ut te in hoc negotio habuisti, qui illud tractasti. Quodsi tuae aliquid praeparationi defuit, si in ipso sumendae Eucharistiae actu quidpiam inordinati abs te commissum est, iam id gratiarum actione compensa.

2. “Rogat ea, quae pacis sunt” [Lc 14, 32].

Nec tu male feceris, si vires exiguas inesse tibi ad bellum cum tentationibus gerendum videns, rogaveris aeternum Dominum, ut in pace te conservet ac omnem inimici animae furorem et audaciam et impetum pro te ipse frenet. Pax Spiritus Sancti fructus est, pax indicium filiorum Dei, pax bonum usquequaque necessarium.

Roga ea, quae pacis sunt; ineptus bello producendo, ineptus ferendis tumultibus et turbationibus sustinendis. Tametsi memor esse debeas, a Deo pacem dari, non quomodo mundus dat⁵. Scilicet qui aeternae inhiat quieti, pacem hac in vita non alibi^a quaerit, quam in tribulationibus et tum se suaviter quiescere putat, cum aliquid patitur adversi.

Tempore Paschali, ut in festo sancti Marci Evangelistae, supra ff. [111v-112v; pp. 252-255].

⁵ Cf. Io 14, 27.

^a in ms. correctum, uti videtur, ex “aliam” (relictum est tamen: “alibri”!?)

IN COMMUNI PLURIUM MARTYRUM⁶

Ante Sanctissimam Communionem [f.154v]

1. “Cum [.....] audieritis praelia, [.....] nolite terri” (Lc 21[, 9]).

Considera praesentem vitam esse militiam⁷. Militandum scilicet nobis est, si non cum adversariis, certe cum nostris passionibus; atque inde sit, ut semper occasionem tam patientiae quam fortitudinis habeamus. In hoc res tota sita est, ut magno animo quaelibet molestiarum nobis inserentia subeamus; neque trepidemus ad crucem, quam ideo nobis Deus suppeditat, ut per eam nos ad caelestem patriam deducat.

2. “Oportet [.....] haec fieri” [ibid.].

Considera, quod sicut aqua necessario moveri debet, ne stando corrumpatur, sic hominis animum opus est variis afflictionum fluctibus agitari, ut otiosus non vitietur. Ventus purgat aerem, tribulatio mentem.

Ingens ergo tibi praestari a Deo beneficium iudica, quum te permittit vexari quocunque tandem genere acerbitatis. Interne torqueris? oportet haec fieri. Externe turbaris? et haec oportet fieri. Homo te cruciat? malum hoc, ut tibi videtur, necessarium est. Tentatio, scrupuli, daemones te angunt? hac sine re non te puta fore salvum: quia in patientia forti est tibi anima tua possidenda.

Post Sanctissimam Communionem

1. ‘Nondum statim finis’ [ibid.].

Considera, vitandam tibi esse animi elationem et nimiam fiduciam; quasi passionibus tuis mortificatis iam tibi nullus timendus hostis, nullum periculum sit metuendum. Nondum enim tuae vitae finis, quam quousque trahes, semper aliquid lapsus pavere cavereque debes.

⁶ *Hodie dicitur: “In communi martyrum - Pro pluribus martyribus”*

⁷ *Cf. Iob 7, 1.*

Humilis tibi videris? at puta radicem adhuc quampiam superbiae in imo cordis oculi. Patientem te iudicas? scilicet eo usque, [f. 155r] donec venerit occasio furendi. Resignatum te esse censes? forte veniet aliquando tempus, cum in re minimi momenti tuus^a eris.

Itaque metue semper aliquem hostem, cave tibi a teipso. Nondum passionum domitarum finis est; reviviscent iterum iterumque tibi bella movebunt.

2. “Nolite terreri” [ibid.].

Considera, merito nos moneri a Salvatore, ut, auditis proeliis non tam corporalibus, quam spiritualibus, non terreamur. Ipse enim Dux noster est, ipse opifer; quos hostium in oppugnationem nostri submittit, eosdem profligat; ut et nobis meritum crescat fortitudinis et illi cumulus accrescat gratiarum actionis. Nam sicut populum Hebraeum promissionis terram adeuntem praecebat in columna ignea noctu, nubila diu⁸, ut veluti fidelis ductor non viam solum illi monstraret, sed hostes etiam illius prosterneret, ita quosque suos melioris aevi moderni servos non deserit unquam, in bellis praesertim spiritualibus gerendis. Utque nobis ducatum praestat in caelestem patriam tendentibus, sic opem fert pugnantibus cum inimicis quibuscunque nostris.

Hac de causa te hodie mensae suae adhibuit, ut ab eo illuminareris in via et roborareris ad luctam.

Tempore Paschali, Ante Sanctissimam Communionem et Post, ut in festo sancti Marci Evangelistae [v. supra, f. 111v; pp. 252ss].

IN COMMUNI CONFESSORIS PONTIFICIS^b

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Homo peregre proficiscens” (Mt 25[, 14]).

Considera, te esse viatorem, peregrinum super terram; non habere permanentem stationem. Corpus enim tuum, cum de terra sit, eo properat

^a in sensu: addictus, obsequens; in primis autem dicitur de amantibus (ita secundum FLL, s.v. “tuus”, 1, 1^o, b) ^b in ms. datur hic sequens annotatio marginalis: “Pro festo s. Nicolai”
⁸ Cf. Ex 13, 22.

regredi, unde venit. Anima vero caelo trahens originem [f.155v] illuc quasi ad centrum tendere debet.

Tu da operam, ut ab hoc non aberret centro carneis deorsum voluptatibus abstracta. Denique sicut peregrini nullum hospitale⁹ ex negligentia pertranseunt, in quo se sciunt bene tractandos in eoque sic sibi provident, ut non deficiant in via, sic tu, miselle peregrine, totis viribus enitere, ut tam fructuose Communioni praesenti intersis sacraque synaxi reficiaris, quatenus fortius gressum in cursu peregrinationis tuae figas.

2. “Tradidit illis bona sua” [ibid.].

Considera et expende, quae talenta a Domino acceperis, ut eis commode possis uti; ad quid te fecit aptum, ut te ineptum non reddas.

Audi Gregorium, qui serio se super hoc Servatoris punctum reflectens, non leviter effatus: “Considerare”, inquit, “nos admonet” (Servator), “ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid^a cernimur ab auctore mundi, gravius^a inde iudicemur”. Cuius rei rationem subdens: “Cum enim”, ait, “augentur dona, rationes etiam crescunt donorum”. Atque hinc infert: “Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo^b promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione”¹⁰.

Bene haec trutina et diligentissime talentis acceptis cooperare, maxime vero, quod etiam in praesenti Communione novi tibi aliquid gratiae Dominus sit collaturus. [f.156r]

Post Sanctissimam Communionem

1. “Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis” [Mt 25, 16].

Considera pertinere hoc ad servi boni fidelitatem, ut augeat Domini sui proventus, non minuat. Similis a te fidelitas requiritur, in cooperatione

^{a-a} “cernimur, ab auctore mundi gravius” (CLCE;CChrL) ^b om. “Deo” (PL)

⁹ *Evidetur sermo est hic de hospitio pro peregrinis.*

¹⁰ GREGORIUS MAGNUS, “Homiliae in Evangelia”, hom. 9, in: 1) CLCE, II (Comment. in Matth., c. 25), p. 257; 2) PL 76, col. 1106 (Lib.I); 3) CChrL 141, p. 58, vv. 1-6 (“atque ad serviendum promptior”, in nota textuali).

gratiae Dei, ut secundum illius mensuram perfectionis in te redundet amplitudo. Ergo, si vales aliquid lingua, operare; vales manu? operare; vales ingenio? operare. Sic tuis talentis alia lucraberis.

2. “Ecce alia duo” [Mt 25, 22].

Animadvertite hic, nihil a nobis Dominum exigere supra vires nostras: quandoquidem non minorem dedit mercedem servo bina talenta lucrato, atque alteri, qui lucratus erat quinque; ideo, quod uterque eorum secundum concredita sibi talenta se gessit.

Hinc tu multum tibi debes gratulari, quod eadem visione beatifica fruiturus es in caelo, (si tamen perseveraveris in bono) qua fruuntur sancti Martyres, qui intolerabilia fere tormenta pro Christi nomine pertulerunt. Vide tantum, ne gratiam Domini in vanum recipias, si in te fuerit vacua reperta.

In Festo Confessoris non Pontificis, ut in Festo S. Nicolai supra.

In Communi Virginum, Ante Sanctissimam Communionem et Post, ut in Festo Sanctae Catharinae, [ff. 141v-142r; pp. 342-344].

In Communi non Virginum, sicut in Festo Sanctae Marg[aritae],[ff. 124r-125r; pp. 287-290].

IN DEDICATIONE ECCLESIAE

Ante Sanctissimam Communionem

1. “Ascendit in arborem sycomorum” (Lc 19[, 4]).

Considera sycomorum ficum fatuam Latine dici¹¹ ac propterea per eam nobis innui, ut ea, quae mundo videntur esse fatua, amplectamur, si vera Dei sapientia velimus potiri.

Designari [156v] quoque per sycomorum Christi crucem atque doctrinam, perpende; quam dediti mundo mortales iudicant omnino maximam esse stultitiam. Sed revera sine ea videri Deus non posset, sicut eum non

¹¹ Cf. SLL, s.v. “*Sycomorus*”: “*Quasi fatuam ficum dixeris*”.

vidisset Zachaeus, nisi ascendisset sycomorum. Unde recte sanctus Gregorius: “Pusillus”, inquit, “Zachaeus sycomorum subiit, et Dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur”¹².

2. “Festinans descende” [Lc 19, 5].

Descendendum et tibi est festinanter ad cor tuum, siquidem pariter se ad te Dominus ipse invitat, sicut invitavit ad Zachaeum. Praecurre igitur quantocius in cubiculum pectoris tui et magno hospiti diversorium ibi praepara: hodie enim in domo tua oportet eum manere. Quae quam felix est futura, si invenerit eam mundatam scopula examinis, unda contritionis!

Descende ergo, descende festinans in domum tuam caeli Hospitem eo introducturus, cui utinam non displiceat mansio tua!

Post Sanctissimam Communionem

1. “Ecce dimidium bonorum meorum [.....] do pauperibus”[Lc 19, 8].

Vides liberalitatem Zachaei, post visitatam a Servatore domum suam bona omnia cum pauperibus dividentis?

Hoc scilicet tibi faciendum est, nimirum dividenda cum pauperibus, nempe delinquentibus, charismata omnia, quae in praesenti sacra mensa obtinuisti. Ut enim pauperes e magnatum discendentes convivis, solent buccellas conservatas in socias partiri, sic tu emendicato Dei lumine in sanctissima Eucharistia, non solus tantum frui debes, at alios eti[a]m illustrare, eos praesertim, qui tantam atque tu saepius communicandi non habent potestatem.

2. “Reddo quadruplum” [ibid.].

“Ecce camelus” (ait Venerabilis ille Doctor Zachaei subitam mutationem admiratus) “deposita sarcina per foramen acus [f.157r] transit;

¹² GREGORIUS MAGNUS, “Moralia in Iob”, l. 27, n. 79, uti allegatum in: CLCE, III (Comment. in Lucam, c. XIX), p. 428, et in: CChrL 143 B, p. 1392.

id est relicto divitiarum amore, benedictionem dominicae susceptionis accipit”¹³. Ubi enim Christum Dominum excipit hospitio, illico avaritiam sensit proscribi de suo corde. Quare defraudatos a se superabundanti restitutione cumulat.

Redde et tu Deo, quod accepisti; proximo, quod teneris; Deo, gratitudinis debitum; proximo aedificationis exemplum: ne alias gratis in te Christus Dominus iudicetur fuisse hospitatus.

3. “Reddo” [ibid.].

Restituit usuram, defraudationem compensat abundanter, superflue. An tu pro peccatis tuis non satisfacies in quadruplo? an multiplices fructus poenitentiae non facies? an quos pessimo [exemplo “] de via virtutum ad vitiorum praecipitia traxisti, de caelo ad tartara impulisti, non inde extrahes, viventes male ad emendationem vitae, offendentes Deum ad eius Maiestatis reconciliationem invitando suasionibus, adhortationibus stimulando, pelliciendo exemplis?

“Docebo Domine^a iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur” [Ps 50, 15].

[ff. 157v-159v sunt vacua].

^a om. “Domine” (BSV)

¹³ BEDA VENERABILIS, “In Lucae Evangelium Expositio”, prout allegatum in: CLCE, III, p. 430 (Commentaria in Lucam, c. 19).

Notanda est versio ampliata huius pericopes in: CChrL CXX, Pars II, p. 333 (“1500) et in: PL 92, col. 559 (Expositio in Evangelium S. Lucae, Lib. V).

[f.160r]

P A R S I V
R E C O L L E C T I O N E S P R O H E B D O M A D A L I B U S
E X E R C I T I I S S E R V I E N T E S

[f.160v]

Ante quamlibet Recollectionem

INVOCATIO SPIRITUS SANCTI¹⁴

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius pia consolatione semper gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio praeparatoria¹⁵

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuuando proseguere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te caepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Amen.

[f.161r]

¹⁴ Cf. “Ad invocandum Spiritum Sacntum”, in: *Liber Usualis Missae et Officii, Tornaci 1928*, pp. 1546-1547, omisso verbo: “pia”.

¹⁵ Cf. *Collecta, Feria V post Cineres*, in: *MIR*, p. 181, omissis: “oratio, et”.

RECOLLECTIO I DE BENEFICIIS UNIVERSALIBUS

1. Considera, quid esses, antequam creareris a Deo; quisve ille fuerit, qui te creavit: nempe Deus, ens absolutissimum entium, sine ullo principio et origine. Bonitas sapientiaque perfectissima: Charitas et omnipotentia infinita.

Ille denique creavit te, qui est et tu creatus es, qui non eras quidquam: de nihilo conditum te esse scito, ex vilissima fabricatum materia; at artificis, tamen Dei prudentia tam pulchrum effectum, ut omnes creaturas superes externa forma exceptis caelitibus.

Iam vero, quam tibi animam infudit, recogita: ad imaginem et similitudinem suam efformatam: deditque ei intellectum, ut intelligeres Deum tuum esse Satorem; dedit cor, ut amares; eidem animae affixit voluntatem, ut libertate potiri te, ac nulli rei subiectum esse demonstraret: licitumque tibi esse, quicquid velles, ambire; quicquid ambires, eligere; quicquid eligeres, amare et sequi. Huic demum divinae effigiei memoriam adiunxit, qua recoleres illius in te collata beneficia, illum esse tuum Conditorem, teque olim fuisse lutum et futurum fore: quod ipse olim Parenti primo enunciavit inquam: “Pulvis es, et in pulverem reverteris” (Gen 3[, 19]).

2. Expendes beneficium Redemptionis: quomodo, ut te hominem rebellem ad Patriam sedem reduceret et a perenni limbi aut inferni carcere liberaret, humanam naturam Dei Filius, in omnibus Patri aequalis, assumere voluit: incomprehensibilis utero Virginis comprehendi; impassibilis, tota vita sua varias persecutiones, aerumnas, calamitates pati; in Nativitate frigora, in circumcissione cultros, in fuga Aegyptia aeris iniurias et plurima incommoda tolerare; docendo linguas impiorum sustinere, a lapidibus sibi cavere, orci tentationes ferre proque bonis pessima quaeque recipere.

Iam deinde ad passionis misterium veniens quasi suspensus haerebis, non tui esse intellectus reputans tormenta, cruciatus, dolores, Dei hominis comprehendere; sufficereque tibi, ut concipias, eum pro infinitis peccatis ut satisfaceret, infinitos cruciatus perpessum fuisse; plusque tormentorum, aut saltem tantum, quantum damnati in inferno sustinent, eum sustinuisse pie considerabis, ut humanum genus, ut te ab inferno et morte perenni redimeret.

Hoc enim exclamat, suos dolores manifestans: Aspice, quisquis amas me, si est dolor sicut dolor meus¹⁶.

3. Vocationem utramque expendes: et qua ad catholicam fidem et qua ad religiosum statum vocatus es, recogitans innumeros infideles, quod beneficio vocationis [f.161v] ad fidem non fuissent cumulati, damnatos esse; innumeros adhuc in tenebris infidelitatis haerere in eodemque aeternae damnationis periculo versari; te vero Sancti Spiritus gratia tanto dono et lumine dotatum.

Circa religiosam vitam id trutinabis: eam esse portum, ad quem e mari periculosissimo mundi declinatur, insuperabilesque magnarum^a tempestatum procellae effugiuntur; esse civitatem sanctam Ierusalem; esse portam Ezechielis, per quam patet aditus ad aeternae vitae mansionem¹⁷. Deinde mente revolves plurimos sine poenitentia decessisse, diemque suum obivisse ac iacturam salutis fecisse, te vero ad hanc [poenitentiam?] agendam ex saeculo evocatum et ad dilecta Dei tabernacula receptum: ubi vivas purius, cadas rarius, surgas velocius, irroreris saepius, ambules citius, moriaris confidentius, salveris certius.

Colloquium ex affectibus profundissimis constabit, quos tibi gratitudinis vis et amoris, e corde eliciet atque exprimet.

1 Pater noster. 1 Ave Maria.

RECOLLECTIO II DE PARTICULARIBUS DEI BENEFICIIS

1. Considera, praeter beneficium creationis, redemptionis, iustificationis, vocationis ad fidem et religiosum statum, alia quae tibi Dominus in peculiari exhibuit beneficia, maxime vero quotidianas gratias, quibus te a peccatis praeservavit, ad virtutes et bona opera animavit, iuvit in progrediendo, prosperavit in perficiendo.

^a in ms. erronee: "mugnarum"

¹⁶ Cf. *Thren* 1, 12.

¹⁷ Cf. *Ez* 44, 2; 46, 1.

Hic simul defectum gratitudinis expendes: quam ei per exiguas, imo pro multis gratiis, nullas grates egeris, non considerans, neque sciens intelligensque, te ab eo directum, custoditum, tot bonis auctum, a tot malis praeservatum fuisse.

Pro qua negligentia dolorem concipies in eiusque compensationem ad serviendum Domino futuris diebus vitae tuae maiori studio et fervore te petes excitari.

2. Expende casus externos, a quibus ope divinissimi Numinis, Optimi Parentis tui tutorisque non custoditus tantummodo, sed etiam liberatus es. In quibus expendendis magis ac magis tuam mentem occupabis altiusque defiges: revocando itinera, loca, actiones, conversationes, pericula, circa quae mente versaberis.

Et quanto maiorem tecum Numinis Optimi Maximi providentiam fortioremque manum fuisse advertes, tanto ampliori affectu in eum ferere, totisque praecordiis in gratiarum actiones amoresque illius rues. Quid enim eum non ames, qui tantopere amavit amatque te, ut nunquam benignissimum gratissimumque oculum suum a te avellat?

3. Reduces in memoriam dona, charismata, favoresque omnes hactenus tibi a Domino praestitos. Eorumque magnitudine, multitudine, pretio et valore considerato, pudore suffunderis, quod **[f.162r]** non modo solvendo, sed neque regratificando sis, memor illius divinae amatricis Theresiae, quae divina beneficia sibi impensa expendens, clamabat petebatque assiduo modum iis imponi¹⁸.

Neque praeteribis corporales necessitates, commoda, quae tibi providentissimus Sator Deus largissime et sufficientissime, nullam te adhibente curam, nullum lapidem movente suppeditabat. Hinc tantum animi desiderium ei omnibus modis regratificandi concipies, ut te nullo modo superare beneficiis ab immenso clementissimoque Benefactore patiaris.

¹⁸ Cf. TERESIA A IESU, "Vita S. Matris Teresae de Iesu", cap. XVIII, in: "Opera", I/ 2, p. 109: "vide, Domine, quid agas, [...] ut aliquem beneficiis tuis et gratiis modum ponas, peccata mea in memoriam quaeso, revoca. [...] me etiam maximum, quod quidem in terra possidetur, bonum amittere, contentam et paratam esse, ut haec beneficia et gratias conferas iis, qui maiorem per ea fructum faciant, et pluribus prosint, et sic tua gloria maior fit, et adaugetur".

Colloquium, ex gratiarum actionibus colliges et propositis perfectiora sectandi, meliusve ac perfectius operibus charitatis incumbendi.

1 Pater noster, 1 Ave Maria.

RECOLLECTIO III DE VIRTUTIBUS EXAMEN INSTITUENDUM

Ac primo: DE OBEDIENTIA

1. Considera solam puram conscientiam extremo decretorio die nihil metuere posse. Cum vero ignoras quo momento e vivis tolleris et sublatus ianuam aeternitatis ingredieris, an non hoc felicissimo tempore, ad solam conscientiam sancte instituendam tibi concessio, incumbes ^atoto tempore pectore^a, ut eam liberam omni metu habeas? Sed, cum praecipue de illis te accusabunt hostes tui coram summo Iudice Deo, quae tu sponte vovisti vota tua digno examine et diligenti discute, qualiterque eorum tenax fuisti, animadvertite. Atque imprimis circa matrem virtutum obedientiam te examina; a qua alia duo vota dependent.

Revoca ergo tibi primo in mentem, an prompte, hilariter, unice, constanter, tuis Superioribus, mandatis Dei, regulis obsecutus fuisti? an aliquando non obmurmurasti? an non reluctatus es? Persuadebisque tibi defectum obedientiae esse plane gravissimum aliorum defectuum: cogitans propter hanc non servatam Saulum reprobatum esse¹⁹. Populum Israeliticum durae cervicis populum fuisse appellatum et habitum, et parum abfuit, quin et idem abiceretur, modo Moyses mitissimus dux annuisset²⁰.

Denique illud Divini Spiritus axioma expende: “Melior est [.....] obedientia quam victimae” [1 Sam 15, 22], cuius rei rationem afferens Romanus Doctor inquit, “Quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero ^bpropria voluntas^b mactatur”²¹.

^{a-a} probabiliter debuit esse: “hoc tempore toto pectore” ^{b-b} “voluntas propria” (PL)

¹⁹ Cf. 1 Sam 15, 22-23.

²⁰ Cf. Ex 32, 9-14. 33, 3-5.

²¹ GREGORIUS MAGNUS, “Moralia in Iob”, lib. 35, in cap. 42 : PL 76, col. 765 (nn. 1155-1156). Notandum est quod ante verba hic allegata ibi legitur: “Obedientia quippe victimis iure praeponitur [...]”.

2. Expende, an aliquando ob amorem huius virtutis illa, quae animo tuo erant contraria atque repugnabant fortiter aggressus es, sive etiam neglexisti? “Vincenti” enim “datur^a manna” [Apoc 2, 7].

Quod si tu, in ulla te re non viceris, considera nullam adhuc tibi lauream extare, nullum praemium subiugatae et devictae voluntatis propriae assignatum esse. Imo, si nullum actum obedientiae a te exercitum esse advertis, cogita, nihil te adhuc promeruisse ac proinde nondum caelo destinatum esse incertumque beatitudinis, pro qua obtinenda Religionem ingressus es. Solus enim obediens haereditario iure accipit caelum: ille quippe [f.162v] dicere Christo intrepide potest: feci quod iussisti, da quod promisisti.

Te miserum tot damna pateris aeternorum praemiorum, quot occasiones omisisti obediendi.

3. Recollecta illud mente, trutina Dominicum: “^aQui vult venire post me^a, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me” [Mt 16, 24]. Ex hoc enim facili negotio percipies, an Christum sequaris, si crux illius a te fuit aliquando portata amoreque illius te aliquando abnegasti. Parum enim ad consequendum perfectionis et omnis sanctitatis apicem interest, opes, divitias, honores, proximos et amicos relinquere in saeculo, nisi etiam reliqueris te tuamque voluntatem in Religione. Christus per hoc non salvavit mundum, quod caelum deserens ad terras descenderit hominemque induerit, sed quia voluntatem Patris faciens passus est.

Demonstratam itaque tibi et declaratam, cum verbo, tum exemplo Christi virtutem, considera, qua ratione, studio et fervore exercueris.

Colloquium conficies ex dolore defectuum obedientiae et propositis eam posthac fideliter adimplendi.

1 Pater noster, 1 Ave Maria.

^a “dabo” (BSV)

RECOLLECTIO IV DE OBEDIENTIA

1. De eadem virtute meditationem institue: expendendo sex illa puncta quibus vera obedientia suscipitur, perficiturque.

Primum est: **Unice**. Circa quod te examina, an perfecte semper, ita nimirum, ut maior perfectio esse non posset, opera tibi ex obedientia iniuncta persolvebas, sine damno, optime, singulari cum industria, diligentia et accuratatione^b.

Secundum: **Dilecte**. Inquire ex te, si ex puro amore Dei et proximi obedientiaeque aestimatione, parebas tuis Superioribus, non aliquo alio respectu, spe scilicet laudis vanissimae aut recompensationis temporalis ex eoque motivo, quod voveris obedientiam.

Tertium: **Prompte**. Interrogabis conscientiam tuam, si ad parendum velociter assurgebas, sine multis iussibus, sine inculcationibus, sine stimulis. Nam repete memoria ad quid te votum obedientiae obligat; nempe: ut audito communi signo incaeptum apicem literae relinuas. Cogita num hoc aliquando feceris, quod quidem ad perfectionem et coronam obedientiae a te iure exigitur.

2. Reliqua puncta obedientiae expende:

Atque primum: si **constanter** obedientiam exequeris, nec ab incepta, ullo vel taedio, vel languore, vel cacodaemonis inspiratione victus, discedebas, aut quavis alia illegitima ratione a parendo seducebare; si murmurationes tibi obvenientes opprimebas, nec te ab iis permittebas superari.

Secundum punctum ad obediendum pertinens inspice: **fortiter**, id est si animum tuum ad gravia et difficilia admovebas, et quidem libentius, quae tibi ex obedientia iniungebantur, neque unquam abhorrebas et excusabas te a duris obeundis, non habita ulla causa principaliori repugnandi et resistendi spiritui obedientiae.

Denique id ultimum expedito, si **fideliter** in caeptis huius virtutis exercitiis hactenus perseverasti et perstitisti. Cui an deditus fueris, tuum non est explorare et cognoscere; defectus tamen conicere potes et omnino debes inquirere, [**f.163r**] corrigere, deplorare, supplere.

3. Cogita felices esse animas illas, quae obedientiae suavissimum iugum suaviter amplectuntur. Obedire enim est alienis plumis volare, alienis humeris insistere, alienis manibus gestari: hoc est in amoenissimo pacis internae paradiso semper spatari et delectari: hoc est caelum in hac mortali vita habere: hoc denique est passiones domare, virtutes comparare: quas reliquas obedientia, ut ait quidam, menti inserit insertasque custodit, custoditas coronat atque demum, obedire est angelum humana in carne esse verumque Christi Domini imitorem. Securissime insuper incedit, qui ductu alieno gressus figit, quod faciunt obedientes. Nullum periculum salutis concipere aut metuere potest, cuius conscientia alterius manu tenetur et geritur arbitrio: qua felicitate praestant obedientes.

Igitur dolebis de omni neglectu obedientiae sincero corde et illam exoptabis habere; per merita Virginis Obedientiae Mariae petes; ad imitationem obedientissimi Dei Filii, tui Domini ac Servatoris exercere propones.

1 Pater, et Ave.

RECOLLECTIO V DE VIRTUTE CASTITATIS

1. Angelicam hanc esse virtutem, imo plus quam angelicam meditaberis, respectu fragilis vasis, quo hic liquor pretiosissimus fragrantissimusque continetur. A te vero, non tantum adamatam, sed etiam iuramento promissam et non modo lege virtutis, sed etiam voti obligatione servandam esse castimoniam expendes et servari debuisse.

Et sicut prae reliquis castae Deo placent animae, ita immunditiae deditas ei displicere et magnam nauseam movere discures. Qualiter igitur huic voto satisfacisti, hic expendito.

2. Considera, quemvis mortalium, non tantum lege divina, sed etiam natura, obligari.

Te vero triplici ratione ad castitatem custodiendam induci, nimirum, praeter duas praecedentes leges, etiam voto adstringi, hinc quanto maius illius infringendi periculum fecisti, tanto gravius deliquisti; nam

sacrilegium commisisti: teque non aliter peccasse, ac Luciper[s]²² ad solium Dei aspirans, aut, si quispiam ex angelis rebellis Deo fieret, intelligito.

Quod si in hac virtute, non sis permissu divino tentatus, novis te indignum vel debilem esse, qui proberis. Aut profecto magna in gratia Numinis optimi atque providentissimi [?] existere ac proinde illi maximas gratias persolve.

3. Meditaberis, quae ad hanc virtutem spectant tuendam, an adhibuisti: si oculum tuum frenasti, si manum cohibuisti, si mentem mundam et puram fovisti, si molli vestitu, cibo, otio, qui praedones castitatis sunt, abstinuisti, si obscenam lectionem vitasti.

Quae omnia, licet procul a tua religiosa persona abesse debeant, nihilominus, cum legisti, audisti et modo discis, alios similibus ex causis in grave praecipitium corruisse, tu te de illis examinabis, quae in magnum periculum vocant castam mentem.

1 Pater, et Ave. [f.163v]

RECOLLECTIO VI DE EADEM VIRTUTE

1. Expendito omnes tuos cogitatus, si quando illi maculam cordi tuo non invexerunt. Nam in virtute castimoniae, gravissimum est etiam cogitationem immundam, non modo corde fovere, sed vel modo aliquo mente suscipere, quae ita enecat animam, quemadmodum omnis actus impurus.

Huc etiam pertinet, ut expendas, qua ratione sensus tuos, omni boni malique in animam vectores: oculos, auditum, quasi quoddam succinum, quaevis sibi admota suscipiente; tactum, venenosum colubrum; gustum, puritatis non postremum hostem odoratumque, eiusdem castae mentis periculosum obicem, custodiveris habuerisque.

²² a verbo in usu Polono populari: "Lucyfer", cuius exemplum datur: "To jest wóz Anielski. Na nim to przed czasy - Jechał Lucyfer, Boga gdy wzywał w zapasy" (A. Mickiewicz, "Pan Tadeusz", 8, 81-82). Cf. Wł. Kopaliński, "Słownik Mitów i Tradycji Kultury", s. 613, s.v. "Lucyfer".

Non enim te latuit quantum Davidi emissicius oculus nocuerit²³. Non te fugit, quo gustus Matrem humani generis perduxit²⁴. Non praeterit, quanti ob incustoditas aures paenis tartareis excruciantur, quanti ob incontinentem manum damnati sunt, quam multos nociva odoratus delectatio ad faetidum orci carcerem detrusit.

Haec, tu, expende et fidelem examinatorem tuae conscientiae, cum poenitentiae tempus adest, age.

2. In caepto filo perge, mente discurrens, peccata et defectus castitatem contra et humana negligentia et permissione divina patrari.

Negligentia hominis patrantur, ^a cum parva parvi pendit: quod periculosissimum in hoc passu est. Nam, qui spernit, ut ait Sapiens, modica, paulatim decidet ad maiora²⁵. Modica autem sunt, quae parvi penduntur, haec: cum nimirum lumen oculorum ubique figitur; parvis et primis daemonum incursibus non occurritur, neque generose resistitur; negligenter oratur; otio indulgetur; mens sine occupatione vagatur.

Permissione Dei caditur in hunc lapsum: propter superbiam quandoque levissimam, qualiter Eva lapsa est in paradiso victaque tentatione gulae, cum Dea esse vellet.

Et plurimi alii in dies labuntur: propter murmurationes, quae etiam populo Hebraeo idolomaniae causa fuerunt; propter nimiam confidentiam tentationi carnis resistendi in propriis viribus positam: qua ratione plerique delinquant, quos iuste gratia Dei deserit confidentes in semetipsis propter inobedientiam, quale illud legitur de monacho, qui filium inobedientiae ad caenobium ex saeculo tulit; ac denique ob torporem et desidiam dicente Domino: cum sis tepidus incipiam te evomere²⁶, quod est gratias auferre.

^a in ms. ob inadvertentiam erronee et inutiliter, uti videtur, hic repetuntur verba: “et permissione divina patrari”

²³ Cf. 2 Reg 11, 1 - 12, 23.

²⁴ Cf. Gen 3, 1-24.

²⁵ Cf. Eccli 19, 1.

²⁶ Cf. Apoc 3, 16.

Qui enim se praefert, vel mente sola, alteri, gravem lapsum struit ipsimet, qui suae prudentiae, circumspeditioni, cautelae confidit, desertus a divina [ope ?] facile corrui, dictum quippe est: “In Domino^a confido, non erubescam” [Ps 24, 2]. Porro inobedientes semper carnis lapsus sequitur, ad quem cavendum media ordinata inobedientia rumpuntur. De torpore, sive tepore christianus vates canit: “Animi tepor improba pestis: Non intellecto vulnera dente facit”²⁷.

His, tu, consideratis carnalis delicti occasionibus et causis, vide, an aliqua harum tibi non dominetur et emenda.

3. Non abs tua^b utilitate, pro comparanda contritione et studio huius virtutis, erit, si ignem gehennae expendas, qui praecipue incontinentibus comparatus est. “Quantum” quisque “^cse glorificaverit^c, et in deliciis fuit” (ait Apocalypticus vates) “tantum date illi [f.164r] tormentum et luctum” [Apoc 18, 7].

Quod religiosus ille Imitator Christi explicans copiosius: “Quid aliud”, inquit, “^dille ignis^d infernalis^e devorabit, nisi peccata tua?” (ac praesertim carnalia) “Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, et carnem sequeris: tanto durius postea lues, et maiorem materiam comburendi reservas”. Atque idem infra: “Ibi”, ait, scilicet in inferno, “luxuriosi et voluptatum amatores ardenti pice, et faetido sulphure exurentur^f: et sicut furiosi canes prae dolore iniuriosi^g ululabunt”²⁸.

Ergo has poenas, hos cruciatus expendens, cave tibi totis viribus ab impuritate, qua nihil citius tormentis infernalibus punitur, nihil citius condemnatur. Neque cogita, te a Deo, vel ope Beatae Virginis, vel alicuius Divi tutelarum patrocinio post mortem inferni ad poenas carni insolentissimae designatas non detrusum iri, nisi te ipsum praeservaveris ab iis, vitando viam Stygiam, pro praeteritis satisfaciendo et futura fugiendo.

I Pater, et Ave.

a “te” (BSV) b in ms. inutiliter irrepit hic verbum “voluntate” c-c “glorificavit se” (BSV) d-d “ignis ille” (ICK) e om. “infernalis” (ICK) f “perfundentur” (ICK) g “invidiosi” (ICK)

²⁷ *Verba non verificata, quia nescitur quis sit iste “christianus vates”.*

²⁸ THOMAS à KEMPIS, “*De imitatione Christi*” (ICK), pp. 82-83 (l. I, c. 24, “” 8-9. 12). N.B.: *Idem textus exstat in editione ICK: Warszawa 1981.*

R E C O L L E C T I O VII
DE VIRTUTE PAUPERTATIS

1. Circa hanc virtutem diligentissima tibi meditatio instituenda est. Sicut enim cupiditas et amor habendi occultissimus est, ita cum maxima attentione inquirendus, explorandus fugandusque. Hinc ex te indaga, utrum alicui, etiam licite possessarum rerum affectus tuus non adhaereat?

Quemadmodum enim pluribus quibusdam magna et multa licite habere minime nocet, ita e converso tibi plurimum obfuerit, etiam vel minima affectuose appetere vel retinere. Multis est decorum multa possidere^a; tibi religioso paupertatis voto obstricto etiam necessariarum rerum, etiam vestis, qua induere, appetitus refrenandus et reprehendendus est.

Iam vero illa, quae clarissime vides te contra paupertatem possidere, cogita nihil aliud esse, quam colubros, citissimum tibi, tuae Religioni, exitium allaturos ideoque illa extemplo abs te abice et e tuo cubiculo elimina, ne illis pretiosissima paupertatis evangelicae gemma vilis fiat et nitidissimus eius candor obfuscetur.

2. Expende, ad aliquamne rem singularem affectum habuisti eamque non nisi cum quapiam tristitia et animi turbatione relinquere aut amittere potueris? quod utique gravius ac peius est, quam totum mundum cum resignatione tenere.

Examina etiam te, num alteri paupertatis violandae aut flocci aestimandae, causa fueris, ei aliquid contra illam, ut teneret permittendo, aut procurando, ut permetteretur et vel levissimas res sacrae paupertati dissonas in Religionem aut domum inferendo; tum si aliqua coram Superiore tuo occultaveris, quae licite sane tenere possis eaque quae tibi ab aliis fuerint oblata, non dederis in communem usum, seu, ut iis ipsemet potuisses uti, vehementer cum molestiaque et acerbitate Superioris, institeris.

Certe cogita, quod, cum nudus egressus es de terra, nudum etiam in terram te regressurum. Nudus pro te Christus, relicto caelo, in stabulo natus

^a in ms. ob inadvertentiam erronee: "possedisti"

est, ut tu eum hac in nuditate imitareris nihilque habendo omnia haberes, iuxta illud: “Monachus, sive religiosus nudus, totius mundi Dominus”²⁹.

3. Gratulari tibi debes quam maxime, te a Deo ad felicissimum paupertatis statum et votum [f.164v] eiusdem praestantissimum evocatum esse, utpote, qui inde summam pacem nanciscaris, quietem et laetitiam.

Nosti e contra, qualiter multorum thesaurorum possessores torqueantur, quos vel summo labore coacervant, coacervatos ingenti cura, timore, vigilantia custodiunt, custoditos si amiserint, summopere cruciantur et quandoque manus sibi idcirco inferunt. Quid? quod una cum opibus Deum Summum Bonum possidere nequeant. Nam nemo potest servire Deo et mammonae³⁰: et nemo venire post Iesum apprehendereque Iesum, nisi vadat et vendat omnia³¹.

Insuper divitibus difficillimum ad vitam immortalem ingressum patere vel sola Veritas verissime testata inquit: “Facilius est ingredi^a camelum per foramen acus ^b, quam divitem ^cin caelum^c” [Mt 19, 24]. Contra eadem loquitur, pauperes haeredes esse immortalium opum ostendens: “Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum” [Mt 5, 3].

I Pater, et Ave.

R E C O L L E C T I O VIII DE EADEM VIRTUTE

1. Considerabis a te strictam Deo referendam rationem omnium virtutum ac praesertim paupertatis. Hanc enim ille magis prae reliquis dilexit, hanc in evangelicis suis maxime commendavit consiliis et praeceptis: cum sine pera et baculo Apostolos incedere iussit³² illosque, qui post se venire vellent, saeculo, amicis, divitiis et omnibus nuntium [re]mittere

^a om. “ingredi” (BSV) ^b add. “transire” (BSV) ^{c-c} “intrare in regnum caelorum” (BSV)

²⁹ Cf. supra, p. 333, no. 89.

³⁰ Cf. Mt 6, 24.

³¹ Cf. Mt 19, 21.

³² Cf. Mt 10, 10; Lc 9, 3, ubi tamen loco “baculus” legitur “virga”.

voluit³³. Quam, tu, doctrinam et persuasionem Servatoris secutus, exinanivisti te propter eum, saeculum saeculique bona et saeculares parentes abnegans, deserens, fugiens.

Quamobrem turpe et abominandum esset, si nunc ea aut sane viliora iisdem appeteres quae generoso et plus quam heroico animo ob amorem ipsius Numinis, non alicuius amici, contempsisti et abiecisti. Ergo nunc a [te] exige rationem **affectus** primo tui, utrum hunc, etiam rebus tibi ad usum concessis non implicaveris.

Secundo, **desiderii**: si non desiderasti ea, quae alter Superiorum nutu tenuit; vel cum aliqua deiectione, non dicam murmuratione aut dolore, res amissas, vel tibi acceptas dimisisti.

Tertio, **voluntatis**: an tibi animus erat, illa, quae contra paupertatem in Constitutionibus, aut iure ecclesiastico specificata declarataque sunt acquirendi et habendi, aut alios cum posses et tenereris, amore pauperrimi pro te facti Christi, concipies et omnem abs te habendi cupiditatem ablegabis.

2. Considerabis ea, quae ad munditiam in paupertate conservandam spectant: utrum nimirum cubiculum, habitum aliaque mundissima teneris, memor illius Divi effati: paupertas mihi semper placuit, sed munda³⁴.

Tum, si cibos exquisitos et aliis non communes, nulla necessitatis causa, sed gulae tantum inflammandae ratione tibi curari voluisti, aut communes non suaviter et cum quodam fastidio sumpsisti.

Denique si libellos, quamvis pios mera ex curiositate tibi multiplicari intendisti iisque cubiculum implesti atque non semper, perfectius et altius ad sublimem paupertatis [**f.165r**] gradum ascendere conatus es.

Hac facta recollectione dolebis te perstitisse in aliquo horum defectuum constituesque seriam abhinc colere paupertatem.

³³ Cf. Mt 19, 21; Lc 14, 26. 33.

³⁴ *Nescitur a quo Divo hoc effatum provenit, nec ubi invenitur. Notum est tamen nobis quod S. Iosephus Calasantius in suis Constitutionibus praescribit, ut in vestibus Piaristarum "simul cum paupertate eniteat munditia", "ut vestium paupertatem munditia decorare curent" (Const.S.P., Pars II, cap. VI, nn. I. V). Cf. NV, cap.IV, n. 4, ubi de vestibus Marianorum: "in quibus mundities summa procuretur. Sordida enim Paupertas nemini placere queat".*

3. In eadem virtute expendenda persiste, quam magni eam exemplo Christi Patres sancti fecere, partim ex eo, quod nullis terrenis animus implicatus, superna exactius contempletur cupiat, apprehendat, partim eam ob causam, quod transeuntium rerum contemptores, in omni se virtute integros conservent et quaeque ardua magno animo aggrediantur, conficiant, absolvant.

Propterea summa Sapientia Christus pauperes Apostolos elegit, quod facilius per eos, quam per divites opum avidissimos mundum esset conversurus et quia soli Spiritui, tam hos, quam alios fideles vacare volebat, hanc eos virtutem non vilipendendam docuit, colendam monstravit, servandam praecepit.

Hinc etiam factum est, quod in orbem venturus, pauperes parentes sibi elegerit, superbiorum et divitum Pharisaeorum conversationem, praeter quam salutis causa vitavit, eo quod essent magistri avaritiae, non charitatis, mercenarii, non veri pastores.

Demum horrendum Iudae praecipitium expendes, non aliunde ortum fuisse, quam ex avaritia paupertatis hoste; qua ductus suum, etiam Magistrum, Dominum, Redemptorem Conditorumque tam vili et exiguo pretio vendidit.

Colloquium compinges ex affectibus cum paupere Iesu et Maria^a tractatis et generosa proposita paupertatis eliciens, petes potius a morte comprehendere, quam a pessimo habendi appetendique desiderio.

I Pater, et Ave.

R E C O L L E C T I O IX D E C H A R I T A T E

1. Illa nunc tibi virtus consideranda, qua omnis creatura condita est; orbis caelumque stetit: homo fabricatus fuit; Deus-Homo factus et impassibilis in passibili corpore passus trucidatusque; immortalis, pro te mortem, non ut Deus, sed uti homo oppetiit; qua lumen caeleste, Magister Veritatis et omnis scientiae Spiritus in Apostolos aliosque discipulorum detractus caelo est; qua e diversissimis nationum populis, veluti membris,

unum corpus Ecclesiae Dei compactum est, utque tot sacri coetus, Congregationes Religionesque in uno spiritu et amore unius Numinis coalescentes vivunt unicissime.

Illam virtutem a te expendendam, quae tumultus tollit, bella fugat, pacem generat, leges amat, proximum diligit, hostem complectitur, omnibus bene vult, omnibus bene facit.

In hac igitur qualiter te, quanto studio, constantia, perseverantia, virtute exercueris, meditare et eius opera apud te inquire, e manibus tuis exige, quae sunt:

Deum supra omnia amare;

peccatum et imperfectionum quamlibet supra universa mala vitare;

proximo, cum possis succurrere; in communem utilitatem operari; vocationi respondere; semper perfectius vivere contendere;

neminem cogitatione, verbo, actu, suspitione, malo exemplo, laedendi, [f.165v] invertendi, inficiendi, ad perditionem ducendi, habere animum;

bonos iustosque amare; pro labentibus et malis Deum exorare; aegros invisere, ineruditos erudire, perversos corrigere, consilii egentibus et humana ope destitutis subvenire, captivos liberare, incarceratos adire, solari afflictos, comprimere nimium et improbe laetos; aliis facere, quod nobis fieri volumus, quod vero ipsi abominamur et vitamus, aliis non exoptare, nec imponere.

Quae multae charitatis excellentissimae actiones, quam rarum te habuerunt sectatorem, operatorem!

2. Expende charitatis, quae versatur circa Deum, defectus, ut sunt: tepide in via perfectionis, quam amore Dei ingressus es, progredi; honorem illius non propagare; Religionem minuere; minorem perfectionem ex negligentia aut animi pusillanimitate, maiori relicta, amplecti; liberum aditum cordis, mansionem, dominium, obstaculis certis optimo supremoque Numini praecludere; in mundum aspirare iterum vel eum laudare, aut illo sola etiam cogitatione oblectari; peccatum quodcunque, seu gravius, seu minus et

^a in ms. erronee: "Marie"

levissimas imperfectiones earumque occasiones devitare, auferre, abscindere nolle. Quae omnia amoris divino adversantur maxime et infinitam Bonitatem infinite offendunt.

Circa charitatem proximi haec tibi consideranda sunt: num ira, murmuratio, indignatio, invidia, odium, suspicio, irreverentia, inclementia, immiseratio, diffidentia, perfidia, detractio, diffamatio ac praesertim mortuorum tibi non sunt dominatae? cum accusasti inique, cum inquiete tolerasti, cum turpiter traduxisti, stomachatus es impatienter, bonum gratulatus non es, felicitate non gaudebas, necessitati non aderas, miseriam non sublevabas, honorare contempsisti vel neglexisti, defectus non tolerasti aut pro iis Deum non exorasti; dona fortunae, Dei talenta, vel invidisti, vel carpsisti, detraxisti et oblatrasti famae, non tantum personarum, sed etiam earum operum indigne; verbum non servasti, in communi non laborasti atque gravi periculo salutis, quoquo modo, etiam per extrema media non liberasti.

3. Considera charitati adversum esse iniustam iniusti maeroris causam praebere, exempli causa: Superiores, aequales, aut minores quacunque invalida ratione affligere; totum corpus Religionis, Provinciae aut Domus, in qua degis, turbare et in aliquam tui causa sollicitudinem conicere; aut minus religiosa exemplarique vita ac moribus aliorum oculos offendere animosque et praestantissimum praetiosissimumque divinissimae virtutis vinculum violare, ne dicam rumpere.

Tum si tumultuum aliquorum origo, auctor, causa fuisti? si pacem et quietem internam, hoc est domesticam, vel externam, hoc est inter saeculares aut alterius status homines interrupisti; si actiones tuas omnium contentis animis, quantum in te gratiae atque industriae ad hoc situm fuit, non obivisti et damna communia tua pro tuis viribus dexteritateque non avertisti; Religionem ac Domum ubi existis iuxta talentorum a Deo vel natura acceptorum quantitatem qualitatemve ac primo Ecclesiam Domini non exornasti, promovisti, adiuvisti, cum iuste posses et deberes; vel si alios easdem promoventes etc. aut impedivisti, aut non eis opitulatus es.

Quae omnia multaue alia charitati repugnantia, quae tuae menti divinus Spiritus obiciet, expendens, plenissime pro deprehensis in te dolebis, satisfactionem [f.166r] propones et sanctae charitatis exercitia renovare constitues.

In colloquio summo cum amore iuxta dictamen mentis, Deo perfrueris et cordis affectibus in amoris impetum fraena laxabis utriusque charitatis actum eliciens.

R E C O L L E C T I O X D E E A D E M V I R T U T E

1. Expende illa divi Pauli verba: “Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, [...] nihil sum” [1 Cor 13, 1-2], quibus doceris: hominem sine charitate, religiosum sine amore, esse umbram sine sole, corpus sine anima; imo nihil. Quod anima in corpore, hoc charitas in Ecclesia, Religionibus Domibusque Religiosorum est. Recte vero quidam in huius commendationem virtutis dixit: “Tolle solem de mundo, et omnia sustulisti: tolle charitatem ab homine, et nihil reliquisti”³⁵.

Anima, lux, vita Religionum et cuiusvis coetus mortalium charitas est ac proinde, qui charitatem violat, vitam violare, lucem extinguere, animam exanimare videtur. Hinc fieri, quod, in uno membro caesa charitate, totum simul corpus offendatur. Sicut videre est in humano corpore, cuius, si unicum digitum, ferro venenato sauciatum fuerit, per totam manum virus paulatim serpens universum corpus occupabit omnesque artus unius membri vulnus sentient. Per charitatem unum corpus Religionis, e singulis religiosis personis, tanquam membris, constituitur, hoc est: Superiores, Aequales Inferioresve.

Contrarium autem charitati est odium: odium omni veneno magis venenosum, omni pestilentia magis pestilentum. De quo vitando severe nos Christus admonens. “^aCum accedis^a ad altare”, inquit, “[.....]: depone^b ibi munus tuum [.....], et vade ^c reconciliare^d fratri tuo” [Mt 5, 24].

a-a “*Si ergo offers munus tuum*” (BSV) b “*relinque*”(BSV)

c *add. “prius”* (BSV) d “*reconciliari*” (BSV)

³⁵ *Ignotus est nobis is, qui hoc modo charitatem commendavit, ideo non potui verificare verba hic allegata. Cf. NV, cap. II, “ 4: “Cogitet quisque animam esse Instituti sui charitatem, a qua quantum recederet, tantum a vita”.*

O quam hoc iustissime rectissimeque Servator praecipit! Qui enim non habet amorem proximi indignus est amore Dei, ex quo provenit, ut Deus nobis reconcilietur, bene faciat, misericors sit. Igitur quidquid contra hanc praestantissimam praeclarissimamque virtutem mali egisti, quidquid noxae vel levissimae patraisti, quam primum expiatio. Et pro certo teneas neminem posse invenire viam ad caelestem regionem et haereditatem, quem non ducat comiteturque charitas: quia via illa portaque sidereae mansionis a Charitate nempe Christo inventa aperta est.

2. Quae incommoda adferat violata charitas, quibus bonis nos spoliet, serio expende.

Horrendum illud exemplum de Sappricio Sacerdote rem te doceat. Qui cum nollet reconciliari Subdiacono Nicephoro et palmam Martyrii, ad quam plurimi tanto labore studioque arripiendam mortalium contendunt, e manibus dimisit et in idolomaniam consensit, lapsus est, Servatorem abnegavit.

Eheu! ipso in portu naufragium fecit! quia velum, quo sua navis, id est anima, vehebatur ac propellebatur, charitatis rupit! funem amisit, quo cymbam littori erat alligaturus!

Subtraxit ei Dominus donum gratiamque in tormentis perseverandi, nam propter Dominum servo, propter Parentem Fratri ignoscendi exuerat affectum et quidem Fratri tam pio atque humillimo veniam negavit offensamque insimulatam renuit condonavisse, qui illum suppliciter cum multa lachrymarum vi [f.166v] deprecatus est³⁶.

³⁶ Cf. SAUGET Joseph-Marie, art. "Niceforo, santo, martire di Antiochia" : BS IX, col. 870-871: "È proprio ad Antiochia, infatti, che si svolge,[...] l'episodio narrato dalla passio. Niceforo aveva un amico, il prete Sappricio, che, per malvagità del demonio, mutò in odio la sua amicizia per lui. Al sopraggiungere della persecuzione, Sappricio fu arrestato e sottoposto a tormenti. Una prima volta Niceforo, attraverso un intermediario, gli fece chiedere la riconciliazione, ma il prete rifiutò. Quando questi fu condotto al supplizio, Niceforo si recò lui stesso a gettarsi ai piedi di colui che doveva essere martirizzato, ma Sappricio fu ancora una volta irremovibile, rifiutandosi di applicare il precetto del perdono dei nemici. La punizione non doveva farsi attendere, prendendo una piega più che vergognosa per lui. Sappricio, infatti, privato dell'aiuto di Dio, non ebbe il coraggio di affrontare il supplizio finale e supplicò i carnefici di lasciarlo libero con la promessa che avrebbe sacrificato agli dei. Niceforo che assisteva alla scena si presentò lui stesso ai carnefici confessando la sua fede in Cristo e morì decapitato".

Quis divinare potest, num et tibi gratiae illae ultimae, quae carinam tuam, animam inquam, quasi placidissimi zephyri, ad portum felicissimae aeternitatis appulsurae sunt, ni velum ruptum charitatis oppido resarcias, non subtrahentur?

3. Non errabis, si consideraveris illum, qui charitate praeditus non est, nulla virtute praeditum esse. Inanis est doctrina et infructuosa, quam charitas non dispensat. Falsa et inutilis obedientia, quae non ex charitate suscipitur et perficitur. Vana et fraudulenta humilitas, cui odium annexum est. Futilis et inflata castitas, quae comite et tutore amore sancto caret. Scelestas et nefarias paupertas, quae non ex amore colitur. Vitiosa mansuetudo, quae amore non generatur. Rigida omnis perfectio, virtus, actio, quam amor non calefacit.

Ad haec impossibile esse aliquid heroici operis per nos posse confici sine charitate expendes. Indeque evenire considerabis, quod multi manum ab aratro amoveant, in media perfectionis via deficient, turpiter a laboribus piis discedant, quia illis charitas non adest, non eos excitat, non fovet, non roborat.

Non dubito asserere, nec Servatorem nostrum optimum, maximum opus salutis humanae perfecturum fuisse, sine charitate. Imo sic se res habet: quod enim ex charitatis motu maximo suscepit, id qua ratione absque eadem virtute perficere potuisset? quidquid ille pro nostra vita fecit, sustinuit, tolleravit, istud totum charitati adscribendum est, quae istud sola operata est.

O excellentissimam virtutum principem et perfectionis magistram, charitatem! Tu, o sancta charitas, calor aeternae, flamma salutaris, sustentatrix animarum, pacis mater, populorum animorumque vinculum, spiritus nostri cum Deo unitrix.

Tu, nunquam in corde meo, tam erga Deum, summam Bonitatem, quam erga proximum, deficias et extinguaris, adsis mihi comes ubique, in omni cogitatione, proposito, intentione actioneque mea³⁷: non abscedas a me in aeternum. Abscedant scientiae, prophetiae, oracula, sed tu me non deseras: tecum sedes illas Beatorum regnumque charitatis ingrediar, ex quo divinam Prolem, o potentissima virtutum, in mundi regnum detraxisti. Amen.

³⁷ Cf. *NV*, cap. II, “ 3.

R E C O L L E C T I O X I D E R E L I G I O S A H U M I L I T A T E

1. Considera propriam et quodam modo genuinam cuiusvis Religiosi esse virtutem, humilitatem et prout te sancti Patris nostri docet instructio³⁸, tuae summam, tam professionis, quam perfectio-nis extare. Supra cuius exercitium nunc tuus recolligendus animus tibi est.

1) Itaque cogita humilitatis esse, omnibus sese creaturis inferiorem abiectioremque non ficte, sed vere censere, sicut e converso superbiae est, omnibus velle praeponi.

2) Humilioris animi indicia esse: vilioribus exercitiis occupari, contemptibilia quaeque sectari: honores fugere, laudes proprias vel vitare, vel in solum Deum transferre; contemptus appetere, nec unquam se velle cognoscere, quod aliquid ex humilitate peragas; aut pro humili velle haberi, sed eniti potius, ut illa, quae alii a te dici vel agi ex humilitate iudicant, non tuae humilitati, sed potius divinae dispositioni adscribantur.

3) Demissionis compendium consistere in aperto, candido, vero sinceroque animo, ac actibus [f.167r] similibus. Humilitas enim (docente ex sensu et revelatione divae Theresiae aliquo Doctorum) nihil aliud est, quam veritas³⁹. Nam, sive nos ex abiectioe vermes censemus, id verissimum est; sive dignos omni poena, afflictione, cruce pressuraque iudicamus, neque hoc a rei veritate discrepat: quippe, qui semel et simul in communi omnium Parente Deum offendimus, atque nostris maioribus sceleribus eundem laedimus, digni omnibus tormentis, aerumnis, cruciatibus, sumus.

³⁸ *Verba*: “sancti Patris nostri” *probabiliter attinent ad S. Iosephum Calasanctium* († 1648), cuius *Causa Beatificationis an. 1650 initium habuit et an. 1667 ad Introductionem, cum efficaci adiutorio e parte P. Papczyński, pervenit* (cf. *Positio*, pp. 72-74). Nil mirum quod ab auctore, olim Piarista, qui magnum affectum ad Ordinem Piaristarum retinuit, eius *Fundator adhuc “noster” vocatur. Instructionem de necessitate humilitatis pro progressu in perfectione religiosa S. Iosephus Calasanctius in litteris e die 13 iunii 1648 ad p. Ioannem Dominicum Franchi directis dedit* (cf. *EGC VIII, 434, n. 4557*).

³⁹ *TERESA de IESU, “Castellum Animae sive Septem Mansiones”, Mansio VI, cap. X: “Opera”, II/ 2, p. 285: “Deus summa sit veritas; humilitatis autem sit in veritate ambulare”. Nescitur quis sit “aliquis Doctorum” sic docens.*

In his si animam tuam exercitatum fuisse et esse advertis, summae a te gratiae Summo Bono referendae sunt aut saltem agenda. Sin secus tecum factum esse invenis, summopere dolendum tibi est, quod humillimum Servatorem tuum in sancta humilitatis virtute non contigerit tibi licueritque imitari. Nunc vero ab hac virtute, tanquam omnium aliarum virtutum fundamento, aedificium tuae perfectionis inchoare statue, ne in aere aedificans vel minimo superbiae, aut vanae gloriae flatu, deturberis, corruas, intereas.

[2]. Ut albo nigrum oppositum magis elucescat, in superbia expendenda mentem tuam defiges. Quomodo alta tuus animus iam in sacra Religione existentis appeteret, multo magis, cum in Babylois compitis, hoc est mundo, vagarere. Ubi quantum tumebas! quantum inflatus eras! qua arrogantia omnibus semper praeponi, nulli supponi, semper singulariter coli, nunquam despici, cupiebas. Modo vero, cum sis Religioni mancipatus, cogita, quos contemptus tulisti, si non potius ob ea, quae honori, reputationi autoritatique tuae adversabantur movebaris, stomachatus es. Quod si nullam tui demittendi deprimendique occasionem nactus sis, expende, quis et qualis fuisses, si in eam incidisses.

Ad haec contemplare iuxta Hugonis sententiam: superbiam esse elationem vitiosam, quae inferiores despiciens, Superioribus aequalibusque praeponi satagit et desiderat⁴⁰. Tam vero illa occulta est, ut aliquando minime advertas te illius vitio laborare.

Superbiae filiae sunt: vana gloria, turpis et inhonesta ambitio, honoris proprii amor, scientiae vanus, inutilis et inordinatus appetitus, cupere aliis esse eruditorem, maiori dignitate exornatum, acceptiorem, magis illis coli, reputari; aliorum consiliis stabilibus et saluberrimis non acquiescere, sentiis probabilioribus refragari, probabiles spernere iisque cum pertinacia invicta contradicere et repugnare non mediocris superbiae signum evidentissimum est.

⁴⁰ Cf. HUGO DE S. VICTORE, "De duplici superbia" (tit. CXXVII), in: "Opera omnia", III, Rothomagi 1648, pp. 138-139: "Duo sunt genera elationis. Alterum intus per superbiam, Alterum foris per typum elationis. Superbia enim intus est, iactantia foris. Superbia alia est, qua in sui consideratione animus intumescit, alia qua in sui comparatione caeteros despicit".

Huc pertinere scito: iactare suam doctrinam, sciolum se ostentare; lepore^a, iocis, salibus, alios explodere, vel se ipsum commendare.

O superbe mi homo, o erudite! o docte! esto Platonis Tulliique⁴¹ aemulus; esto sublimis subtilisque theologus; esto omnibus scientiis ac facultatibus artium instructissimus, num ideo iam pulvis, cinis, et ante hunc factor, horror, lutum, esse desines?

“Pulvis es”, (monet te tuus Conditor) “et in pulverem reverteris” [Gen 3, 19].

[3]. Considerabis, quoties oblatam exercendae humilitatis occasionem amisisti, quoties et quanta vi, cum posses cum honore et submissione tacuisse, nulla urgente necessitate, aliorum opiniones oppugnasti, tuam vero promovisti, ut aliquis haberere.

Neque inutile erit, si Domini tui hoc in orbe conversantis, expensas a te aliquando contemptus in mentem revoces, aut quantum inde profectum vel defectum habeas in humilitate, recolas.

Insuper quoties humilia exercitia, labores, functiones ex tui animi elatione, reiecasti, [f.167v] quae si amplexus fuisses, non exiguum tibi meritum comparasses. Ah! quid tecum tunc agebatur, cum se se tibi humiliandi animi occasio obiiceret! propter vanum tumorem et inflatae mentis arbitrium subicere te neglexisti vel recusasti et calcari multo tuo commodo noluisti. Nunc te meriti amissi piget et elata cogitatio torquet conscientiam.

Age igitur, si has in rupes altissimas Scyllasque periculosissimas⁴² hactenus incautus impegisti, cautius postmodum incede et humiliter repere proponas, ut cum humilitatis Magistro Iesu excelsa aliquando possideas, sapientior factus cum Davide occinente: “Antequam^b humiliarer ego deliqui” [Ps 118, 67].

^a in ms. “leporem”, quod nobis videtur haud cum contextu convenire

^b “Priusquam” (BSV)

⁴¹ Hoc nomine indicatur Tullius Cicero, eloquentiae Latinae princeps.

⁴² Cf. supra, p. 189, no.136.

R E C O L L E C T I O X I I D E E A D E M V I R T U T E

1. Considera omnium humilium Divorum exempla, ac praecipue^a humillimae Virginis Mariae Verbiq̄ue ex ea incarnati, quae te et ad hanc virtutem excitent et hactenus ipsius contemptorem confundant.

Primo igitur contemplatione profunda apprehende, Dei Filium, ut te simul verbo, simul exemplo humilitatem instrueret, e sinu amplissimaque regia aeterni Patris in unius mortalis virgunculae uterum (quae tamen caelum esse Dei Filio visa est) delapsus esse et in ipso hoc virginali utero hanc sanctiorem Sapientiam in demissa mente et contemptu vanae huius mundi sapientum doctrinae consistentem docere incepisse.

Cuius totius doctrinae hoc brevissimum compendium est: “Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde” [Mt 11, 29]. Partus vero illius in stabulo, fuga in Aegyptum, tentatio in solitudine, persecutio Hebraeorum, lotio pedum in caenaculo, tristitia in horto, vincula, alapae, carcer, verbera, irrisio apud Herodem, coronatio apud Pilatum, baiulatio crucis probrosissima, infamissima et ignominiosissima mors et reliqua innumera, nonne^b summae humilitatis apertissima clarissimaque doctrina, utpote practica, fuit?

Mater vero sua pudicissima et humillima indignam se maternitate caelesti iudicat et proclamat. Elisabethae[s] a se visitatae famulatur. Tanquam impura permittit se, immo petit, purificari. Filium dilectissimum ad mortem sequitur; sustinet dolores plane lethales ut patiens, sed opprobria contumeliasque inauditas, ut humilis; commendari se discipulo et mulierem appellari semper virgo (quanquam hoc inviolatae ipsius virginitati minime derogat) gaudet.

Quae maximam humilitatem ac plane divinam declarant; sine qua, nec virginitas ipsius, audente asserere mellifluo Bernardo, Deo placuisset⁴³.

Sanctorum autem vix numerandorum quis demissionem verbis explicet

^a in ms. erronee: “praecipuae”

^b in ms. erronee: “non nae”

⁴³ Cf. BERNARDUS, “De Laudibus Virginis Matris” (Super “Missus est” Homiliae), hom. I, “5 : PL 183, col. 59 (n. 735): “Potest, inquam, placere humilitas, quae virginitatem deplorat amissam; sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariae placuisset. “Super quem”, inquit, “requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum” (Is 26, 2) [...]”.

atque mente comprehendat? Quorum plerique regalibus sceptris abiectis, nobilissimis ceris, amicis, consanguineis, opibus et fama nominis celebratissimis ac toto denique spreto mundo, arduam crucis ac ignominiosam (ut filii saeculi rentur) humilitatis viam Magistro Humilitatis insistentes, ingressi sunt in pal[a]estraque demissionis usque ad ultimum vitae praesentis momentum sese exercuerunt.

Quae, tu, expendens, num audebis elevari? num elatarum cogitationum inani vento inflari? num tales humilitatis auctores et amatores imitari [f.168r] negliges, quorum gloriae immortalis consequendae et possidendae, utique te desiderio sentis inardescere?

2. Expende, alicubi aliquem Doctorum summum scriptum reliquisse, virginittatis damnum sola humilitate resarciri et iacturam castimoniae demissione compensari, licet illius violatus flos nunquam revirescat⁴⁴.

Quod te doceat Maria e Solymis⁴⁵ una, ex Aegypto altera⁴⁶, quae virgineae thesauro amisso integritatis, sola humilitate ad sponsi immortalis amorem et gratiam pervenerunt; doceat et memoratus Doctor, qui inter mortales humilitate recuperavit, quod elatione amiserat⁴⁷.

^a in ms. erronee: "tristritiae"

⁴⁴ In margine uti "aliquis Doctorum" indicatur "S. Aug[ustinus]", sine tamen titulo "summi scripti" ex quo allegatio procedit.

Cf. AUGUSTINUS, "De Sancta Virginitate", " 50: "...subrepunt quodam modo ex humana fragilitate peccata [...]: a sacerdote autem quem habemus in coelis, si pia humilitate perimantur, tota facilitate purgantur": "Opera omnia", Parisiis 1842, 329.

⁴⁵ Evidenter sic nominatur soror Lazari, Maria e Betania, quia erat pagus vicinus Hierosolymae. Ista Maria in liturgia Latina identificatur cum Maria Magdalena, de qua Dominus eiecit septem daemonia et cum muliere anonyma Peccatrice (cf. Lc 7, 37).

⁴⁶ S. Maria Aegyptiaca, ca 430, "a dodici anni era fuggita dalla casa paterna per condurre a suo agio ad Alessandria la vita di peccato [...]. Per diciassette anni visse in questo stato. [...] A Gerusalemme "avendo vista un'immagine della Theotòkos, ella si mise in ginocchio e la supplicò, toccata da una grazia di conversione, di liberarla [...], di indicarle la via della penitenza che ormai avrebbe dovuto seguire [...]". Ita sec. SAUGET Joseph-Marie, "Maria Egziaca, santa", in: BS VIII, col. 981ss.

⁴⁷ Cf. AUGUSTINUS, "Confessiones", Ratisbonae 1926, pp. 167-171 (Lib. IV, cap. 16). 316-317 (Lib. VII, cap. 18).

Illud quoque attenta mente circumspecte et trutinata, quod: Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam suam⁴⁸. Quocirca ad humilitatem toto studio incumbendum tibi est, si gratias Dei amissas recipere, concessas et possessas retinere aliasque novas acquirere concupiscas.

Solam demum humilitatem esse contemplare, quae nos ad caelitem mansionem subleuat, ab importuna et noxia tristitiae^a agitatione ac scrupulis periculosissimis, tentationibus gravissimis (dicente docenteque Florentino Flore divo Philippo Nerio) eliberat et emancipat⁴⁹.

Unde Antonio illi Magno technas laqueosque cacodaemonum ad bonorum mortalium capiendas animas tensos et mille alia pericula ob oculos habenti, atque cum tremore, a quo haec superanda sint, inquirenti, responsum divinitus datum est: ab humili ea omnia retia et salutis discrimina superari posse⁵⁰.

Demum religiosum sine humilitate, quasi domum sine fundamento esse: illa vero praeditum instar optimae munitionis ac firmissima in petra fundati aedificii, existere, facillime tibi persuasurus es.

Quod cum ita se habeat, dolendum est tibi perquam maxime, quod hanc praestantissimam virtutum, nondum tibi comparaveris et nunquam, aut certe rarissime, idque cum animi superbientis angore, exercueris. Atque num posthac eam quam primum comparare et assiduo exercere, tanta illius vi, praestantia dignitateque ac utilitate expensa, remissius contendes?

[3]. Proposita elicias humilitatis exercendae. Quae ut dictum est, in silentio servando, doctrinae ostentatione vitanda, viliori habitu gestando, vilioribus muniis obeundis, promptissima cuique subiectione exhibenda sita esse censetur. Atque etiam in hoc collocata, ut te inferno dignissimum ob tua scelera, non ore tantum, sed etiam rationibus, ostendas; maximis doloribus, molestiis angoribusque opprimendum censeas.

⁴⁸ Cf. *Iac* 4, 6; *1 Pet* 5, 5.

⁴⁹ Cf. GASBARRI Carlo, "Filippo Neri nella testimonianza dei contemporanei", Roma 1974, pp. 24-71 (cap. II-III).

⁵⁰ *Talis responsi divinitus s. Antonio Magno dati non potui invenire praecisam verificationem in "Vita s. Antonii" a s. Athanasio scripta. Humilitas est ibi enumerata inter alia media daemones fugandi: "Timent sane[daemones] illi ascetarum ieiunia, vigiliis, orationes, mansuetudinem, tranquillitatem,[...] humilitatem, pauperum amorem [...]" : PG 26, col. 890 (§ 50).*

Ea caveas agere, quibus alii commoventur; agas, quibus oblectantur, modo vitia non sint. Pro peccatoribus aliis dignum te iudices poena subeunda. Titulos sublimes, laudis voluptatem venerationemque, quantum fas est, fugias, nisi ita Deus disponat, ut haec, te non ambiente, tibi imponantur et exhibeantur, quae quidem etiam ex humilitate, ab invito sunt toleranda.

Erit prorsus quoque humilitatis summae, si talibus dando operam, te humilem esse nescias et penitus diffidas ac quid sit humilitas, ignarum simules, vel potius agnoscas et fatearis. Nam, quamvis haec recensita adimpleveris, nunquam tamen, ad eam perfectionem et apicem humilitatis perventurus es, quem Magister illius Christus attigit [f.168v] et occupavit, aut alii Divorum conscenderunt. Ut tamen tanquam discipulus ab eo non seiungaris, optabis saltem ea a te velle exerceri humilitatis officia et actus, quos ipse Salvator exercuit; vel ad minimum eos admiraberis, extolles et te, si omnium Divorum humilitatem habeas, nunquam minimam etiam partem humilitatis Christi imitari vel aequare posse, intelliges. Ac denique petes, ut te ille humilem efficiat, qui solus id facere potest: qui, “Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles” [Lc 1, 52].

R E C O L L E C T I O XIII DE MODESTIA

1. Expende, quod dicit Sapiens: “Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias” [Prov 6, 16]. Quae omnia sunt modestiae adversantia proveniuntque ex animi ac cordis dissolutione. Modestia quippe oculos frenat, immodestia dissolvit: quod David lapsus docet⁵¹.

Modestia linguam continet, immodestia laxat: ex quo, quanta et quae mala oriuntur, is tibi demonstrat, qui linguas omnium pessimorum pessimas affirmat⁵².

⁵¹ Cf. 2 Reg 11, 1-5.

⁵² Cf. Iac 3, 2-10.

Modestia manus complicat, immodestia exagitat: quae dissolutae, quorum et quantorum scelerum causa fiunt, quotidiana te docet experientia.

Modestia cordi dominatur illudque iuxta prudentiae regulas dirigit; immodestia effundit cor, unde quot imperfectionum origo patet, quivis sine oculis videt. Modestia gressibus leges praefigit, immodestia pedibus liberum passum^a permittit: at quot mortalium pedes duxerunt ad Orcum quis enumeret?

Modestia veritati amicissima, immodestia nutrix est mendacii, quod quanto odio Deus hominesque prosequuntur, nemo nescit; cum propter totius orbis salutem mendacium divinis literis prohibeatur.

Modestia sibimetipsi attendit, immodestia semper sese alienis immiscet et asserit malum pro bono, bonum pro malo tuetur: quod quantum nefas est! Modestia fraternam charitatem custodit, immodestia ut inquietissima lues omnia saepe conturbat, miscet et hoc quis approbet caelitem aut mortalium?

Circa quae tu, advertas in te diligentissime et trutina sollerti mente agnoscesque, omnia se ita habere, prout testatur sapientum Sapientissimus. Denique modestiam complecti et exercere propones, immodestiae vitium nocentissimum perniciosissimumque vitare ac evellere.

[2]. Expende modestiam esse vel custodem, vel nutricem virtutum, sive mavis dici moderatricem et quae ei plura, praeter iam recensita vitia contraria reperiantur:

1) Indisposita, potius incomposita corporis habitudo, ut brachiorum, aut alicuius partis corporis iactatio; tum loquendi modus clamorosus et acerbus atque levis. Ad hunc refer omnes sales indecentes, lepores, maledicta, murmurationes, mendacia, convitia, [f.169r] iurgia, contentiones, blasphemias, scurrilia, mordacia, inconditis iocis condita verba, calumnias, oblocutiones, detractiones diffamationesque. In oculis vero modestiae repugnant non solum evagatio et torvitas, sed etiam eidem adversatur, cum nimis deprimuntur et demittuntur et cum quadam continua lucta coercentur.

2) Irreverentia personarum, debitus quibus honor exhibendus est, tam maioribus, quam aequalibus inferioribusque, modestiae inimica est.

^a *in ms. erronee: "passim"*

3) In auditu haec fere modestiam destruunt: rumoribus se attentum praebere, aut eos seminare, sive hi saeculares et externi, sive domestici et interni sint, qui minus ad te pertinent summamque in spiritu generant distractionem, summum pariunt detrimentum; mundum redolentibus colloquiis, aut curiositatem aliquam spirantibus, aut alicuius famam lacerantibus accommodare aurem. Et pleraque alia sexcenta in auditu immodestiae vitia inveniuntur.

4) Cubicula aliena nullo negotio propter meram curiositatem, maxime vero non habita facultate, quae gravissima imperfectio est et res multo obnoxia, frequentare, ingredi, revidere, depraedari; labores alienos sine fructu aedificationis inspicere, iudicare, damnare; libros absque necessitate aperire, circumquaque volvere, pingere, rumpere, maculare; et demum non cavere minimis ab actibus quae dissolutionem important et designant atque nostrae perfectioni finem, saluti interitum machinantur, immodesti animi vestigia sunt.

Haec, tu, si in te deprehendis confundaris et considerans adolescentulis tantum, vel praetextatis pueris (imo neque his) levitatem esse condonandam, gravitatem posthac modestiamque religiosam, tibi convenientissimam virtutem maiore studio colendi propositum firmissimum emittas.

[3]. Considera beatissimam Virginem Mariam fuisse modestia insigni ipsumque Iesum perfectionis universae Magistrum adeo hac in virtute excelluisse, ut etiam in tormentis crudelissimis nullum immodestiae signum totaque vita sua ostenderet.

Iam vero qualis esse debeas in aliorum conventu et consessu, docuit te tum, cum ad Canenses nuptias invitatus, modestiae insigne exemplar spectatoribus convivis exhibuit, ubi minime Hymenaei^a exultantis laetitia motus est.

Haec, tu, itaque duo modestiae protypa^b Mariam et Iesum, ut debes, imitaberis. Insuper perpendito, plurima vitiorum esse occulta, immodestiam omnibus patere; atque, cum haec neminem lateat, plerisque scandalum^c affert gravissimum.

^a in ms. erronee: "Himaenei". Cf. SLL, s.v. "Hymenaeus", -i - Deus nuptiarum. Hic metonymice pro ipsis nuptiis usurpatur

^b in ms. minus recte: "protothypa" ^c in ms. erronee: "scandulum"

Denique disce ubi a te potissimum modestia servanda sit, hoc est, in quibus tui partibus: nempe in aspectu, motu, incessu, colloquio, praesertim inter saecularium hominum turbas, qui, cum humanorum

actuum intentionem explicare ignorent, ex minimis scandalum accipiunt ac patiuntur.

Caeterum, quidquid huic virtuti contrarium potes deprehendere, vita moresque tuos et vitam ad normam modestissimorum Divorum et tui Instituti, compone. Hoc autem fiet facillime, cum Deum tibi ubique adesse praesentem attentius considerabis: uti enim immodestia ereptae divinae praesentiae testis est luculentissimus, ita modestia eiusdem obtentae et acquisitae manifestissimum fuerit indicium. Nam qua ratione in prospectu regis nullus aulicorum quidquam immodesti ait vel agit, ea ratione in praesentia Domini sui Dei immortalis quid immodestiae [f.169v] committat Religiosus?

R E C O L L E C T I O X I V D E P R U D E N T I A

1. Considera prudentiam a Sapientia aeterna Christo inquam Domino suis alumnis diligentissime his verbis fuisse inculcatam: “Estote [.....] prudentes sicut serpentes” [Mt 10, 16]. Sed et ipsemet eam exercuit, cum a daemone tentatore, cum ab Hebraeis Pharisaeaque astutia circumveniretur.

Ad hanc etiam excitat^a Salomon sapientiae portentum: “Inclina”, inquit, “cor tuum ad cognoscendam prudentiam” [Prov 2, 2].

At cui magis necessariam prudentiam esse putas, quam tibi, qui extra plateas mundi egressus, te intra s[a]epta religionis, veluti intra paradisum abdidisti, ubi tuae beatitudini, integritati futuraeque gloriae antiquus semper serpens invidens, panso^b ore continuo tibi adstat, ut te deprehendat, comprehendat, devoret ac deglutiat?

Si hac virtute prudentiae primi parentes nostri usi fuissent, puta futurum fortassis fuisse, ut non laberentur, neque enim tam Eva incircumspecta calidissimo colubro, quam huic infortunatissimae incautus Adamus[s/]

^a in ms. erronee: “excitant”

^b in ms. “pando”, quod videtur esse erroneum

paruisset, aut dictis fallacibus aurem praeuisset. Ergo, cum te nepotem Adami agnoscas et quasi in Elysiis viretis⁵³ religiosa in Domo verseris, cautiorem circumspectioremque tibi animum et in omnibus vigilantissimum scito necessarium esse.

Ne a communi mortalium omnium inimico circumveniaris decipiarisque, qui se formas [?] transformat in omnes: ex Angelo Luciperi^a [s], Angelum se fingit lucis, sub boni specie malum offert, sub suavitate mellis amarissimum mel propinat et nullas non quaerit artes astusque, ut nos irretiat^b.

Quare non immerito monet Apostolus: “Vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite ^c in fide” [1 Pet 5, 8-9] et prudentia.

[2]. Considera in duobus maxime prudentia tibi opus esse: in bonis faciendis et evitandis malis. Prudenter fit bonum, cum illud recta praecedat intentio; cum ab eo laus propria et commodum abest, cum ad illud exequendum aequa media curantur; cum invicta constantia et fortitudine inchoatur atque perficitur; cum inter duo bona melius eligitur; cum, qua fieri possunt perfectione maxima actiones peraguntur et in iis perficiendis, neque nobis, neque ulli alii ex improvidentia molestia infertur.

Prudentia quoque mala subterfugiuntur, cum longo intervallo praeviduntur. Prudentia denique tentationibus vel non praebeamus aditum, vel ingressas et occupantes animum repente generoso spiritu et sapienti consilio excludimus, eicimus, exterminamus, neque unquam, ut nobis praevaleant, nisi Deo pro meliore nostro bono vel humiliatione disponente permittenteque, patimur.

^a cf. supra, p. 398, no. 22 ^b in ms. erronee: “irretiet” ^c add. “fortes” (BSV)

⁵³ *Elysi Campi – locus ubi animae beatorum habitant. Cf. PARADOWSKI Jan, “Mitologia”, pp. 156-157: “W tej rozkosznej krainie życie upływa na biesiadach, przechadzkach i zabawach. Miejsce biesiad leży na tzw. P o l u E l i z e j s k i m. Jest to prześliczna łąka, otoczona gęstym lasem przeróżnych drzew rzucających cień na biesiadników [...]. Dokoła sali biesiadnej stoją olbrzymie drzewa z najprzeźroczystszeo kryształu [...]”.*

[3]. Expendito Prudentiae actus:

1) Finem totius vitae, scilicet obsequium ac beneplacitum Dei caelestisque beatitudinis assecutionem mente inspicere et in omni actu ac quopiam [f.170r] negotio etiam virtutis finem intueri.

2) De mediis ad finem consequendum per divinas leges consultare; lucem a Deo ad eius voluntatem quavis in actione cognoscendam, petere precatationesque huius rei causa singulares instituere, necnon diligenti meditatione, consultatione consilioque aliorum omne opus praesertim magni momenti praevenire ac sibi ipsi diffidere.

3) De his, quae in consultationem allata sunt, iudicare et inutilia ab utilibus, a bonis mala, potiora a minoribus, considerato statu vocationeque propria, tum virtutum gratiarumque mensura, discernere.

4) Ea quae meliora sunt et fini ad quem tendimus congrua, praeeligere.

5) Voluntatem et caeteras animi vires, ad ea, quae electione acceptata sunt, opere exequenda, efficaciter, per imperium inflectere. “Vir” enim “sapiens,” (teste Sapiente) “fortis est: et vir doctus, robustus et validus” [Prov 24, 5]. Quamobrem, non solum recte iudicat et eligit, sed etiam quod iudicavit et elegit bonum, ad effectum constanter perducit.

6) Et ultimus fere prudentiae actus est: prudentiam mundi pro imprudentia sapientia[m]que eiusdem pro stultitia reputare et pedibus, ut aiunt, manibusque ad amorem Dei contendere, siquidem, iuxta memoratum Sapientem, “Vanitas vanitatum, [.....] et omnia vanitas” [Eccle 12, 8] stultitiaque est praeter amare Deum et illi soli servire⁵⁴.

Circa quae examen instituito et quidquid contra prudentiam deliquisti ac errasti, prudenter corrige, sin hi errores incorrigibiles sunt; imprudentiam tuam deplora et prudentius dehinc in via perfectionis procede. Ideo quippe lapsus permittuntur, ut cautius posthac gressus figantur.

⁵⁴ Cf. Deut 6, 13. 11, 1.

**RECOLLECTIO XV
DE RELIQUIS VIRTUTIBUS
AD RELIGIOSAM PERFECTIONEM FACIENTIBUS**

1. Animum tuum ad omnes virtutes, quas summo studio sectaturus, omni conatu quaesiturus, non ignaviter exerciturus eras, applica: omnesque, praesertim tuae vocationi et perfectioni congruentes, percurre mente et iudicio consideratissimo atque tam in defectus, quam in vitia illis contraria, animadvertite.

Qua diligentia multiloquium, virtutum et spiritus dissipatricem, vitavisti. Qua cura silentium, earundem virtutum ac spiritus congregatricem et custodem, custodivisti in eoque te exercuisti servando.

Benignitatem, mansuetudinem, clementiam, religiosi hominis maxima ornamenta, qualiter coluisti.

Patientiae christianorum, potiori iure religiosorum haereditariae virtuti, fortitudini, magnanimitati, contra adversantia perfectioni enitens, qua contentione studuisti. Pusillanimitatem vero, vanum timorem, inordinatam tristitiam, impatientiam ac furorem, qua animi vi superasti. Resignationem certissimam internae quietis ac perseverantiae parentem, quoties omis[is]ti, vel exercuisti.

An profecisti hactenus in religiosa perfectione, [f.170v] non secundum honorem, scientiam, dignitates, praestantiora officia, sed secundum paupertatem, humilitatem, obedientiam, Dei amorem, tui ipsius contemptum, atque alias virtutes, in quibus perfectio sita religiosi hominis est.

An in exercitiis spiritualibus, puta oratione, contemplatione, pro quantitate gratiarum Dei, progressus, aut retrogressus es, considera.

Quoniam iuxta decantatissimam spiritualium Doctorum sententiam: “Non proficere, deficere est; non progredi, regredi est”⁵⁵, quod quis quotidiana experientia edoctus, non sentiat?

⁵⁵ Cf. ROYO MARIN Antonio, “Teologia della perfezione cristiana”, p. 261: “Il famoso aforisma tante volte citato dai Padri: “In via Dei, non progredi est regredi” esprime in modo inequivocabile la necessità di andare sempre innanzi nel cammino della perfezione cristiana, sotto pena di tornare indietro e di compromettere la nostra salvezza eterna”.

[2]. Expende, cui nam rei tuo hoc in statu religioso deditus addictusque hoc intervallo magis fueras: mortificationibusne, an commoditatibus? Ad quam rem magis propensum gerebas animum: ad frangendam tuam voluntatem, an ad implendam? ad satisfaciendum aliorum, praecipue Superiorum, vel tuis desideriis?

Si tuis magis adhaerebas, falsum fuisse spiritum tuum tibi persuadeto; sin illis, optime te gubernatum fuisse non dubitato approbatamque vocationem tuam intelligito. Cui ut respondeas, recentes divini amoris fovendi et exercendarum virtutum scintillas easque minus amplas, celeri conatu et desiderio in his proficiendi atque ipso profectu, augeas et amplies. Senties, si tuo contemptui dederis operam, quam suavis sit Dominus. Experieris, si totum te mundo abstrahas, quam amarus sit mundus.

Quid enim gustus sentiunt, quid saporis, qui carnalia desideria, qui saeculi voluptates, qui Babylonios latices, non gustant, sed hauriunt? Brevem dulcedinem in iis attingunt libantque, pro qua tamen immensam in aeternarum amaritudinum abissum coniecti, heu! aeternum genio suo indulsisse dolebunt! nec labem delebunt!

Contra in cruce, tolerantia, mortificationibus, aerumnis, calamitatibus iniuriisque, ad Dei-Hominis imitationem toleratis, quantum suavitatis semper duraturae repositum est! in his nunquam terminandorum gaudiorum abundantiam, delicias perennes, sanctam et sempiternam voluptatem, crucis ac tribulationum amatores, reperiunt, quanquam post duram luctam certamenque cum mundo, styge, suis malis concupiscentiis.

Tibi utrumvis horum eligendi libera optio datur, quia liberum arbitrium, libera voluntas tibi est. Sed vide, quam prudentia, quonam lucro et quae-nam ex istis iam eligebas et electurus sis. Finis tibi omnium est spectandus: qui est duplicis generis mortalium duplex.

Delicatorum, honoris cupidorum, sine lege vitam hanc praesentem du-centium aeternae mortis paena, iuxta illud: “^aFinis eorum^a interitus” [Phil 3, 19]. Iustorum, mortificationibus omnigenis deditorum, obedientum et sub sacrae legis regularumque disciplina non absque perseverantia viventium, immortalis gloria, beatitas in visione Dei Supremi Boni infatigabili collocata et vita, morte fineque carens, finis est, iuxta illud: “Iustorum [.....]animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum” etc. [Sap 3, 1]

^{a-a} “quorum finis” (BSV)

[3]. Diligenter expende: quos fructus mortificationum tuae religiosae vitae spatio percepisti; quam utilitatem anima tua ex creberrima sanctissimorum Sacramentorum frequentatione continuoque virtutum exercitio, consecuta est; quantum e tam frequentibus sacris lectionibus, collationibus, colloquiis, conversationibus commodum salutis retulerit; quomodo tot piis discursibus, tot sanctis inspirationibus admonitionibusque ad bonum excitata et tanquam [f. 171r] calcaribus stimulata, in virtutum studio progressa est; quid tibi orationes, afflictationes corporis, consueta ieiunia, in Domo Dei mansio, emolumentum attulit.

Hic quoque conscientiam tuam examina de consumpto tempore, quod fugit irrevocabile, ad aeternitatis metam in dies approximas, portum illius brevi a te conscendendum credito. At quibus mercibus sacris eum ingredieris oneratus? Si illas gemmas non habueris virtutum, quae in regionibus excelsis magni aestimantur, censeo te non admissum iri ad littus excelsarum regionum.

Quod si id (superi avertant) contingeret, quo diverteres? In oceano mundi tua navis semper hiemare nequit, ripam illa quaerit petitque continuo: vel felicem ripam terrae promissionis, vel aeternae damnationis infelicem.

Colloquium hoc ex dolore defectuum, peccatorum omniumque imperfectionum ac detestatione, constabit. Tum ex propositis sanctis, generosis, immutabilibus exercendarum heroicarum virtutum conficietur; quibus seriam vitae totius emendationem adicies.

R E C O L L E C T I O XVI PRAEPARATIO AD SANCTISSIMAM COMMUNIONEM

1. Omnium superioribus recollectionibus expensorum hic recapitulationem facies et de quibusvis peccatis, culpis, negligentis, imperfectionibus, toto vitae tuae et status religiosi tempore ac praesertim ab ultima generali confessione hucusque a te commissis, in particulari universalique dolebis.

Dabisque operam, ut veram contritionem, quae ex amore Dei promanat, habeas: ut, videlicet, non ob metum poenarum infernalium, non ob caelestis gloriae amissionem, non ex alio humano naturalique motivo, sed ex puro omnipotentis^a Dei, optimi maximique Parentis amore te commissorum omissorumque poeniteat.

Quod illum, qui summe bonus, quem summo amore prosecuturus eras, offenderis; illum, qui ipsa Bonitas est, inexhausta atque infinita, infinitis malis et sceleribus exulceraris: ab illo ad inimicum suum transiveris, qui te fere ex nihilo, ex limo terrae, tam praestantem, tam inter alias res creatas nobilem ac excellentem, condidit, qui sanguinis praetiosissimi lytro redemit, qui e perenni tartarei hostis carcere in aeternam libertatem vindicavit, qui [de] summis ignorantiae tenebris in lucem fidei, per quam salus vitae immortalis in bonis et congruis fidei operibus acquiritur [eduxit “vocavit “], et ex Babylone meretricia, id est mundo, ad civitatem suam sacram Ierusalem, i. e. Religionem, potenti gratiae suae vi traxit hicque innumeris, inexplicandis, immensis beneficiis, non affectit, sed cumulavit.

[2]. Considerabis tibi ita vere contrito omnia scelera, culpas imperfectionesque a Deo dimittendas, et per sacrum Poenitentiae sacramentum delendas; quod si recte beneque dispositus sis, etiam indulgentiam poenarum omnium pro iis irrogandarum, concedendam. Poteris quoque tibi extraordinariam mortificationem assumere, uti preces, aut corporis afflictationes, opera charitatis aliaque huiusmodi; quae ad tollendam poenam sufficiant congruentiaque delictis assignantur, iuxta illud: “Peccata tua eleemosynis” voluntariisque satisfactionibus, “redime” [Dan 4, 24].

Rex quoque David, postquam pro peccato suo Dominum deprecatus est, [f.171v] satisfactionem quandam insignem, nempe erudiendi iniustos iustitiam, promittens: “Docebo”, inquit, “iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur” [Ps 50, 15], et alibi: “Lavabo”, ait, “per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo” [Ps 6, 7].

Nimirum non potest ullo sceleri satisfactio dimitti, sive in hac, sive in altera vita: luendae, subeundae sunt peccatorum poenae. Quod si ita res se

^a in ms., forse ob lapsum calamis, erronee: “omnipotentissimi”

habeat, melius fuerit, ut tibi spontaneas satisfactiones assumas pro noxis tuis ac defectibus, quae Numini clementissimo gratissimae sunt futurae, quam alias non incertas ab obitu expectes; quarum nulla est cum rigidissimis etiam poenitentiae actibus comparatio.

[3]. Iam te ad Summi Boni fontem accessurum expendito: ex quo, quicquid et quantumcunque voles, haustus es: in quo omnia tua crimina demerges: omnes animae maculas expiabis; indeque purus, immunis sceleris, mundus, qualis olim a Baptismatis sacro lavacro prodieras, proditurus es recessurusque. Apostolus enim hoc sacramentum Poenitentiae, Baptisma appellat⁵⁶. Illum vero fontem adibis, de quo sacra siti accensus pientissimus Rex Vates loquitur: “Quemadmodum desiderat cervus ad fontem^a aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus” [Ps 41, 2]. Et alio loci: “Sivit in te anima mea” [Ps 62, 2], “quando veniam et apparebo^b? [Ps 41, 3]”

Ibis ergo ad hunc fontem desideratissimum: sed istud prius animae tuae inculca, ne in eo delectationem, sed salutem quaerat; non dulcedinem, sed proficuitatem exoptet: ut extinctis pravaram cupiditatum in te flammis, et omnibus animi pestilentissimis infirmitatibus ablati, sanitatem tibi illam, illud refrigerium, conferat: quo melius, nec optari, nec haberi potest: teque ex Aethiope nigerrimo angelum candidissimum efficiat.

Atque insuper, tantam copiam gemmarum, id est, gratiarum, ex hoc fonte et torrente voluptatis aeternae spera te asportaturum, quantam ad immortale caelorum Regnum comparandum possis indigere.

^a “fontes” (BSV) ^b add. “ante faciem Dei” (BSV)

⁵⁶ P. Papczyński in initio huius paragraphi loquitur de virtute purificandi a peccatis, quam Eucharistia habet. Propterea eam “Sacramentum Poenitentiae” nominat. Attamen in S. Scriptura non potui invenire locum ubi “Apostolus” (s. Paulus?) Eucharistiam “Baptisma appellat”.

R E C O L L E C T I O X V I I
POST REDITUM A SACRA MENSA

1. “Ecce sanus factus es: iam noli peccare” [Io 5, 14]. His te vocibus pientissimis Medicus caelestis animarum, vir religiose, alloquitur. Quantumcunque imperfectionum hactenus admiseris, ecce tibi misericordissimus, vere, plus quam dici cogitarive potest, misericordissimus Dominus condonavit; omnem quamvis ingentem offensam remisit. Quantiscunque gravissimorum foedissimorumque peccatorum anima tua fuerit obsita et circumdata ulceribus, omnia sustulit medicina plane efficacissima sanctissimo corporis sui alimento et praestantissima sanguinis proprii ablutione.

Iam itaque omnium defectuum tuorum tam in orbe, quam hic extra orbem patratorem veniam tibi esse concessam pie certoque sperare, quin credere potes. Sed incumbas dehinc in bona opera necesse est; ut inter spinas pravitatum, etiam rosae optimarum virtutum in horto animae tuae reperiantur. Induc igitur in animum hortum ut hunc excolas, neque te plurimae lapparum inutiliumque herbarum, hoc est vitia, a studio huius excolendi deterreant aut abstrahant; neque ullus arduus labor negotium tibi facessat.

Aderit bonae voluntati tuae optimi summique Numinis auxiliatrix [f.172r] dextera: mittet illuc[?]^a ingentem pluviarum, nempe lachrymarum abundantiam ad hunc hortum irrigandum; dabit benignissimos gratiarum favonios, ut fructum uberrimum, his afflatus, solidarum virtutum, hortus tuus proferat et sanctarum actionum fragrantia divinos humanosque animos recreet atque reficiat.

2. Alia tibi eundum esse via postquam Domini ope sanitatem animae recepisti, considera, ne iterum in latrones atrocissimos, mundum, carnem stygiumque satellitem, incidas.

Nam si magno labore, ingenti conatu, summo studio homines loca illa evitant, in quibus aliquando temporalium bonorum iacturam tulerunt, multo

^a in ms. “illud”, pro quo - uti erroneo - hypothetice “illuc” substituitur

diligentius omnium imperfectionum etsi minimarum minimae licet occasiones tibi fugiendae sunt, quae te ad amittendum caelestis gloriae thesaurum compellunt eoque spoliant; ne in hac parte prudentiores filii tenebrarum te filio lucis invenientur⁵⁷.

Vites itaque superbiam, ne humilitate spolieris; vites vanae laudis ventos, ne in Scyllas periculosissimas⁵⁸ multorum scelerum impellare; vites gulam, ne incidas in luxuriam; vites rixas, ne charitatem offendas; vites otium, ne pulvinar diaboli efficiaris; vites omnem dissolutionem, ne incurras damnationem.

Peccasti antehac inobedientia, recupera nunc amissas coronas obedientia; fugasti et dissipasti spiritum multiloquio, recollige denuo illum silentio; excidisti per fastum e Dei gratia, rursus tibi cura illam restitui per demissionem; amisisti caelum otio, redime illud labore, devotione et virtutum exercitio; alium indue hominem, ut alium experiaris hominum Salvatorem: qui quanto tibi fuit ob peccata iratior, tanto ob poenitentiam fiet mitior, addictior amiciorque.

[3]. Ultimo Deo summae bonitatis reconciliatum te cogitans in amplexus illius rue. Admirare patientiam, qua tuam conversionem emendationemque expectabat; stupesce clementiam, qua te ad se attraxit; extolle bonitatem benignitatemque, qua te filium perditio illo prodigoque evangelico filio peiorem suscepit redeuntem.

O magnam gratiam Servatoris qui te recepit in gratiam, donavit salute, quem Iudex iustissimus iustissime ad tartareos ignes poterat condemnare detrudereque. Quoties mortales aliquid grandioris noxae committentes, instante iustitia, se nullis thesauris redimere, nulla precum vi, amicorumve multitudine liberare a morte queunt.

Tu, infinitae malitiae sceleribus, infinitae bonitatis Dominum, Conditorum Restauratoremque tuum petiisti, offendisti, exacerbasti; quam ob causam, cum mortem aeternam merueris, non te ea mulctavit, sed potius

⁵⁷ Cf. Lc 16, 8.

⁵⁸ “*Scylla est scopulus [...], in mare prominens, et procul visentibus mulieris speciem repraesentans, navigantibus periculosissimus [...]*” (SLL, s.v. “*Scylla*”). Hinc “*Scylla*” hic pro scopulo usurpatur. Cf. supra, p. 189, no. 136.

morte sua dirissima comparatam immortalitatem tibi, si iam cesses eum offendere et amare ordiaris, appromisit et procul dubio daturus est.

Quod quantae bonitatis amorisque divini erga te monumentum est! Ah! cur tam clementem, munificum pientissimumque Dominum totus non complecteris? cur non in sinu illius ex amore exspiras? cur non totus es suus, ut ille tuus totus esse possit? cur non amore amorem compensas? quem utinam te Amor omnium mortalium doceat atque instillet, Christus Servator omnium mortalium!

R E C O L L E C T I O X V I I I

A N T E Q U A M L I B E T S A N C T I S S I M A M C O M M U N I O N E M

1. Considera sanctissimum Eucharistiae sacramentum ab ipso Domino et Servatore nostro [f.172v] Iesu Christo, veri et unius Dei unico Filio Ierosolymis in ultima Cena, quam ante suam passionem truculentissimam apud quendam e civibus Ierosolymitanis indubie optimum iustumque hominem, constituerat, Pascha sive Phase cum discipulis celebrans, institutum fuisse.

Quod referens sanctus Matthaeus e telonii exactore dispensator verbi divini fidelissimus his verbis: “Coenantibus autem eis,” (inquit) “accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: **Accipite, et comedite: hoc est corpus meum.** Et accipiens calicem gratias egit: et dedit illis, dicens: **Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti,** qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum” [Mt 26, 26].

Ex quibus conice, verum et reale esse in sanctissima Eucharistia corpus Christi sub velo panis, non amplius panis existentis, qui pro nobis cruci affixus mortuusque est: hoc inquam corpus, quod tot vulneribus affectum in cruce emortuum est; corpus vivum, non mortuum; et panem amplius in pane non esse, sed divina vi, sacerdotis iussu et verborum pronuntiatione divinatorum in verum vivumque corpus Christi transformatum. Atque hoc admirabile Sacramentum procibospirituali animabus fidelium tribuendo, in pignus amoris perpetui Ecclesiae sponsae suae a Domino Iesu Christo relictum esse.

[2]. Perpende, quod, quamvis Servator noster non separatim accepto calice discipulis sanguinem propinaverit suum, recte faciat Ecclesia Parens, quae sub una specie fidelibus Communionem sacram concedit atque distribuit. Vivum enim Christum Catholici manducamus. Atqui vivo in corpore ubi aliquando sanguis deesse potest?

Item cogitabis homines ac praesertim eos, qui se ad hoc Sanctissimum Sacramentum suscipiendum diligentissime praeparant, quoties adeunt sacram mensam innumeris donis a Deo cumulari, gratias inauditas atque inexplicandas accipere, sanctificari, confortari, remissionem scelerum et appromissionem aeternae vitae reportare.

[3]. Diligenter considera a multis hoc Sanctissimum Sacramentum sumi ad perditionem suarum animarum, iuxta illud Angeli[ci] Doctoris divi Thomae Aquinatis ab ipso Domino approbatum edictum: “Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae et^a interitus”⁵⁹.

Sicut enim cibus hic aliis discipulorum ultima in Coena mirifice profuit, Iudae vero perditissimo minime conduxit, ita etiam nunc pluribus salutarem esse, multis e contra officere, credendum est. Cuius rei causa in ipsis accedentibus sacrum Dei convivium sine veste nuptiali, hoc est, recta intentione, pura conscientia, est.

Quare, tu, illud summa animi submissione, puritate, devotione, amore ac desiderio accedas eritque tibi in refrigerium ac salutem sempiternam. Amen.

R E C O L L E C T I O X I X

P O S T Q U A M L I B E T S A N C T I S S I M A M C O M M U N I O N E M

1. Quantas gratiarum actiones persolurus omnipotenti divinae Maie-
stati es pro [f.173r] refectione spirituali, considera. Nam si angeli sancti omnesque caelorum purissimi spiritus continuis laudibus immortale

^a “vel” (MIR)

⁵⁹ Cf. *Sequentia “Lauda Sion Salvatorem” in Sollemn. Corporis et Sanguinis Christi : “Missale Romanum” (MIR), Lection. II, 916. Autor huius sequentiae est s. Thomas de Aquino; cf. PIOLANTI A., “Lauda Sion” : ECat VII, 956.*

Numen celebrant et assiduis obsequiis venerantur, ideo fere, quod ipsius praesentia assiduo perfruantur, in quas, tu, divinas laudes hodie erupturus^a es? quod optimo pientissimoque Parenti gratitudinis genus persoluturus? qui te, non solum sua praesentia recreavit, personaliter animam tuam visitans, sed etiam pabulo corporis sui suavissimo atque saluberrimo eandem refecit et in novas vires erexit.

Si te sacris codicibus immergas, reperies in his, Hebraeos, quoties aliquid insignis beneficii a Deo accepissent, toties triumphasse eumque in canticis benesonantibusque cymbalis, in tympano et choro, in chordis et organo, in voce tubae, tibiae et psalmi laudasse.

Fecerunt id, cum ex Aegypto educti essent; fecerunt, cum oceani⁶⁰ immensae undae ad suum fundum redeuntes Pharaonem, Aegyptium tyrannum toto suo cum exercitu involvissent et absorbuissent; fecerunt cum Sisarum profligassent⁶¹. Et semper denique fecerunt, cum aliquam celebrem victoriam retulissent, cum quempiam suorum hostium profligassent; cum praecipuo singularique aliquo Dei beneficio essent affecti.

Et, tu, hodie, hac hora, immo toto vitae tuae decursu non promes ore iubilos? non corde laude[s] fundes? non tympana precum pulsabis? non chorum duces et dices, cogitatione tua penetrans, quam ingenti beneficio sacrae Communionis ab optimo, benignissimo liberalissimoque Numine affectus, locupletatus et cumulatus es?

[2]. Considera amicos, cum ab amicis convivio excipiuntur, semper cogitare et dare operam, ut illis hoc humanitatis officium rependere queant. Incumbendum tibi hodie pariter in istud est, ut praesentem tibi Domini amicissimi Iesu Christi liberalitatem, qua se tibi totum cum corpore et sanguine in cibum sumendum elargitus est, valeas compensare. Igitur, vel te ad labores illius amore perferendos aerumnasque tolerandas, quaecunque tibi evenerint, offeras, sicut sese obtulerat caena in ultima, (licet permittente et disponente sapienter, aliter factum esset) Princeps Apostolicus et iam ad ipsam mortem

^a in ms. evidenter erronee: “erepturus”

⁶⁰ *i.e. maris; sermo est hic de Mari Rubro (cf. Ex 13, 18; 15, 4).*

⁶¹ *Cf. Ex 15, 1-21; Iudic 5, 1-31.*

pro Domino subeundam, inquit: “Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo” [Mt 26, 35].

Vel aliquam tibi mortificationem, ob honorem istius excellentissimi Sacramenti exercendam assumes. Aut in aliqua virtutum heroicarum te exercere proponas, seu vitium quodpiam foedissimum, consuetudinem pravam notabilemque, in quam frequentius laboris, imperfectionem, quae divinae Maiestatis oculis maxime displicet, tibi vero non parum officit, evitare singulari studio et omnibus modis extirpare promittas, ut deinceps purissimum [incensum?] sanctarum actionum tuarum in ara cordis adolere queas Domino exercituum et virtutum potentissimo, liberalissimo clementissimoque.

[3]. Non aliam fuisse causam in ultimo illo antiqui Paschatis convivio Dominico corpore reficiendi expendes, quam, ut sumpto agno immaculato, Deo ipso in novi testamenti Paschate, novis divinisque viribus roborarentur et tam forti ac invicto animo imminentem passionis Magistri sui tempestatem ferrent, ut ea minime frangerentur et debilitarentur in fide.

Armavit eos tum Dux immortalis contra Hebraicae perfidiae atque persecutionis impetum armis fidei atque constantiae. Armavit amoris vi contra vim odii, armavit divino robore contra humanum robur et potentiam. Hanc similiter [f.173v] ob rem tibi cibum hunc spirituales hodiernum, divinum inquam cibum, concessum datumque esse, ut fortior contra tentationum vim evadas: in amando ferventior, in patiendi constantior et in perseverando stabilior confortatiorque reddare.

Ac profecto recte hodie cum Apostolo dixeris: “Quis [.....] me^a separabit a charitate Dei^b” [Rom 8, 35], quis avellet ab amore suscepti a me sub panis velo veri Dei et Hominis, hominum omnium Redemptoris? num paupertas? nuditas? egestas? num afflictio, persecutio, labores, dolores, languores? num tentatio, contumeliae, mundus, infernus; voluptas aliqua aut mortificatio; blandae cacodaemonis persuasiones vel hominum irae, acerba verba, aut quid simile? num denique ipsa, etsi truculentissima mors? Certus sum, quod me nihil separabit horum, nihil abstrahet, nihil seducet ab amore Iesu Christi in aeternum: quia haec universa ob amorem eundem tolerabo, sustinebo, perferam, complectar.

^a “nos” (BSV)

^b “Christi” (BSV)

O utinam, (sic clamabo omni momento) utinam, mi Iesu amem te, ut tu me adamasti! utinam amore tui moriar, qui amore mei mori, cum esses immortalis, non fuisti dedignatus!

ACTUS CONTRITIONIS

Doleo, Domine Deus meus, de omnibus peccatis meis, culpis, et negligentibus toto vitae meae tempore, maxime vero ab elapsa generali animi expiatione, quoquo modo a me commissis.

Doleo Domine Deus meus, non ob caelum amissum, non ob infernum promeritum, non ex timore naturali, sed ex amore supernaturali: quia scilicet te Satorem, Salvatorem Directoremque meum, quem infinite amaturus eram, infinitis iniquitatibus offendi.

Detestor iam omnia mea scelera, culpas, et negligentias, commissa et omissa, supra omnia mala.

Amo te et aestimo super omnia Summum Bonum meum et amari ab omnibus, neque unquam offendi, ex toto corde percipio.

Mergo omnia mea delicta in sanctissimis vulneribus tuis Iesu mi, sperans quod propter vulnera tua, sacratissimae Virginis et Matris dolores atque intercessionem et propter omnium caelorum merita precesque, praesertim sanctorum Patronorum et sanctarum Patronarum mearum, omnia mea delicta mihi dimissurus sis et gratiam verae perfectaeque emendationis, tum vitam immortalem concessurus.

Deus, propitius esto mihi omnium maximo peccatori!

INSPECTIO CORDIS

ORATIO VOCALIS

ante Sanctissimam Communionem

ex Divino[s] Romano⁶².

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Iesu Christe,
ego peccator de propriis ^a meritis nihil praesumens,
sed de tua confidens misericordia et bonitate,
accedere vereor et contremisco.

Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum,
mentem et linguam non caute custoditam.

Ergo, o pia Deitas^b, [o tremenda maiestas,
ego miser, inter angustias deprehensus,
ad te fontem misericordiae recurro,
ad te festino sanandus,
sub tuam protectionem fugio;
et, quem Iudicem sustinere nequeo,
Salvatorem habere suspiro.

Tibi, Domine, plagas meas ostendo,
tibi verecundiam meam detego.

Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo:
spero in misericordias tuas, quarum non est numerus.

Respice ergo in me oculis misericordiae tuae,
Domine Iesu Christe, Rex aeternae, Deus et homo,
crucifixus propter hominem.

Exaudi me sperantem in te:
miserere mei pleni miseriis et peccatis,
tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis.

Salve, salutaris victima,
pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata.

^a add. "meis" (MIR) ^b *textus orationis in ms. hic interruptus: oratio, ob ignotam causam, in ms. non perducitur ad finem*

⁶² Cf. "Missale Romanum" (MIR), pp. 903-904, ubi haec "oratio vocalis" est indicata uti "Oratio S. Ambrosii" et est prima ex orationibus adhibenda uti "Praeparatio ad Missam".

Salve, nobilis et pretiose Sanguis,
de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens,
et peccata totius mundi abluens.
Recordare, Domine, creaturae tuae,
quam tuo Sanguine redemisti.
Paenitet me peccasse,
cupio emendare quod feci.
Aufer ergo a me, clementissime Pater,
omnes iniquitates et peccata mea,
ut, purificatus mente et corpore,
digne degustare merear Sancta sanctorum.
Et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui,
quam ego indignus sumere intendo,
sit peccatorum meorum remissio,
sit delictorum perfecta purgatio,
sit turpium cogitationum effugatio
ac bonorum sensuum regeneratio,
operumque tibi placentium salubris efficacia,
animae quoque et corporis
contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio.
Amen.]

PARS V

RECOLLECTIONES QUOTIDIANAE

- **matutinae: de passione Domini,**
- **vespertinae: de novissimis**

1.

DIE LUNAE, MANE

De oratione Christi in horto.

1. Expende, Christum Dominum a Coena illa novi Paschatis misteriis profundissimis plena, relicta sanctissima Genitrice cum discipulis universis, tribus dumtaxat eorum sumptis, in hortum Gethsemani egressum ad Patrem secreto in colle humiliter, genibus nempe flexis et toto prono corpore ferventerque preces fudisse.

Ac primo omnes sibi cruciatus repraesentasse; quibus imaginaria mentis cogitatione apprehensis in eam prolapsus fuerit mutationem, ut inceperit pavere, taedere, pallere, contristari. Quamvis enim divinitas paternae voluntati conformis passionem quantocius appeteret, tamen humanitas sibi relicta perferre ea timebat, quae dirissima fore animi intuitu perspexerat. Itaque metu ac desiderio secum pugnantibus erupit tandem haec in verba Iesus: “Pater ^a, si possibile est, transeat a me calix iste” (Mt 26[, 39]). Sed cum illi angelus apparuisset confortans eum voluntatemque aeterni Genitoris declarasset (quanquam non ignota fuit Deo), maxima cum resignatione exclamavit: “Non sicut ego volo, sed sicut tu” (ibid.).

^a add. “mi” (BSV)

2. Cogita altera hora in expendendis omnium mortalium malis atque calamitatibus, tui Servatoris animum fuisse occupatum. Stitit enim sibi in perspicacissimo intellectus sui sensu universas universorum hominum afflictiones, angores, dolores, morbos, cruciatus, persecutiones, oppressiones omniaque genera calamitatum quibus unquam exagitandi forent. Quae cum acri mente fuisset complexus, graviori doloris stimulo pungebatur, quam solet pungi amicus infortunatissimum amici casum, vel parentes pignorum suorum malam sortem aut quascunque adversitates intuendo. Quod clare Isaias vaticinatus: “Vere”, inquit, “languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit” [Is 53, 4].

Ad extremum repraesentanda sibi omnium mortalium, qui ante eum ipsiusque temporibus et post eum victuri fuerunt in orbe, scelera proposuit: pro quibus cum sese caelesti Patri ad patiendum et satisfaciendum obtulit, tum etiam tanta eorum contritionis vehementia motus est, ut sanguineum sudorem per omnes poros emisit, ad usque terram defluentem⁶³. [f.176v]

3. Attentissime considera tempus, locum, modum et alias circumstantias orationis Iesu. Nam sub spatium quietissimae noctis, in colle ab omnibus arbitris remoto, procidens in genua, vel forte totus inclinatus, si non prostratus orationem suam cum resignatione magna tribus fere horis continuavit.

Elicies hic affectus gratitudinis, expendens quis ac pro quo oravit. Tum ingruentibus sive tentationum, sive aliarum turbationum, vel arduorum negotiorum procellis ad orationis anchoram confugere disces, conformem denique voluntatem tuam divinae voluntati semper habebis dicendo: “Non mea, sed tua voluntas fiat”⁶⁴.

⁶³ Cf. Lc 22, 44: “*Et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram*”.

⁶⁴ Cf. Mt 26, 39. 42; Lc 22, 42.

2.

DIE LUNAE, VESPERI**De mortis certitudine, incerto tempore, loco, modo.**

1. Considera, quemvis hominum, quoniam ex corruptibili materia creatus est, corrumpendum esse. Ideoque mortales appellamur, quod morti subditi simus, iuxta illud: “Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur” (2 Reg 14[, 14]). Hinc nullum tam potentem, aut divitem, aut iuris omnisque scientiae peritum inveniri posse, qui legem illam frangat, dispenset, aut eludat aliquibus argumentis, quam ipsi olim primo parenti nostro Conditor universorum et simul unicuique homini praefixit: “Pulvis es, et in pulverem reverteris” [Gen 3, 19].

Quinimo non solum nullus efficere potest, ut non moriatur, sed ne quidem aliquis efficiat, ut vel exiguum minutissimumque alicuius momenti spatium vitae sibi naturaliter queat adicere. Sive igitur rex, sive imperator, sive Maximus Pontifex; sive vilis subditus, aut dominus; opulentus aut pauper; doctus, aut rudis; iuvenis aut senex; sanus vel aegrae valetudinis quispiam fuerit, cogitare debet, quovis momento ultimum vitae sibi terminum imminere: et tu idem cogita, praevide, metue.

2. Considera, neminem posse mortalium naturaliter sui diem vel horam obitus scire, uti docet Ecclesiastes: “Nescit homo finem suum” (Eccle 9[, 12]). Sed omnes ab aeterna Veritate nos admoneri his verbis ad inspiciendum vitae nostrae terminum: “Vigilate” [Mt 24, 42. 25, 13] et: “Estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet”(Lc 12[, 40]), ille nimirum ipse, qui quemlibet hominum statim a morte iudicaturus est.

Quocirca, cum tibi crastinum, imo finem istius qua haec expendis horae, appromittere certe nequeas, animadvertite in singulas tuas cogitationes et actus; serio vitam emenda; sanctius mores institue; diligentius perfectioni incumbe. Siquidem scriptum est^a [?].

^a in ms. non dicitur quid “scriptum est”; forsitan auctor oblitus est hanc sententiam completare.

3. Considera non tantummodo temporis, sed etiam loci spatium hominem latere, in quo animam suam sit exhalaturus: utrum in sua, an aliena domo? utrum in via, an in lecto? utrum in terra, vel in aqua? cum non pauci in exteris nationibus peregrinantes, plures apud medicos depositi, plurimi in campo Martio⁶⁵ ultimam vitae finiunt periodum.

Sed et modum mortis quis potest non ignorare? Num repentinus hic fur sit venturus? an praevius? num diu, an noctu? num tibi lente, vel graviter; naturaliter, vel per tormenta, vel casu vita eripietur?

Quamobrem nolis emendationem procrastinare; nolis ullam quovis momento occasionem merendi omittere; nolis tibi longaevos polliceri dies, non ignarus illius caelestis Magistri parabolae: [f.177r] “Si autem dixerit malus servus^a in corde suo: Moram facit dominus meus venire: et coeperit percutere servos^{b c}, manducet autem, et bibat cum ebriosis: veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat: et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis; illic erit fletus, et stridor dentium” (Mt 24[, 48-51]).

3.

DIE MARTIS, MANE.

De Christi Domini captivitate, accusatione, percussione, carcere, et illusione.

1. Revolve sedula mente, Christum Dominum, postquam intellexit iam adventare Iudam proditorem cum satellitibus sceleris sui administris, obviam illi, excitatis a somno discipulis, processisse: ut vero in conspectum ventum est, osculum a perfidissimo traditore, semper placidissimum pacis schema, tum vero fraudulentum nefariae proditiois indicium, accepisse⁶⁶: et tandem pos[t] ternam turbae illius retrocessionem triplicemque in terram lapsum⁶⁷

^a add. “ille” (BSV) ^b “conservos” (BSV) ^c add. “suos” (BSV)

⁶⁵ *Mars,-tis - Deus belli; Martius, -a, -um - quod ad bellum pertinet (SLL).*

⁶⁶ *Cf. Mt 26, 45-50; Mc 14, 42-45; Lc 45-48.*

⁶⁷ *Cf. Io 18, 4-6, ubi in v. 6 legitur: “Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et*

sui capiendi dedisse potestatem his verbis: “Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum” [Lc 22, 53].

Quo dicto leones illi efferi in mansuetissimum Agnum irruere⁶⁸: pars crines evellere; pars brachiaprehendere; alii vincire manus; alii ad terram prosternere; elevare alii et ad Annam ducere arctissime vinctum incomprehensibilis Dominum maiestatis.

Comitare, tu, pia mente gradientem intra maenia inimicae Urbis Orbis Servatorem. Vide, qua crudelitate trahatur; qua insolentia huc et illuc trahatur; qua inclementia ad flumen Cedron compellatur; qua ferocia isthic lapidibus allidatur: qua denique nequitia sistatur Annae, calumniis exagitetur iniquis, et fera manu improbissimi caedatur militis⁶⁹.

O noctem tot Hebraeorum sceleribus obfuscatam! tot Salvatoris mundi virtutibus illustratam! Ex una parte proditio, invidia, feritas, ingratitude ascendunt; ex altera candor, amor, mansuetudo beneficentiaque coruscant. Utinam tu detestans vitia Iudaeorum, Salvatoris imitere virtutes!

2. Ingredere cum Filio Dei innocentissimo domum Caiphae pontificis; inibique tot falsis testibus, tot abominandis mendaciis, tot blasphemis patientem aurem Salvatoris gratia accommoda.

Postea carcerem faedissimum plenum sordibus, tenebris plane palpandis circumfusum, tetrum horrendumque intra et vide sedentem hic Imperatorem totius universi, ab amicis, discipulis, consanguineis relictum; dira malitiosorum militum cohorte circumdatum, a quibus non solatia, sed opprobria; non compassionem, sed cruciatus accipiat. Quidam enim illorum in vultum ipsius sole sereniorem spuunt; quidam illusionibus eum vexant; pugnis alii, palmis alii concutiunt; variis denique instrumentis omnes verberant et continuo sordes in ipsum iaciendo tota nocte ne hilum quidem quiescere sinunt⁷⁰.

Gravior his omnibus iniuria accidit Salvatori, gravius in eius pectus descendit maeror, quando eum ille Princeps [f.177v] Apostoli[ci] Senatus, *ceciderunt in terram*”. Nullibi tamen in Evangelio legitur de hic asserta “terna retrocessione” et “triplici in terram lapsu”.

⁶⁸ *Intelligitur: “cohors..., et tribunus, et ministri Iudaeorum” (Io 18, 12), in Iesum cum proverbiali efferitate et ferocitate leonum irruerunt.*

⁶⁹ *Cf. Io 18,13-14. 22.*

⁷⁰ *Cf. Mt 26, 57-68; Mc 14, 53. 65; Lc 22, 63—65; Io 18, 24.*

ille terrarum Rex, illa petra firmissima, ille Amicus ad aras abnegavit, eiuravit, contempsit⁷¹. Scilicet gravius est vulnus quod amica infligitur manu, quam quod hostili.

3. In ortu aurorae prodeuntem e tenebroso carceris ergastulo increatum Solem contemplare. Illumque primo in sacerdotum consistorio, deinde in praesidis palatio; postremo in regis Galilaeae hospitio comparentem, non sine admiranda^a multarum virtutum luce, contuere.

Aspice ut a Senatu Ierosolymitano instantissime accusetur, ut ab Imperatorio Praetore furiose examinetur⁷², ut a Tetrarcha crudeli curiose vexetur, fastuose contemnatur, temerarie nimis illudatur!

Sed inter alia, mirare illius plenum profundissimo mysterio silentium: cum a curioso^b Herode multa rogatus, ne generatim [?] quidem respondeat⁷³.

Exemplo suo te docens, ut potius sileas cum aliquo magni nominis dispendio, quam cum spirituali damno loquaris. Praestat enim tacendo stultum dici, quam blaterando multa sanctum non esse.

4.

DIE MARTIS, VESPERI

De agone hominis, [de] statu humani corporis post animae discessum; ad Dei tribunal, et sepultura.

1. Considera, vel imaginaria mentis cogitatione tibi repraesenta, hominem aliquem, imo te ipsum, iam in extremi certaminis puncto constitutum;

^a in ms. erronee: “admirande” ^b in ms. ob inadvertentiam erronee repetitur e versu praecedenti: “curiose”

⁷¹ Cf. Mt 26, 69-75; Mc 14, 66-72; Lc 22, 54-62; Io 18, 15-17. 25-27. Circa significatum proverbii: “Amicus ad aras” cf. supra, p. 64, no. 54.

⁷² Cf. Mt 27, 11-18; Mc 15, 1-12; Lc 23, 1-5. 13-23; Io 18, 28-40; 19, 4-11.

⁷³ Cf. Lc 23, 8-9.

hinc a cacodaemonibus animam impugnantibus et vel ad praesumptionem elevando merita, vel ad desperationem augendo peccata, illam volentibus inducere: inde vero ab amicis, familiaribus et propinquis circumfusum, candela ad verticem capitis lucente, imaguncula^a [?] aliqua vel effigie crucifixi in manibus haerente iacentem et gravissime gementem.

O quam cogitatu horrendus ille agon est! cum vis ingens morbi animam e corpore exprimere conabitur, haec vero nimium renuet, tergiversabitur, reluctabitur, nolens Achatem suum⁷⁴ relinquere, praesertim malorum, quae cum ipso patrarit, conscia. Quid tum verborum dices? quid precum fundes? quem Patronorum invocabis? quem amicorum Dei, vel tuorum tuum in auxilium cies^b? nihil te poterit iuvare, nisi recte factorum conscientia in meritis Christi fundata.

2. Considera iam discessum animae: quae vitali calore a pedibus, manibus capiteque recedente, ex sua sede, nimirum corde, cum gravi lucta discedens per oris ianuam egreditur⁷⁵; deinde hinc ab Angelo Tutelari, inde a malo genio tentatore stipata tribunal ad Iudicis properat: ubi suis operibus cognitis illa secundum [ea?] vel caelestis gloriae, vel piacularium flammaram, vel aeternae damnationis accipiet sententiam.

Vide igitur, quam tibi plurimi divorum sunt colendi atque inter hos praecipue Virgo Mater morientium fidusque tuae vitae comes angelus, ut horum suppetias tum experiaris, cum tibi ipse nullo poteris esse adiumento.
[f.178r]

3. Considera, quemadmodum corpus tuum frigore, pallore foetoreque obductum, quamprimum ex eo discesserit anima, permanebit. Indurescent

^a in ms. erronee: “inculcula” (verbum absens in vocabulariis) ^b secundum contextum deberet potius esse: “ciebis”

⁷⁴ Cf. *supra*, p.182, no. 132.

⁷⁵ Cf. PINCHERLE Alberto, “Anima” : EI III, 362: *Secondo le concezioni dei primitivi, “ha maggiore influenza la concezione dell’anima come respiro, che lascia il corpo del morente attraverso la bocca: cos’è nelle frequentissime pitture vascolari greche, dove l’anima è presentata in forma di farfalla, di mosca, o d’altro insetto alato uscente dalla bocca del morente”.*

omnia membra, contrahentur et non parvum adstantibus horrorem incutient, adeo, ut qui cum vivo hilariter fuere conversati, mortuum turpiter ob terrorem aversabuntur et soli verebuntur accedere.

Postea idem corpus [aqua] ablutum calida reponetur in feretro, et ne amplius humanas foetore suo vexet nares, quantocius tumulto inicietur. Isti enim ipsi, qui tibi Nestoreos optant annos⁷⁶, ne diu foeteas mortuus, cito nimis te e suo conspectu subducent ac terrae mandabunt.

O qui^a erit tum decor tui corporis? intumescet, corrumpetur, faedam saniem fundet; ex qua orta ingens vermium multitudo, quidquid supererit carnis corrodet; reliqua omnia solis exceptis ossibus in pulverem de quo sumptus es remeabunt. Cum ergo nihil sis futurus nisi tumor, putredo, sanies, foetor, esca vermium, cinis, quid nunc elevaris et te aliquid esse somnias? quid sensualitatem sectaris? quid corpori plus aequo indulges? neque hoc mancipium insolens et cito in suos pulveres rediturum, immortalis animae subicis imperio?

5.

DIE MERCURII, MANE

De crudelissima Salvatoris nostri flagellatione.

1. Maxima cum pietate et affectus teneritudine considera, qua ratione Praetor inter incudem et malleum positus et Christum Dominum prout insontem liberare et populum Hebraeum furentem valde sedare cupiens, discretam quidem, quemadmodum ipse putabat, sed iniquissimam revera protulit sententiam, ut Salvator mundi ad columnam ligatus publica flagellatione castigaretur⁷⁷.

^a in ms. minus recte: "quis"

⁷⁶ Nestor - heros ad historiam fabularem pertinens: "ad Trojam venit, cum natus ducentes annos iam tertiam hominis aetatem viveret, vel [...] cum 300. annum ageret". Hinc: Nestoreus, a, um - "adject. ad Nestorem pertinens, ut Nestorea senecta" (SLL, s.v. "Nestor" et "Nestoreus"). Cf. etiam: PARANDOWSKI, op.cit., p. 226: "Nestor, ten sam, który później setki lat dożył".

⁷⁷ Cf. Mt 27, 26; Mc 15, 15; Io 19, 1.

O mi Iesu! quid ego audio de te? tu ne denudaberis, qui omnia circumdas aptis vestimentis? tu alligaberis columnae, qui ubique locorum cum sis, es tamen incomprehensus? Tu caederis flagellis, qui non solum iustus es, sed ipsa Iustitia; non solum innocens, sed ipsa innocentia; non solum purus omnis sceleris, sed potius omnium scelerum Purificator, Redemptor?

At multa flagella peccatoris. Ob scelus populi tui, ob scelus inquam meum, petra viva, percutiere.

Scinditur ergo ex parte cor meum dolore tibi, Iesu amabilissime, compatiendo; sed ex parte inundat laetitia per tuam flagellationem se a peccatis suis debita flagellatione liberari sentiendo. Gemit anima mea gravissime et gemit debet, nam nisi gemat, impia erit; gemit inquam anima mea, o anime mi Iesu! cum te instar sceleratorum omnium sceleratissimi ad flagella condemnatum expendit; sed eadem exultat maxime et exultare debet, [f.178v] nam nisi exultet erit ingrata; exultat inquam maxime anima mea, cum videt te amore sui tactum ineffabiliter mille flagra pro salute sua exoptare dicentemque cum Rege psalte audit: “Ecce^a ego in flagella paratus sum” [Ps 37, 18].

Utinam ego, Domine mi, ob honorem tuum et vitandam tui offensam sic corpori meo insolentique carni amplius non parcam; qualiter tu, ob salutem et redemptionem meam sanctissimis membris tuis non pepercisti.

Sed iube, Domine, quod vis et quod iubes, ut faciam, effice⁷⁸.

2. Repraesenta tibi carnificum in obeundo suo munere damnandam celebritatem, tum qualitatem instrumentorum flagellandi. Nam ubi Praetoris edictum de flagellando Christo innotuit, ut Christus virgis caederetur, divulgatum est; subito hi, indubie aliquo donativo Hebraeorum magis incitati, parandis sese accingunt instrumentis.

Itaque virgas ligant, quibus uncos ferreos interserunt. Catenarum instar pendentibus ferreas scuticas et in fine stellis acutis terminatas expromunt; addunt his varia alia flagellorum genera quae tum illorum crudelitas invenisse eo temporis poterat, tum pia mens tua pie valet imaginari⁷⁹.

^a “Quoniam” (BSV)

⁷⁸ Cf. AUGUSTINUS, “Confessiones”, Ratisbonae 1926, p. 489 (l. X, c. 29): “Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes, et iube quod vis”.

⁷⁹ Cf. PAPCZYŃSKI S., “Christus Patiens”, Disc. III “Flagella peccatoris”: FHM 7, pp. 20-32.

3. Ad Christum Dominum cogitationis tuae impetum converte et admirabundus inspice, ut summo desiderio patiendi pro te accensus vestibus se suis ipse expoliat. Ut furibundis lictoribus ultro manus columnae alligandas offert et sua mansuetudine furorem eorum animat ad caedendum.

Sed ultra claude oculos, imaginationem piam coerce; ne fortassis inauditam, invisam, inexprimendam, carnificum in caedendo atrocitatem prima apprehensione inspiciens, illa deterritus obrigeas et a stupore ac abominatione absorbearis. Succedentes enim alter alteri tam diu ex integerrima [parte?] illud susceptum corpus purissimum laniant, donec locus suscipiendis flagris, verberibus vulneribusque deesset.

Quod vatum aliquis prophético spiritu enuncians: “A planta pedis”, inquit, “usque ad verticem capitis^a, non est in eo sanitas” [Is 1, 6]. Crura, genua, pectus, latera, lumbi, brachia, humeri, manus, atrocissime discerpta sunt: ac inter reliqua scapulae ita apertae, ut inspicientibus horrorem incuterent, considerantibus lachrimas elicerent.

Quas si tu contineas, si denique carni posthac blandiaris, cautes durissima es et perditissimus mortalium. Luge igitur, luge ac deplora non tam flagellationem Salvatoris, quam causam flagellationis; utque deinceps peccatis tuis gravius illum non flagelles da operam. [f.179r]

6.

DIE MERCURII, VESPERI

De ultimo decretorio die et signis illum antecedentibus.

1. Considera, bis ante supremum Iudicem cuius nostrum comparendum esse, primo in particulari, quod post uniuscuiusque obitum fieri solet, secundo in generali iudicio, quod inclinato iam ad senium mundo penitusque sublato, in valle, ut communis docet sententia, Iosaphat a Christo Domino instituendum est⁸⁰, iuxta vaticinium Regis psaltis[s] canentis: “Iudicabit

^a *om.* “capitis” (BSV)

⁸⁰ Cf. *Ioel* 3, 2. 12.

orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua” [Ps 95, 13]. Ubi tum universi mortales a primo homine Adamo, ad illum usque, qui ultimus nascetur aut morietur in mundo et ex caelo beati et ex purgatorio mundati et ex inferno damnati confluentes aderunt, strictam omnium suarum cogitationum, dictorum factorumque reddituri rationem.

2. Revoca tibi in mentem signa, quae docente veritatis Magistro generale illud iudicium praecessura sunt: “Erunt”, inquit ille, “signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura Gentium prae confusione sonitus ^afluctuum maris^a” [Lc 21, 25]. Natio cum natione, regna cum regnis, imperium cum imperio bella geret atrocissima: seditiones, tumultus rebellionesque internae gravissimae orientur.

Adhuc^b germanae belli sorores, pestis et fames undique et ubique mortales affligent adeo, ut quos fera vis Martis ac ferrum non consumet, hos pestilentiae famisque virus delebit infectos. Insuper augebit hominum afflictionem eluvi[e]s maris et insolita aquarum exundatio: per quae plurimae insularum proximaque mari loca suis cum urbibus, vicis, incolis, immensis undarum fluctibus involuta absorbebuntur.

3. Expende celestium corporum mutationes, conflictus corruptionesque. Inaudita enim tonitrua audientur, horrenda fulgura videbuntur, innumera fulmina de caelo cadent passimque mortales occident et eorum habitationes exurent. Insurget terra gravi motu concussa. Etiam virtutes caelorum movebuntur cadentque stellae, sol obscurabitur, luna non dabit lumen, et universa tristi ac luctuosa^c metamorphosi ^dsursum deorsum^d permiscebuntur. Qui lugubris et invisus omnium rerum status ita mortalium tum sub sole degentium animos concutiet, ut sensibus orbatu instar insanientium latebras sui occultandi inquirent profugique e propriis domiciliis vastas solitudines ac ferarum lustra petent; contrario modo ferae et terrae et caeli tremendis motibus fugatae ex silvis ad hominum aedes quasi auxilium aliquod, aut

^{a-a} “maris, et fluctuum” (BSV) ^b in ms.: “Adhaec”; pro hoc verbo ignoto hypothetice secundum contextum hic substitutum est verbum: “Adhuc” ^c in ms. erronee: “luctuosae”
^{d-d} in ms. insolite: “et sursum et deorsum”

remedium imminētis periculi, aut certe confugium indagantes, undequaque [f.179v] convolabunt.

Et tu amabis mundum, tam horrendum finem exitiumque suis cum asseclis habiturum?

7.

DIE IOVIS, MANE**De spinea Christi coronatione, et coram populo exhibitione.**

1. Statue tua in mente Salvatorem mundi Regemque omnium rerum ab efferatissimis militibus laceris ac detritis purpurae frustis per ludibrium contegi diademateque ex insolitis spinis iisque acutissimis contexto, in summam ignominiae notam coronari⁸¹.

Si regem aliquem tibi notum vel etiam simpliciolem viliolemque aliam personam tantis affici talibusque [opprobriis? iniuriis?] intuereris, utique compungereris^a ex commiseratione. At cum haec cum Deo et quidem illo Deo, qui tui amore humanam carnem induit, agi vel acta fuisse cogitas, quo animo te esse fas est?

O anima mea quid indurescis? cur in dolorem non solveris? cur non gemitus lachrimasque fundis, tantum tui beneficentissimi Dei, Domini Parentisque contemptum apprehendens cogitatione? Opta, opta, nullam ut occasionem praetermittas tui despiciendi, nullum contemptum devites, quin ultro appetas. Amen.

2. Compatientissimo animo revolve, ut iidem impii ac crudelissimi milites, uno in lapide Iesum sedisse coegerunt et per irrisionem regalem illi exhibentes flexis genibus reverentiam Regem illum salutabant et simul cum maximis cachinnis arundine crassa ac gravi tempora ipsius faciemque feriebant. Pie quoque meditari poteris, quomodo alii acceptis quibusdam, sive illi arundinei, sive alterius generis fuerint, baculis in crucemque supra

^a in ms., ob lapsum calami, erronee: "compungereris"

⁸¹ Cf. Mt 27, 27-30; Mc 15, 16-19; Io 19, 2-3.

caput positis, coronam illam spineam tanta vi ac robore appresserunt, ut acutissimi illi aculei non solum tempora confoderint, sed etiam ad cerebri usque sedem penetrantes, illud cum sanguine simul plurimo effuderint expresserintque⁸².

O crudelitatem inauditam! o dolorem intolerabilem! o infelices tuas omniumque mortalium delicias, pro quibus tam dire caput Iesu Christi Domini confixum est!

Utinam mi Servator pietissime, vel abhinc durissimam tuam hanc coronationem mecum recogitans, nulli amplius voluptati internae ac externae non modo ascensum praebeam, sed nequidem mentem exponam occupandam. Omnem vero crucem, calamitatem, afflictionem mortificationemque animitus complectar! Amen. [f.180r]

3. E[x]pende, ut Pilatus, videns quid cum Christo Domino plane insontissimo ageretur, quomodoque a militibus tractaretur, eum in eminentiorem praetorii partem adduci mandavit. Cuius nutu intellecto milites, illico Salvatorem apprehendunt per gradusque immitissime sursum trahentes praetori sistunt. Qui accepta manu ipsius, eum per unam fenestram, ipsemet in altera stando, populo tumultuanti exhibuit dignaque lachrymis verba protulit: “Ecce Homo” [Io 19, 5].

Quibus, uti et illa Salvatoris expositione, effecisse voluit, ut turba Senatusque Hebraeorum commiseratione permotus, non ulterius mortis sententiam in eum ferendam extorqueret, quandoquidem tam male tractatum videret, ut nihil humanae speciei retinuerit.

O Iesu amabilissime, per spineam tuam coronam, oro te, exorna infinitis infinitorum coronis meritorum meum caput et fac ut ager cordis mei sterilis, nullas amplius spinas proferat, sed flores virtutum amaenissimos fragrantissimosque. Amen.

⁸² Cf. PAPCZYŃSKI *St., op. cit., Disc. IV : FHM 7, pp. 33-40.*

8.

DIE IOVIS, VESPERI

**De conflagratione mundi, mortuorum excitatione,
Christi altero adventu et in bonos malosque certa sententia ferenda.**

1. Diligentiori cogitationis intuitu conspicias, igneos de caelo globos decidentes omnesque quae ibi locatae erant, flammam labentes et totum consumentes universum. Hoc enim vaticinatus Rex psaltes canit: “Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius” [Ps 96, 3].

Post^a totius mundi conflagrationem, progredietur ex sedibus empyrii caeli angelicae Princeps militiae illudque non minus horrendum quam potens efficacissimo tubae sonitu ad singulos quatuor angulos orbis praecinet: “Surgite mortui et venite ad iudicium”. [f.180v] Cuius vocis tanta erit vis, ut ad eam omnes mortalium spiritus ex caelo, purgatorio infernalibusque tormentis sese prorepturi sint membraque pristina assumpturi et in Christi Domini aetate, vallem Iosaphat occupaturi.

Disce hinc, nihil in mundo tui cordis esse dilectione dignum, nihil tibi tam praestans, excellens ac delectabile offerri posse, cui anima tua adhaereat, quandoquidem ipsa est immortalis, mundi autem omnis voluptas, splendor ac bonum, mortalia et tandem aliquando interitura esse.

2. Intellectui tuo expendendum obicies, alterum Christi Domini in terras adventum longe priore illo pacifico diversissimum. Namque congregatis iam ad locum tribunalis universis mortalibus, effundet sese e caelo omnis caelestis militia immortalem suum Regem praecedens. Tunc Redemptionis nostrae instrumentum

sacratissimum crucis lignum per aera deferetur: tunc videbitur Filius hominis veniens in potestate magna et maiestate⁸³: dextram augustissima Caeli Regina; laevam Michael Archangelus sua cum phalange tenebit. Ille autem erit terribilis aspectu adeo, ut in iustis etiam aliquis terror initio excitari videndus sit; quandoquidem etiam iustitias descendet iudicaturus. Iam ad

^a in ms. erronee: “Postquam”

⁸³ Cf. *Lc 21, 27*.

terras delapsus thronum suum occupabit et cum eo duodecim Apostoli, iudicantes duodecem tribus Israel⁸⁴ suis in sedibus conquiescent.

O quantus tum terror peccatores invadet, quanta desperatio, cum instigante eorum conscientia contra eosmet, seipsos aeterna damnatione dignissimos definient. Iustis vero meliorem spem exercitae virtutes, bona opera, passio meritaque Christi Domini augebunt; quorum corpora mirifica perfundentur I[a]etitia ex eo, quod iam immortalitatem pretiosissimam sint consecutura, qua neque tuum privabitur si modo illud in hac vita mortificaveris. [f.181r]

3. Iudicis implacabilis sententiam expende: qui ad maximam et paene intolerabilem severitatem componens vultum, eam in damnandos perpetuo peccatores a laeva parte stantes coniciet et flammea voce fulminans illud edictum vibrabit: “Ite^a maledicti in ignem aeternum” etc. [Mt 25, 41]; quos mox terra os suum aperiens una cum malis universis spiritibus aeternum in barathro infernalium poenarum excrucianos devorabit et quidquid foetorum erit tum in superficie ipsius, id totum cum illis attrahet.

Iustos autem idem Iudex a dextris placidissime intuitus, suavissima voce eos ad aeterna gaudia capienda invitabit in hunc modum: “Venite benedicti Patris mei, et^b possidete ^cRegnum, quod paratum est vobis a Patre meo in sempiternum^c” [Mt 25, 34].

Disce hinc puritati conscientiae incumbere, quae sola secunda erit in illius Iudicis tribunali, qui muneribus non placatur nec excusationes excipit, sed quod iustum est iudicabit.

^a “discedite a me” (BSV)
constitutions mundi” (BSV)

^b om. “et” (BSV)

^{c-c} “paratum vobis regnum a

⁸⁴ Cf. Lc 22, 30.

9.

DIE VENERIS, MANE

De baiulatione Crucis, suspensione et morte Christi Domini.

1. Considera, non raro ad mundi tribunal damnari innocentiam, scelus absolvi. Hoc te docet Christus innocentissimus condemnatus, et Barabbas sceleratissimus liberatus. Cum enim esset consuetudo, pro solemnibus Paschatis die dimittendi unum vinctum in gratiam populi, maluit hic et petiit, sine controversia a summis sacerdotibus Pharisaeisque stimulatus, dimitti sibi Barabbam, Christum autem crucifigi⁸⁵.

O inauditam odii magnitudinem! o facinus omni creaturae detestandum! o impietatem iniustitiae maximae coniunctam! Igitur latro [f.181v] propter caedem factam captus liberabitur? liberatur.

Iesus ex invidia praetori traditus damnabitur? damnatur. Lotis enim Pilatus manibus, consilio Senatorum coacto, maioris partis calculis approbatam mortis sententiam⁸⁶ legi iubet. Quam? “Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum” [Io 19, 19] crucifigatur. At nihil mali fecit? crucifigatur. At Iustus, florens ut palma, Sanctus Sanctorum est? omnino crucifigatur.

O anima, decretum hoc immutabile crucifigendi Domini tu constituisti! Oportuit enim mori unum hominem pro populo⁸⁷: Christum, pro te. Ah! saltem iterum tuis eum peccatis non crucifigas.

Sed iam baiulans sibi crucem, pientissimus Athletes ascendit in eum, quem dicimus Calvariae locum⁸⁸. Comitare illum anima mea: quia illum et Mater Sanctissima comitatur: desidera ipsum in portanda cruce adiuvare: quia et Mater castissima desiderat, sed non potest: tu potes, spiritualem crucem hilariter ferendo.

⁸⁵ Cf. Mt 27, 15-26.

⁸⁶ *Nescitur ubi P. Papeczyński invenit notitiam hic his verbis expressam: “consilio Senatorum [...] mortis sententiam”. In Evangeliiis non invenitur ulla confirmatio huius notitiae, nec potui invenire eam in opere apocrypho: RAHNANI Ignatius Ephrem II, ed., “Acta Pilati”, in Monte Libano 1908.*

⁸⁷ Cf. Io 18, 14.

⁸⁸ Cf. Io 19, 17.

2. Postquam iam ad locum supplicii, anima mea, cum Christo Domino pervenisti. Vide ut milites vestem corpori sanctissimo glutine sanguinis agglutinam, summa cum atrocitate detrahant!⁸⁹ Cum enim Christus ad columnam dirissime caesus fuisset, suam illam tunicam per totum contextam assumpsit: quae ita vulneribus sanguine concreto adhaesit, ut magno nisu detrahi deberet: hinc ea detracta totum corpus quasi una plaga apparuit: totus Iesus cruentus, nec minimum spatium etiam ad defigendam acum omni in corpore intactum, illaesum, aut integrum cernebatur.

Disce tu hinc amorem proprium, voluntatem propriam, iudicium proprium exuere. Et simul pravarum consuetudinum habitum omni conatu exue ac depone.

3. Intuere quo crudelitatis genere Christum Dominum in terram [f.182r] proiectum, carnifices Cruci affigant et in summum ludibrium inter duos latrones universorum Regem collocent! Audi simul, quomodo illum gens impia vexet, irrideat, blasphemet⁹⁰; contra ipsum pro inimicis orantem⁹¹; latroni Paradisum condonantem⁹²; Matri discipulum pro filio, discipulo pro Matre, Matrem castissimam castissimo committentem⁹³; auxilium Patris aeterni invocantem⁹⁴; salutem tuam sitientem⁹⁵; animam suam aequali sibi Genitori commendantem; opus salutis nostrae concludentem et divinam animam exhalantem⁹⁶ intuere.

⁸⁹ Cf. Io 19, 23-24.

⁹⁰ Cf. Mt 27, 38-44; Mc 15, 27-32; Lc 23, 33. 35-37.

⁹¹ Cf. Lc 23, 34: "*Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*".

⁹² Cf. Lc 23, 43: "*Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso*".

⁹³ Cf. Io 19, 26-27: "*dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*".

⁹⁴ Cf. Mt 27, 46; Mc 15, 34: "*exclamavit Iesus voce magna, dicens: [...] Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*"

⁹⁵ Cf. Io 19, 28: "*sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio*".

⁹⁶ Cf. Lc 23, 46: "*Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens, expiravit.*"; Io 19, 30: "*Iesus... dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.*"

Hic quoque dolores sanctissimae Genitricis, carissimi discipuli, amatricis Magdalenae aliorumque amicorum lachrymas⁹⁷ contemplare et simul ipsa uberrimas profunde; quandoquidem et Christus pro peccatis tuis passus est et Mater ipsius cum discipulis atque familiaribus tui causa intolerandos dolores pertulit.

10. DIE VENERIS, VESPERI

De situ, poenisque exterioribus et interioribus inferni.

1. Si, quid et qualis infernus sit, vis cognoscere, constitue in mente tua, profundissimam subterraneam abyssum, in ipso meditullio terrestri globi sitam diversisque poenarum generibus impletam. Sed praeter alia duas tibi regiones imaginare ibi constitutas: unam ignis inextinguibilis, frigoris intolerabilis alteram; fingeque in animo, videri abs te animas, instar scintillarum densissimarum ex flammis ad frigus valido impetu transvolantes, inde vero instar nivium densarum, aut congelatae grandinis, ad flammas revolare. Quam gravis haec poena est, cuius qualitas tam perfecte tamque cito permuat, ut in momento animae in flammis quasi ferrum ignitum excandescant, in frigore autem repente quasi glacies concrecant.

Ah! conare hic obsecro frigus spirituale superare, ne illud infernale patiaris aeternum! conare flammas furoris et vesanae luxuriae incentivum mortificationibus seriis domare, ne flammis illis indomitis puniaris. [f.182v]

2. Reliquas inferni poenas externas mente complectere:

Ignem graviter urentem et minimam lucem causantem, tamque fortem ut etiam animas, quae incorporeae sunt penetret; tam vero variis attributis adaptatum, ut nihil minuat ex membris humanis et post generale iudicium transactum, quamvis illa continuo adurat, cum tamen videmus hic corpora ustulari.

⁹⁷ Cf. Io 19, 25-26: “Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Cum vidisset Iesus [...] discipulum stantem, quem diligebat”; Mt 27, 55-56; Mc 15, 40-41; Lc 23, 49.

Complectere palpabiles tenebras, sempiternam noctem conficientes; intolerandam gravissimorum foetorum qui illuc ex mundo confluent universi mephitim; terrores, spectra, insultationes, exprobrationes et tormenta daemonum, quibus mortales afficiunt; angustias, ob quas animae, instar halecum in dolio conclusorum spessabuntur; querelas, gemitus, maledictiones, blasphemias, fletum stridoremque dentium⁹⁸, quae nunquam damnatos destituent.

O te felicem, si hic velis in te sponte des[a]evire cum discretione, quam potius ibi coactus infinita pati genera tormentorum.

3. Iam ad contemplandas^a internas^b damnatorum poenas animum transfer ac praecipue trium animae potentiarum, intellectus, memoriae, voluntatis apprehende tormenta.

Primus ibi intellectus torquebitur beatorum caelestem gloriam trutinans et suam cum summa apprehensione poenam ac damnationem expendens.

Memoria torquebitur praeteritas sibi saeculi voluptates ac delectationes revocans, cruciatus vero in quos ob eas incidit apprehendens.

Voluntas inexplicabili rabie se ipsam lacerabit et affliget, cum Deum esse iniustum, impium, immitem, crudelissimum tyrannum (quamvis iuste omnia patiantur damnati) qui eam tam diro modo puniat et aeternum mortificet, ruminabit.

Sed non postremus erit ille dolor, quem vermis conscientiae, ex assidua peccatorum, minime iam proficua, recogitatione natus excitabit; qui tam acerbe viscera damnatorum rodet, ut mallent potius singuli omnium simul tormenta sustinere, quam ab hoc verme cruciari⁹⁹.

^a in ms.: "ad contemplandum [...] poenas", sed talem constructionem regulae grammaticae non admittunt.

^b in ms. ob inadvertentiam hic erronee scriptum est: "externas" (de poenis externis iam dictum est supra in "1 et 2, et hic est sermo de poenis internis).

⁹⁸ Cf. Mt 8, 12; 13, 42. 50; 22, 13; 24, 51; Lc 13, 28.

⁹⁹ Cf. Mc 9, 45. 47: "in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur".

11.
DIE SABBATI, MANE

**De lateris apertione, depositione sepulturaque Christi Domini
et Virginis Mariae doloribus.**

[f.183r]

1. Inauditum illud centurionis Longini facinus expende, qui cum accessisset ad crucem reliquis cum militibus Christumque Dominum iam extinctum animadvertisset, ab omnibus saeculis inaudita crudelitate, nec unquam cogitata, lanceam vibrans in latere Salvatoris demortui eam magno impetu ac furore demersit¹⁰⁰.

O Deus! O caelum! O universae res creatae obstupescite super hoc! Quis unquam in mortuum des[a]eviit? ipsae ferae, ipsi canes in iam laceratum canem non amplius saeviunt, sed eo extincto abscedunt. O immensam Christi Domini humilitatem, quae se his omnibus postposuit et post mortem etiam humanam rabiem, suo in corpore voluit experiri.

Sed anima mea cogita Christum ignominiam plagae huius pertulisse, dolorem vero omnem in beatam Virginem Mariam fuisse derivatum, quae non secus affecta tunc fuit atque si ipsius latus ac cor fuisset tran[s]fixum. Quare debes multa Filio, sed Matri quoque non pauca deberi a te considera.

2. Expende fidissimum illum Christi Domini amicum ac discipulum Iosephum ab Arimathea ad Pilatum accessisse ab eoque deponendi Domini corporis de cruce facultatem petiisse atque ea obtenta illico se ad montem Calvariae contulisse adiuvanteque pientissimo viro Nicodemo ex probrosa illa trabe Magistrum suum iam extinctum non sine lachrymis in Matris virgineum sinum deposuisse¹⁰¹.

¹⁰⁰ Cf. Io 19, 34. “Gesù era con tutta evidenza già morto [...]: tuttavia uno [dei soldati: “nonnulli putant fuisse Centurionem, nomine Longinum”] gli dette un colpo di lancia in direzione del cuore, giusto per non lasciare alcun dubbio sulla morte di lui” (RICCIOTTI G., “Vita di Gesù Cristo”, Roma 1940, II, 695).

¹⁰¹ Cf. Mt 27, 57-58; Mc 15, 42-45; Lc 23, 50-52; Io 19, 38. Nihil tamen in Evangelio de depositione corporis Christi “in Matris virgineum sinum”. Secundum Traditionem Mater Iesu “certamente non rinunciò alla dolorosa gioia di accogliere fra le sue braccia la salma [di Gesù] appena fu calata dalla croce” (RICCIOTTI G., op. cit., 746).

Hic parum cogita, quales^a tunc erant Virginis Matris sensus! quae mens! quis dolor, cum aeterni Patris Filium, atque adeo suum misere, toto corpore dilaniatum inspexerit! gemebat, fundebat lachrymas, quibus membra Domini loco alicuius liquoris abluebat sanguinolenta. Idem sancta amatrix Magdalena, idem Maria Iacobi ac Salome, idem aliae quoque piae matronae, una cum familiaribus ipsius faciebant.

Tandem omnes sese ad luctuosissimum funus proripuerunt et Nicodemus quidem myrrhae et aloes quasi libras centum, in divina illa membra pia liberalitate effundit, alter mercatus sindonem illa Salvatorem Mundi involvit, reliquae sanctae personae funus sacrum usque ad hortum prope locum supplicii situm prosecutae sunt, ubi in sepulchro novo Regem angelorum condiderunt¹⁰². [f.183v]

3. Expende inenarrabilem Virginis Beatissimae luctum, maestitiam ac dolorem, quo cruciata est, cum omnem suum amorem, omnes delicias, omnem thesaurum in tumultu reliquisset ac domum repetens vestigia guttasque praeciosissimi sanguinis in via profusas cerneret et procul dubio etiam colligeret.

Comitare eo illam, anima mea, et vide ut incessanter in cruciatibus Filii sui expendendis versetur plurimasque lachrymas vi doloris eliciat. Ibi pete ab ea, ut tibi veram tuorum peccatorum non solum cognitionem, sed etiam detestationem ac dolorem citamque pro iis poenitentiam impetret, pro quibus Filius Dei eiusque dilectissimus, quin ipsa etiam simul, tanta passus fuerit.

12.

DIE SABBATI, VESPERI

De singulis singulorum damnatorum poenis, poena damni et earum aeternitate.

1. Considerandum tibi est, ut in caelo meritorum amplitudinem praemiorum amplitudine coaequari, sic in damnatorum perenni carcere,

^a in ms. insolite: "quis"

¹⁰² Cf. Mt 27, 59-60; Mc 15, 45-46; Lc 23, 53-54; Io 19, 39-42.

multitudinem magnitudinemque scelerum, magnitudine multi[tu]dineque poenarum compensari. Itaque praeter communia damnatis omnibus tormenta, singula singulis perferenda esse iuxta qualitatem quantitatemque delictorum, asserente id Apocaliptico vate his verbis: “Quantum ^ase quis glorificaverit^a, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum” [Apoc 18, 7].

Neque ab hoc religiosus quidam abludit Doctor inquiring: “In quibus homo peccavit: in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgebuntur^b: et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur. Ibi luxuriosi et voluptatum amatores ardenti pice et faetido sulphure perfundentur: et sicut furiosi canes prae dolore invidiosi ululabunt. Ibi superbi omni confusione replebuntur: et avari miserrima egestate arctabuntur. Nullum vitium erit: quod suum proprium cruciatum non habebit”¹⁰³.

O te miserrimum, qui tam piger hic ad poenitentiam mortificationemque subeundam reperiris, tam vero celer ad scelera [f.184r] perpetranda. Ah! miserere tui ipsius: agnosce malum venturum! Quid aliud ignis ille devorabit nisi peccata tua? quanto amplius tibi ipsi nunc parcis et carnem sequeris, tanto diutius postea lues et maiorem materiam comburendi reservas. Resipisce, emenda, satisfac.

2. Diligentius trutina, omnes infernales poenas simul etiam iunctas, poenam damni excedere, quae nihil aliud est, quam felicissimae illius Dei visionis privatio. Nam quemadmodum omnis caelitem laetitia, felicitas, voluptas beatitudoque in fruitione beatificae huius visionis consistit, sic e diverso modo in eiusdem privatione omnis damnatorum luctus, infelicitas, tormenta ipsaque damnatio continetur.

Heu: quam grave malum est! quam acerbus dolor! quam intoleranda poena! bono, cuius causa homo creatus est, spoliari! et a caelesti patria aeternum exulare.

a-a “glorificavit se” (BSV) b “perurgentur” (ICK)

¹⁰³ THOMAS à KEMPIS, “*De Imitatione Christi*” (ICK), pp. 82-83 (l. I, c. 24, §§ 10-14). Attamen ultimi duo paragraphi in diverso ordine allegantur.

3. Expendenda tibi est infernalium poenarum diuturnitas. Finem illae nullum sunt habiturae. Quamdiu Deus vivet, tamdiu damnati morientur et no[n] morientur! quamdiu deliciis in caelo Divi perfruentur, tamdiu illi tormentis afficientur in Inferno. At hoc, “quamdiu”, quando finietur? nunquam.

Sit mons tam altus, latus et magnus, ut mille mundi; ex hoc vero monte Dei iussu post millionem^a[s] annorum vel ultra, aliqua volucris unum terrae granum accipiat et ad locum alium spatii aequalis transferat. Concedatur autem damnatis hic favor, ut tum a poenis suis liberi existant, cum ille mons hoc, quo dictum est, modo per unam volucrem alio fuerit translatus, utique miseri incredibili gaudio inundarent: quod tandem aliquando finis patiendi esset futurus. At eheu! sine fine patientur! nullus, nullus, nullus infernalium poenarum finis erit.

O, quis hic cum Augustino non exclamet, non roget: “Domine, hic ure, his seca, modo i[n] aeternum parcas”¹⁰⁴!

13.

DIE DOMINICO, MANE

[De Christi descensione ad limbum, resurrectione et apparitione B.V. Mariae]

1. Considera, ut divinissima Christi Domini anima e sanctissimo corpore excedens tot angelorum cohortibus stipata sese ad limbi carceres contulerit: ubi quanta laetitia sanctorum illorum Patrum, quanto tripudio, qua exultatione fuerit excepta, difficile est mente concipere¹⁰⁵. Etenim ut

^a verbum e Polonico “milion” adaptatum, id est: decies centena milia.

¹⁰⁴ *Non potui invenire hanc exclamationem in operibus S. Augustini secundum indicem generalem verborum. Asseritur tamen (sine citatione) quod sic “serio clamat et precatur Augustinus” in: DREXELIUS Hieremias, “Considerationes de Aeternitate”, V, “3 : “Opera omnia”, Antverpiae 1643, I, 15.*

¹⁰⁵ *Cf. “Catechismus Catholicae Ecclesiae”, Citt’ del Vaticano 1997, pp. 176-177, ubi paragrahus intitular: “Christus descendit ad inferos”.*

se in eorum conspectum dedit, vi immensi gaudii impulsus omnes clamabant: Advenisti [f.184v] desiderabilis, advenisti Salvator noster, promissio nostra, tot saeculis expectate Messias. Quos sola tantummodo praesentia mirifice Christi illa anima reficiens e tenebris illis fatalibus educit secumque ad sepulchrum ducit.

2. Attenta mente^a revolve, quomodo eadem anima illa Dei, sepulchri lapidem penetravit seseque mortuo corpori perfectissime, uti antea unita erat, uniens, illud a brevi quasi somno excitavit: gloriosumque et immortale reddiderit: ubi tunc illum paulo antehac dictum suum expletum est, quod [de] corpore suo in templi figura protulerat hoc modo: “Solvite templum hoc, et in ^btriduo reedificabo^b illud” [Io 2, 19].

3. Expende, qualiter Redemptor primae a sua Resurrectione gloriosissimae sanctissimae Parenti suae apparuerit eamque tanto maioribus gaudiis inundavit ac caelestibus deliciis recreavit, quanto gravioribus tempore suae passionis maioribusque fuerit affecta confectaue doloribus¹⁰⁶.

Hinc, discite, secundum mensuram tribulationum dari sensus Dei solatia: et quo aliquis plura in mundo adversitatum, persecutionum, calamitatum genera, amore Christi perpessus est, eo ampliori laetitiae perennisque consolationis copia in Regno immortalis ditabitur.

Hinc quoque collige, mortificandum nobis esse carnem nostram, ut gloriosior possit resurgere: quandoquidem, ut inquit, sub parabola Salvator, granum cadens in terram, nisi obmortuum fuerit, nullum fructum afferet¹⁰⁷.

^a in ms. erronee: “mentis” b-b “tribus diebus excitabo” (BSV)

¹⁰⁶ *Nihil tamen legitur in Evangelio, nec in dicto Catechismo, de hac apparitione Beatae Virgini Mariae; cf. ibid., pp. 179-180: “Resuscitati apparitiones”.*

¹⁰⁷ *Cf. Io 12, 24-25.*

[14.]
DIE DOMINICO, VESPERI

De Caelesti Patria ac sempiterna beatitudine.

1. Pone tibi ob oculos, quam dilectissimus Christi discipulus in Apocalypsi descripsit exactissime civitatem, sanctam Ierusalem, aeternam omnium caelestium spirituum ac beatorum hominum mansionem, habentem claritatem Dei: cuius murus centum quadraginta quatuor cubitorum; structura muri ex lapide iaspide, fundamenta omni pretioso lapide ornata: duodecim portae duodecim margaritae sunt; plateae civitatis aurum mundum: ipsa [f.185r] quoque civitas aurum mundum simile vitro mundo. Dominus autem omnipotens templum illius erit et Agnus¹⁰⁸.

Incolae civesque angeli Domini et sancti utriusque sexus inter quos tanta concordia nunc viget vigebitque semper tantaque charitas, ut singula singulorum bona omnibus communia esse videantur: tantamque alter de alterius meritis, gloria ac beatitudine laetitiam percipit, quasi iisdem ipse patiat. Non ibi regnat invidia, non livor, sed omnibus omnia communia.

O te infaustum! si non illi consortio quamprimum cupias interesse.

2. Propone tibi considerata, quae in illa sancta civitate, corpus animaque simul, bona consequentur. Illud immortalitatem, impassibilitatem^a, agilitatem claritatemque vix concipiendam acquirat; haec perfectam cum summa gloria beatitudinem habebit.

Quod si singulorum sensuum privilegiata dona vis agnoscere, meditare ut ibi

visus claritatem perspicaciamque summam qua omnia sursum ac deorsum penetrabit accepturus sit;

tactus incorruptibili vegetatione remunerandus:

gustus omni suavitate variorum soporum, non ad sustentationem, sed ad satietatem delectationemque abundanturus;

auditus diversis angelicorum concentuum modulis assiduo recreandus;

^a in ms. erronee: "impossibilitatem"

¹⁰⁸ Cf. Apoc 21, 1-4. 9-22.

odoratus denique fragrantiam insolitam ex omni re atque adeo ex ipso sui corpore, haustus.

Stude ergo continuae tuorum sensuum mortificationi, si vis eorum delectari beatitudine. Praesertim vero intellectum voluntatemque tuam singulariter mortifica, cum his singularia in caelis dona praeparata sint.

3. Considera omnia, quae beati in caelo possident bona unicam Dei visionem antecellere. Ex qua omnis gloriae fons promanat: omnis copia beatitudinis descendit, omnis felicitas in omnes caelites derivatur, ita, ut ipsa caelestis haereditas, quam Servator mundi sui[s] sequacibus promisit, in hac ipsa beatifica visione sita sit.

Optime hoc expressit Apocalypticus vates, inquires: “Videbunt faciem eius: et nomen eius in frontibus [f.185v] eorum. Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum” [Apoc 22, 4-5].

O quantis, vides, bonis miseri peccatores se spoliant; imo quantis te ipsum spoliis, quoties legitime certare non vis?

Regi saeculorum immortalis et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

[f. 186r - *est vacuum*]

[ff.186v-188r - in his ultimis foliis voluminis pro manuscripto IC adoperati, transcripta sunt ex Actibus Capitanatus Cernensis duo documenta ad IC non appartenentia: unum ex anno 1674 et aliud ex anno 1726, pro usu Conventus Gorensis PP. Marianorum].

INDEX CONTENTORUM

Prooemium	V
Tabula abbreviationum et siglorum	XIII
Frontispicium.....	1
PARS I: Recollectiones in Dominicis	3
Dominica I Adventus.....	3
Dominica II Adventus	8
Dominica III Adventus	13
Dominica IV Adventus	17
Dominica infra Octavam Nativitatis	21
Dominica infra Octavam Epiphaniae	25
Dominica II post Epiphaniam	29
Dominica III post Epiphaniam	33
Dominica IV post Epiphaniam	38
Dominica V post Epiphaniam	42
Dominica in Septuagesima	47
Dominica Sexagesimae	50
Dominica in Quinquagesima	54
Dominica I Quadragesimae	58
Dominica II Quadragesimae	63
Dominica III Quadragesimae	67
Dominica IV Quadragesimae	71
Dominica Passionis	76
Dominica Palmarum	80
Dominica Resurrectionis Domini	84
Secunda die Paschatis	89
Tertia die Paschatis	92
Dominica in Albis	96
Dominica II post Pascha	99
Dominica III post Pascha	104
Dominica IV post Pascha	107

Dominica V post Pascha	112
Dominica infra Octavam Ascensionis	117
Dominica Pentecostes	121
Feria II Pentecostes	125
Feria III Pentecostes	130
Dominica Trinitatis	134
Dominica infra Octavam Corporis Domini.....	138
Dominica III post Pentecosten	141
Dominica IV post Pentecosten	144
Dominica V post Pentecosten	148
Dominica VI post Pentecosten	151
Dominica VII post Pentecosten.....	154
Dominica VIII post Pentecosten	157
Dominica IX post Pentecosten	160
Dominica X post Pentecosten	163
Dominica XI post Pentecosten	167
Dominica XII post Pentecosten.....	170
Dominica XIII post Pentecosten	173
Dominica XIV post Pentecosten	176
Dominica XV post Pentecosten.....	179
Dominica XVI post Pentecosten	182
Dominica XVII post Pentecosten	185
Dominica XVIII post Pentecosten.....	188
Dominica XIX post Pentecosten	191
Dominica XX post Pentecosten.....	194
Dominica XXI post Pentecosten	197
Dominica XXII post Pentecosten	201
Dominica XXIII post Pentecosten.....	204
Dominica XXIV post Pentecosten	207
Dominica VI post Epiphaniam	210

PARS II: Recollectiones in totius anni solennioribus festis.....213

In festo Circumcisionis Domini	213
In festo Epiphaniae Domini.....	216

INSPECTIO CORDIS

In festo Sanctorum Fabiani et Sebastiani Martyrum.....	219
In festo Sanctae Agnetis Virginis et Martyris	223
In Conversione Sancti Pauli Apostoli	227
In festo Purificationis Beatae Virginis Mariae	230
In festo Sancti Matthiae Apostoli	233
In festo Sancti Casimiri Confessoris	236
In festo Sancti Ioseph Sponsi Beatae Virginis	240
In festo Annunciationis Beatae Virginis	244
In festo Sancti Adalberti Archiepiscopi et Martyris	248
In festo Sancti Marci Evangelistae	252
In festo Sanctorum Philippi et Iacobi Apostolorum	255
In festo Inventionis Sanctae Crucis.....	259
In festo S. Stanislai Episcopi et Martyris Patroni Poloniae	263
In Apparitione Sancti Michaelis Archangeli	266
In festo Ascensionis Domini	269
In festo Corporis Christi	273
In Nativitate Sancti Ioannis Baptistae.....	277
In festo Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum.....	280
In festo Visitationis Beatae Mariae Virginis	284
In festo Margarethae Virginis et Martyris	287
In festo Sanctae Mariae Magdalenae	290
In festo Sancti Iacobi Apostoli	294
In festo Sanctae Annae Aviae Christi Domini.....	297
In festo Dedicacionis Sanctae Mariae ad Nives	300
In festo Transfigurationis.....	302
In festo Sancti Laurentii Levitae et Martyris	305
In festa Beatissimae Virginis Assumptione.....	309
In festo Sancti Bartholomaei Apostoli	312
In festa Virginis Beatissimae Nativitate	315
In festo Exaltationis Sanctae Crucis	319
In festo Sancti Matthaei Apostoli et Evangelistae	322
In Translatione Sancti Stanislai Episcopi et Martyris	325
In festis (<i>citationes</i>):	
S. Venceslai, Dedicacionis S. Michaelis Archangeli,	
S. Hedvigis Viduae, Translationis S. Adalberti, S. Lucae.....	329

In festo Sanctorum Simonis et Iudae Apostolorum	329
In festa Omnium Sanctorum Solennitate	332
In festo Sancti Martini Episcopi Turonensis	336
In festo (<i>citatio</i>) S. Elisabeth Viduae	339
In festa Beatae Virginis Mariae Praesentatione.....	339
In festo Sanctae Catharinae Virginis et Martyris	342
In festo Sancti Andreae Apostoli.....	345
In festo Sancti Nicolai Pontificis.....	348
In festo Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae.....	351
In festo Sancti Thomae Apostoli	354
In sollemnissima Christi Domini Nativitate	357
In eadem Festivitate Recollectio II	360
In festo Sancti Stephani Protomartyris	364
In festo Sancti Ioannis Evangelistae	367
In festo Sanctorum Innocentium	370
PARS III: Recollectiones in Communi	375
Diebus festis Apostolorum	375
In Communi Evangelistae	377
In Communi Martyris	379
In Communi Plurium Martyrum	381
In Communi Confessoris Pontificis	383
In Dedicatione Ecclesiae	385
PARS IV: Recollectiones pro hebdomadalibus exercitiis	389
Recollectio I: De beneficiis universalibus.....	390
Recollectio II: De particularibus Dei beneficiis	392
Recollectio III: De virtutibus examen instituendum, ac primo De obedientia.....	393
Recollectio IV: De obedientia	395
Recollectio V: De virtute castitatis	397
Recollectio VI: De eadem virtute	398
Recollectio VII: De virtute paupertatis	401
Recollectio VIII: De eadem virtute	403

Recollectio IX: De charitate	405
Recollectio X: De eadem virtute	408
Recollectio XI: De religiosa humilitate.....	411
Recollectio XII: De eadem virtute	415
Recollectio XIII: De modestia.....	419
RecollectioXIV: De prudentia	422
Recollectio XV: De reliquis virtutibus ad religiosas perfectionem facientibus	425
Recollectio XVI: Praeparatio ad SS.mam Communionem	428
Recollectio XVII: Post reditum a Sacra Mensa	431
Recollectio XVIII: Ante quamlibet SS. Communionem.....	433
Recollectio XIX: Post quamlibet SS. Communionem	435
Actus contritionis.....	438
Oratio vocalis ante SS.mam Communionem	439

PARS V: Recollectiones quotidianae 441

– matutinae: de passione Domini

– vespertinae: de novissimis

1. Die Lunae, mane: De oratione Christi in horto.....	441
2. Die Lunae, vesperi: De mortis certitudine, incerto tempore, loco, modo	443
3. Die Martis, mane: De Christi Domini captivitate, accusatione, percussione, carcere et illusionem	444
4. Die Martis, vesperi: De agone hominis, de statu humani corporis post animae discessum; ad Dei tribunal et sepultura	447
5. Die Mercurii, mane: De crudelissima Salvatoris nostri flagellatione	449
6. Die Mercurii, vesperi: De ultimo decretorio die et signis illum antecedentibus	451
7. Die Iovis, mane: De spinea Christi coronatione, et coram populo exhibitione	453
8. Die Iovis, vesperi: De conflagratione mundi, mortuorum excita- tione, Christi altero adventu et in bonos malosque certa sententia ferenda	455

9. Die Veneris, mane: De baiulatione Crucis, suspensione et morte Christi Domini	457
10. Die Veneris, vesperi: De situ, poenisque exterioribus et interioribus inferni.....	460
11. Die Sabbati, mane: De lateris apertione, depositione sepulturaque Christi Domini et Virginis Mariae doloribus	462
12. Die Sabbati, vesperi: De singulis singulorum damnatorum poenis, poena damni et earum aeternitate	464
13. Die Dominico, mane: [De Christi descensione ad limbum, resurrectione et apparitione B.V. Mariae]	466
14. Die Dominico, vesperi: De caelesti patria ac sempiterna beatitudine.....	467